




SIMONIS FRIDERICI HAHNII,

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS BRITANNICÆ CONSILIARII, EIVSDEMQVE, ET VNIVERSÆ DOMVS SERENISSIMÆ BRVNSVICO-LVNEB. HISTORIOGRAPHI, AC BIBLIOTHECÆ REGIÆ HANNOV. PRÆFECTI,

COLLECTIO

MONVMENTORVM VETERVM ET RECENTIVM, INEDITORVM, AD CODICVM FIDEM RESTITVTORVM, SELECTIORVM, ET RARIORVM, DIPLOMATVM NEMPE, SIGILLORVM, LITTERARVM, CHRONICORVM, ALIORVMQVE INSIGNIVM SCRIPTORVM,

ANTIQVITATES, GEOGRAPHIAM, HISTORIAM OMNEM, AC NOBILIORES IVRIS PARTES

HAVD MEDIOCRITER ILLVSTRANTIVM.

TOMVS II.



BRVNSVIGÆ,
Ex Officina FRID. WILH. MEYERI, 1726.



Præfatio ad Lectorem.

I.

Qui primo loco ſiſtitur GEORGII TYSKIEWICZII libellus, CRACOVIÆ olim a. MDCXV. apud NICOLAVM LOBIVM impreſſus, & in his oris longe rariſſimus, collectioni noſtræ ob nullam aliam cauſam eſt inſertus, quam ut de collegii Ieſuitici Thorunienſis, quod ante hoc biennium ferè, periculoſos motus excitavit, primordiis, inpoſterum eo re-

rectius constaret & accuratius. Ipsi enim causæ, quam TYSKIEWICZIVS defendendam suscepit, sicut nullo modo patrocinor, ita auctoris convicia in Evangelicos passim sparsa, immo plena, quod ajunt, manu, & integris plaustris congesta, toto pectore detestor, certissimeque spero, contumeliosas auctoris voces mihi non imputatum, sed iteratam opusculi editionem ab æquis rerum arbitris eo animo acceptum iri, quo a me instituta est & procurata.

II.

Editionem novam descriptionis, quam MICHAEL O. WEXIONIVS, Juris tunc & Politices in academia Fennica Professor, de Suecia, Gothia, cæterisque provinciis a. MDCL. Aboæ publicavit, jamdudum omnibus votis expetierunt docti, & Historicarum rerum intelligentes viri.

III. IV.

Debuisset illi, ut ego quidem constitueram,

rum, ejusdem auctoris ROTA FORTVNÆ, inventu non minus perquam difficilis, statim subjungi, sed illa typorum festinatione in quartum locum est rejecta, tertiumque occupavit brevius, at pereximium de reformatione Magdeburgi sucepta scriptum, apud IOANNEM KNAPPIVM JVNIOREM a. MDXXIV. impressum, quod LVPVM CYCLOFFIVM, (WOLFF CYCLOFF) salutaris artis doctorem, eumque purioris religionis acerrimum defensorem, cujus & alia nonnulla Cellensis urbis Historiam illustrantia ad manus sunt, auctorem agnoscit.

V.

MONACHI SAN GALLENSIS vita Caroli M. ex codice præstantissimo, eoque membranaceo, qui illustris Obrechti olim fuit, est desumpta, facileque advertet industrius lector, editionem, quam

ad illius fidem hoc loco damus, ab editione CANISIANA, & altera illa per ANDREAM DVCHESNIVM curata, omnino differre multum.

VI.

Quæ sexto loco comparet ORDINATIO IVDICII VEHMICI, seu WESTPHALICI vetus, ex codice chartaceo illustris ACADEMIÆ IVLIÆ desumpta, hucusque lucem non viderat, adeoque confido, me gratiam initurum apud multos, quod primus ego protraxerim nobilissimum monumentum.

VII. IIX. IX.

CHRONICON COMITVM CILLEIENSIVM, harum rerum cupidis egregie profuturum, & aliud brevius SALISBVRGENSE, cum ANTIQVA CONSVLTATIONE DE ELIGENDO PA-

TAVIENSI EPISCOPO, humanitati debes Illustriss. atque Excellentissimi Domini, Domini CHRISTIANI WILH. ab EYBEN, S. R. IMPERII EQVITIS, ac REGIÆ-CELSITVDINIS SERENISSIMI DVCIS EBORACENSIS ET OSNABRVGENSIS EPISCOPI, SVPREMI STATVS ADMINISTRI, Mæcenatis summi, juvandisque litteris, & melioribus artibus promovendis nati, cujus perclementem in me affectum, & benevolentiam singularem satis dilaudare haud possum.

X.

CONSVLTATIONES POLITICAS ultimo loco positas, & vel a CAMERARIO vel RVSDORFFIO conscriptas, eo potissimum consilio adjunximus, ut aliquam iterum lucem tricennalis belli Historiæ fœneraremus, & eandem, quæ in primo adparet, in altero quoque col-

lecto-

lectionis tomo instituti rationem, ordinemque servaremus.

Vale Lector & fave!

D. raptim Hanoveræ d. XVIII April. a. MDCCXXVI.



RESPON-



RESPONSIO GEORGII TYSKIEWICZ SOCIETATIS JESV, AD LIBELLVM FAMOSVM, CVJVSDAM ANONYMI TORVNENSIS: PATROCINIVM VERITATIS LITERARVM TORVNENSIVM FALSO INSCRIPTVM.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO,
D. FABIANO PLEMIENCKI, &c.

Author gratiam a Deo & Fœlicitatem.

Digna res profecto fuit, Illustris & Magnifice Domine, vt singularis illa tua erga me, nostrumque Ordinem vniuersum beneuolentia, constansque fauor, ac nomen tuum clarissimum, excellentioribus, & grauioribus ornaretur monumentis, quam hisce præsentibus; in quibus calumniarum caligo, qua maleuoli, & perpetuo iurati nostræ Societatis hostes, nomen eius opprimere conati sunt, veritatis luce discutitur; & faces criminationum, ad eiusdem Societatis gloriam, si non perdendam, saltem fuscandam accensæ, imbribus refutationis extinguantur. Verum postquam te syncera, familiarique consuetudine cognoui, & impensius cæpi & diligere, & obseruare; eam legem indixeram, & pene præscripse-

ram operibus meis; vt quidquid deinceps me Authore, aut labore meo in lucem exiret, atque in vulgus emanaret; tui antiquissimi illustraretur nominis principio, & firmissimo gauderet Patrocinio. Accedit illud etiam, quod vt famæ, ita & innocentiæ nostræ non solum acerrimus ubique, sed & testis religiosissimus semper extitisti; proinde æquum videbatur, eam in hoc libello vindicatam & defensam, tuo quoque testimonio, authoritateque tueri gravissima: ut hi homines malevoli, & graues boni nominis, integritatisque nostræ adversarii, qua silendo impudenter, qua fingendo turpiter, aut erubescant aliquando, aut, quod optandum est, conticescant. Calissii ex Collegio Carncouiano Societatis Jesu. 29. Decembr. Anno Domini 1614.

LECTORI BENEVOLO.

Prodiit non ita pridem libellus quidam, vtinam, ita vere, vt honorifice, Patrocinium veritatis nuncupatus: in quo, Oratio pro nostra Societate, ad Senatum Equitesque Polonos scripta, contra querelas Torunensium, Comitiis Prossouiensibus & Sredensibus propositas, non tam rationibus refutatur, quam maledictis ac mendaciis oneratur. Hunc igitur, quod nostrum ordinem more hæreticorum, calumniis ac conuitiis mire lacesseret, quidam amicus nostræ Societatis insignis, vir e præcipua nobilitate Poloniæ, pro amititia ad me detulit: miratus & odium Torunensium, ex quorum Officina (vt ille putabat) tot monstra prodigiosa, tot chartæ infames, contra nostros homines certatim prodeant; & nostrum silentium, qui tam manifesta, & crassa mendacia, impune bachari permittimus. Accepi libellum, & tum illius suasu, tum aliorum impulsus consilio, & maxime Majorum Mandato; quid machinaretur, cui patrocinaretur veritati, quam recte nostrum Oratorem refutaret, indagandum suscepi. Eum tamen modum in respondendo mihi proposui, vt non ad singula, quæ ob-

[illegible] respondeam: oleum enim & operam per-
derem [illegible] si ad veteres calumnias, ab ipso
[illegible] famosis contra nos libellis descriptas, & in-
signibus apologeticis scriptis Richeomi, Bonarscii, Gre-
ceri, [illegible], Eudæmon Ioannis & Anticotoni dilu-
tas; sine [illegible] necessitate denuo responderem: sed ad ea
solum, quæ nobis in causa suorum clientum Torunen-
sium [illegible], & quæ sine grauiori Societatis nostræ &
Collegii illius in eadem ciuitate præiudicio, transiri non
possint dispiciam. Atque eo libentius huic operi ma-
num admoui, quod & quid inter nos & Torunenses ne-
gocii intercedat, prope norim, cum Rector Collegio il-
li, non ita pridem præfuerim: & Torunensibus contra
nos libellos famosos libere spargendi, ansam auferri,
maxime desiderarim: qui quicquid in eos a quouis di-
catur & scribatur, id a nobis dictum scriptumque mali-
ciose suspicentur. Nam & hic Anonymus, nostræ So-
cietati hanc ait innatam esse consuetudinem, vt quem-
vis procacissimo dicendi genere, suppresso authoris no-
mine proscindat, cum suum ipse nomen, vt luce indi-
gnum, subticuerit. In causa, inquit, Jesuitarum illa Ora-
tio scripta est: Ergo Jesuita author eius. Atqui præter
tot calumnias, hic ipse illius libellus contra Jesuitas, in
causa Senatus Torunensis prodiit: ergo etiam non nisi
quispiam e Senatu Torunensi illius Author esse potest.
Sed facile patior id nobis a Torunensibus imputari, cu-
ius ipsi sibi conscii sunt: qui pro more suo, hoc est, Cal-
uinistico, cum totam Ecclesiam, tum nostram maxime
Societatem maledictis, calumniis, quocunque modo
possunt, clam, palamue lacessendi, finem nullum fa-
ciunt: Nemo siquidem, facilius de alio crimen suspica-
tur, nisi qui se reum illius esse sentit. Jam vero, num
Torunenses Jesuitas adeo timidos, suæque causæ diffi-
dentes, esse putant, vt sub nomine proprio, obiecta sibi
crimina diluere non audeant? quid illa Oratio habuit,
vt eam Jesuitæ, si quidem illorum fuerit, suam esse ne-

garent? Atque vt Torunenſes intelligant, Jeſuitas vt lucis filios, tenebras non amare, lucem non odiſſe, libens hanc Prouinciam, vel hoc ipſo nomine, ſuſcepi: non autem quod innocentiæ noſtræ, quæ longe melius, quam Torunenſium, non huic ſolum regno, ſed toti mundo nota eſt, timeam; aut veritatem, quæ per ſe, vbique firma eſt, non ſatis tutam eſſe, niſi eam mea Oratione protegam, iudicem. Deinde illud velim ſibi Torunenſes de nobis perſuadeant, nos dum huiusmodi Apologeticos libellos, vrgente neceſſitate, ad bonum nomen Societatis noſtræ, a calumniis vindicandum, in lucem edimus; eos non maledictis ac conuitiis more Hæreticorum infarcire, ſed vt Catholicos & Religioſos homines decet; modeſte inimicorum criminationes refellere, veritatem defendere, innocentiæ Patrocinari. Quapropter ita, & ego meam orationem temperabo, vt & ipſa ſtyli moderatio, ac ſimplicitas, noſtræ teſtis ſit modeſtiæ & candoris: ſimulque appareat, nos non ſubterfugere, palam de noſtris iniuriis agere, palam maledicta refutare, palam veritatem, innocentiamque tueri. Vale, Caliſſii: ex Collegio Camcouiano Societatis Ieſu. 29. Dec. A. D. 1614.

ANONYMO TORVNENSIVM PATRONO.

Quisquis es, (ſiue ater, ſiue albus ſis, ſiue Germanus aliquis Lutherocaluinus, ſiue Pruthenopolonus, ſiue, quod probabilius eſt Hugonotus, transfuga, Gallus, precario in Polonia & locum & victum habens) Anonyme Torunenſium Patrone; qui nomen tuum, in defenſione eorum a te conſcripta (eo quod te adeo vehementer impudentem eſſe puderet) ſuppreſſiſti, accipe nunc pauca hæc, quæ tibi & tuis clientibus damus, plura paulo poſt, expecta. Ad eas enim ſolum calumnias, quibus in noſtros Torunii manentes, & Collegium illud, ore tuo perfricto, & infami calamo, per ſummam tuam impudentiam debacchatus es, reſpondere

dere nunc visum fuit: & ne lectores beneuolos a lectione responsionis huius, prolixitas ipsa retraheret; & quia alia, quæ nobis in hoc tuo patrocinio Torunensium infirmo, & debili, de Gallia, Anglia, & aliis Prouinciis, impudenter obiecisti; adeo iam sunt obsoleta mendacia, & rerum plane contrariarum euidentia antiquata, totque doctorum virorum lucubrationibus in lucem editis diluta, vt ea noua responsione indigere pro nunc non iudicemus. Certo enim nobis persuademus, apud omnes æquos rerum nostrarum æstimatores (quales sunt multi etiam ipsimet Hæretici, qui ratione, non affectuum impetu ducuntur) nullam fidem habitura. Quis enim prudens & probus, te vera, a Iesuitis in aliis regnis acta, referre credet, qui hæc, quæ domi, in visceribus ipsis Regni huius Poloniæ aguntur, & ab omnibus videntur; tam impudenter, aliter quam acta fuerunt, vel agantur, mendacissimo tuo calamo, describere, & in vulgus edere ausus fuisti? Quis te veracem in alienis, & longe a nobis remotis Prouinciis, gestorum relatorem credet; qui te domesticorum, & in oculis omnium factorum, mendacissimum calumniatorem, manibus ipsis esse palpabit? Quare paucis his in præsenti, cum tuis clientibus Toruniensibus contentus esto. Quod si cum eis perges dicere & scribere quæ vis, audies & leges vna cum eis, quæ non velis.

Responsio ad Libellum Famosum, contra Societatem Iesu, Patrocinium veritatis literarum Torunensium falso inscriptum.

CAPVT I.

Non defuit in Polonia Torunensibus Iudex, apud quem de iniuriis contra Ordinis nostri homines, si quas haberent, quererentur.

Priusquam Torunensium querelas, in Conuentu Proszouiensi, & Szrodensi expositas, futiles fuisse ac iniustas, doceret Orator ille, qui nostræ Societatis causam, ab huiusmodi criminationibus, apud Nobilitatem Polonam vindicandam suscepit; arguit in primis Torunenses, quod cum Iudex non deesset ordinarius, coram quo de iniuriis, si quas habebant, iudicio contenderent; ad Conuentus Nobilitatis publicos, qui non nisi ob Reip. negotia indicuntur, & eo tempore ob solutionem Militi Confœderato faciendam instituti erant, confugissent: cuius rei non aliam causam fuisse existimat, quàm quia non accusare sed calumniari voluerunt. Quid ad hæc cum suo Patrono Torunenses? Salsè inquiunt, Nobilitatem Polonam ab illo rideri Oratore, qui vult Torunenses apud Iudicem Ordinarium contra Iesuitas queri, cum illi nullum forum in Polonia habeant, nullique subiaceant Magistratui seculari, aut Spirituali. Quod duobus commentis leuissimis, vt paulo infra videbimus, probant.

Verum Iesuitas, sicut & vniuersam Nobilitatem, ac cuiusuis Ordinis hominem, in omnibus causis forensibus, præter personales, brachio subiacere seculari, soli Torunenses ignorant, aut verius, nosse dissimulant: vt qualemcunque ansam arripiant, dolorem ex Iesuitarum odio conceptum, occultis criminationibus leniendi, dum palam cum iis iudicio contendere subterfugiunt. Quis enim vnquam in tota Polonia de Iesuitis est conquestus, quod in huiusmodi causis citati ad iudicia, vt vocamus Arcensia, Terrestria, Tribunalitia, aut Regia, non comparuerint, coram Iudice non responderint, decreta respuerint? Testis est vniuersa Nobilitas Polona, testes ii omnes, quibus cum aliquod negotium, nobis hactenus intercessit, testes denique & ipsi Conuentus Petricouienses & Lublinenses, in quibus respondimus, & decreto Iudicum obtemperauimus. Atque id adeo toti Poloniæ notum clarumque est, vt mirum sit hunc tenebrionem

tan-

tantam lucem, ſi non oculis vſurpare, vel ipſis ſaltem manibus attrectare non potuiſſe: qui eas tenebras Nobilitati Poloniæ offundere attentauit, quaſi Ieſuitæ nullum in Polonia iudicium agnoſcant, nulla decreta admittant, forum ordinarium declinent. Sed faciant periculum Torunenſes, audeant palam iudicio, non clam criminationibus rem agant: appellent forum Nobilitatis Culmenſis, Regem & Tribunalia, & tum demum, an verum ſit, quod dico, experientur. Sed alios Iudices Torunenſes ſuæ cauſæ optarent, ſcilicet Hæreticos præoccupatos, qui eodem contra nos animo armati. Torunenſium voluntati & ſententiæ ſubſcriberent: Cæterum dum, fruſtra ſpes ſuas, talis Iudicis expectatione alunt, odia quibus poſſunt criminationibus ſuſtentant. Et hæc cauſa eſt, cur ſuas querimonias contra nos, ad Conuentus Nobilitatis Radzieiuienſem & Dobrzynenſem non retulerint, ſed remotiores Proſzouienſem & Srzodenſem quæſierint: noverant enim ſuas quiritationes fore apud illam Nobilitatem, vanas, & non acceptandas, vtpote quæ & Torunenſium ingenia bene noſſet, & noſtrum Collegium ſummo ſtudio promouiſſet: idcirco alios, quorum aures adhuc integras, ſuis implerent fabulis quæſierunt. Venio nunc ad probationes Torunenſium Patroni. Duobus ille probat argumentis Ieſuitas forum in Polonia non habere. Primum eſt. Nulla, inquit, unquam in Polonia cauſa fuit agitata, in qua Ieſuitæ rei fuerint. O ſubtilem & argutam ratiocinationem! o acephali Philoſophi conſequentiam? o magnum probrum Ieſuitis obiectum? quid hoc rei? quæ hæc inſania? Itane? nemo Magiſtratui ſubiectus putandus eſt, niſi vt reus ad iudicium citetur vel in eo damnetur? Cui vnquam vitio reputatum eſt, quod nuſquam in iudicio reus damnatus fuerit? quis non ſummæ innocentiæ ac integritatis dixerit, nuſquam in iudiciis capitis, fortunarum, infamiæ periculum adiiſſe? Sed eſto, non ſit ſubiectus magiſtratui, qui nunquam vt reus in iudi-

ciis comparuit. At Iesuitas tales esse, vnde probat Anonimus? fortassis quia nunquam in subselliis Torunensium, vt quiuis alius ex Plebe, causam dixerunt, & obiectis responderunt. Hoc est, quod ille cum suis Torunensibus & indolet & vellet. Sed an iuste, iudicent ipsi; quam vero recte pronuncient, nunquam nos in iudiciis secularibus, citatos & accusatos comparuisse, iam videbunt.

Alterum est Anonismi argumentum. Nullum, inquit, Iesuitæ in Polonia Magistratum agnoscunt: ergo non sunt illi subiecti. Chrysippæi sane argumentum ingenii. Nam præterquam quod antecedens falsum sit, vt vniuersæ, præter Torunenses, notum est Poloniæ; consequentia tamen nulla est. Nam vel Iesuitæ proterue ac temere Magistratum secularem non agnoscunt, vel legitime. Si primum, subiacent Magistratui, qui semper proteruos homines compescendi ius habet. Si secundum, perquam ridiculi sunt Torunenses, qui cum Iesuitas Magistratum secularem non agnoscere sciant (quod tamen nunquam probabunt) eos in variis Conuentibus tot criminationibus, tot accusationibus lacessere non desistant. Verum multo æquius nos fuerat, de vobis, Torunenses, in hoc genere serio queri; non quidem quod Iudicem in Polonia non habeatis; sed quod variis artibus iudiciorum æquitatem declinare, molestissimis tergiuersationibus, nos iniuria affectos, a suscipienda lite deterrere, mandatorum denique regiorum vim, mille technis & protelationibus subterfugere consuetum habeatis. Meministis credo illius controuersiæ, quæ de domuncula nostris ædibus adiecta, nostro ære ab equestris ordinis homine comparata, vobiscum nobis per decem annos (tamdiu enim vestris artibus in re tam patente ea tenuit) in Aula Regia intercessit. Facessite igitur & nostro Oratori succensere desinite, cum vobis vitio vertit, quod posthabito iudicio ordinario, ad Conuentum Srzodensem & Proszouiensem, cum vestris næniis

niis appellaueritis, siquidem Iesuitæ Magistratum agnoscunt, eique obtemperant.

Sed dum finem huic capiti facio, ne quis scrupulus Torunensibus remaneret, aliquid etiam de personalibus caussis addendum occurrit, vt si quid contra Iesuitas hoc in genere habeant, eos nullum iudicium subterfugere velle intelligant. Est Legatus Summi Pont. in *Polonia*, audete iam Torunenses, attentate, experiminii neque enim Iesuitæ maioribus Priuilegiis aut exemptionibus in hoc iudicio Ecclesiastico, quam cæteri religiosi Ordines exempti, qui tamen, per specialem Summi Pontificii delegationem, ab inferioribus illo iudicari possunt. Sunt prætereà Archiepiscopi, & Episcopi, qui possunt, & solent obtinere à Summo Pontifice visitandi Religiosos, in sua Diœcesi commorantes, etiam exemptos, eosque castigandi potestatem, nec eam in legitimis caufis Summus Pont. denegat; imo hic noster modernus Paulus V. eam Illustrissimis, Archiepiscopo Baranowski & Episcopo Posnanien: Opalinski, in visitandis & reformandis quibusdam Cœnobiis & Abbatiis, liberalissime concessit. Ad hos ergo, si quid contra nos Torunenses habent, appellent, non subterfugiemus, non resistemus, imo si illis ita placet, nos ipsi a Summo Pont. impetrabimus, vt ei, quem ipsi illi ex his elegerint, inter nos & illos controuersiam dirimendi faciat potestatem.

Sed quid ego cum Torunensibus tam liberaliter ago, vt iudicem, qui nostram causam iudicet, nos impetraturos pollicear? si quidem satis euidenter ostensum est, nostræ Societatis homines nulli non parere Magistratui: Ite verò Torunenses (quo iam ante vos remittere debuimus) ite ac denuum ex literis Illustrissimi Episcopi Cuiauiensis Laurentii Gebicki, quas ab eodem, dum Culmensem Ecclesiam regeret, in nostra causa, cum à vobis electi essemus, accepistis, addiscite, quam falso affingatis, quod nullum in Polonia Iesuitæ agnoscant Ma-

gistratum. Verum ne vobis in reuisendis literis facessam negotium, libet pauca, si quidem luculentum huic, quam defendo, veritati, afferant testimonium, & vehementer vestram peruicaciam redarguant, ex iisdem litteris isthic attexere. Quam vero (verba sunt Epistolæ) vobis non consentiatis, videte. Noluisse vos cum Societate Iure contendere scribitis, quod eam ab Ordinariorum jurisdictione esse exemptam vobis constaret. Si nullam Ordinario in eos authoritatem esse habuistis exploratum, cur tot literis, tot suffragatoribus a nobis postulauistis, vt in alias sedes illam transportaremus? Sed sistebant se illi, paratique erant, ad obiectiones vestras respondere, & si quare vos ab iis læsos fuisse probauissetis, ex nostra sententia vobis satisfactionem præstare. Neque vero plus apud nos valuissent præconceptæ opiniones, vti vos sinistre opinamini, quam æquitas ipsa. Scimus ita illos instrui sanctissima disciplina, vt nemini nocere, prodesse studeant omnibus. Attamen vt homines, labi & errare posse, non ignoramus. Sed perinique egissemus, si ad vestras accusationes simplices & nulla probatione fultas, inauditos condemnauissemus, aut opinionem, quam merito conceptam habemus, subito deponeremus. Neque vero vitium est, de illis bene sentire, quorum vita quotidianæque actiones in pietatis officiis versantur. Illud potius extremæ cuiusdam malitiæ, ex inanibus suspitionibus, implacabilibus odiis exardescere, ac omnia dicta factaque eorum in crimen vocare. In quo velim perpendatis Torunenses, quantum a Christiana charitate discedatis. Hæc Illustrissimus Episcopus, quæ si Torunenses legerunt, mirum est, cur tanto viro in aliena causa scribenti, fidem non habeant, & Iesuitas nullum in Polonia habere forum, vociferentur.

Quod si viros Ecclesiasticos, vos ipsi Ecclesiæ desertores, vt scopulum exhorrescitis, circumcincti sumus vobiscum, Prussiæ Palatinis, aliisque Magnatibus, ex illis

lis Commissarios a Rege impetrate, qui de atrocibus scilicet Iesuitarum in Senatum, populumque Torunensem cognoscant iniuriis, facietis certe nobis non modo non repugnantibus; sed in idipsum etiam connitentibus. Ægre est, vt video Torunensibus Hæreticis, Iesuitas de capite ipso coram iudicio sæculari causam non dicere; mirum tamen est, ita iniquos esse in Clerum Catholicum, cum cæteri etiam Hæretici, suos Ministros in causis personalibus, a Magistratus sæcularis iurisdictione exemptos esse velint: cuius rei non iniucundum libet afferre exemplum.

Nobilis quidam Hæreticus ante annos aliquod Costenum citatus, eo quod de iniuria, a suo Ministro cuidam facta, iustitiam administrare nollet: respondit se eum, cum Spiritualis & Ecclesiasticus sit iudicare non posse. Res ab omnibus risu excepta: iubetur ergo Minister literas Officii Ecclesiastici exhibere, quas quia non adferret, nec adferre posset, (cum vt sunt omnes Ministri Hæreticorum, a sibi similibus, laici à laicis, potestatem diuina tractandi, quam nec illi conferre possunt, accipiant) pro sæculari est habitus, & decreto Iudicis mulctatus, a quo tamen ad Tribunal appellatum fuit. Agite vos Torunenses cum Iesuitis, in vtroque foro eos paratos semper inuenietis, & criminationibus finem tandem aliquando imponite.

CAPVT II.

Nunquam solicitauimus in Comitiis Regni, Senatores aut Nuncios e prima Nobilitate, vt opprimerent Lutheranos, Caluinistas & Arianos.

Alterum erat, quod vt iniquum in Torunensibus reprehendit Orator noster, quod Iesuitis, ne appellatis quidem, publicam contra eos accusationem, in Comitiis instituerint, vbi præsente accusatore, absente vero reo, & illi fuit licitum, quicquid tandem voluit dicere, &

& huic non erat integrum, sese defendere. Quod quam iniquum sit, nemo non videt. Sed Patronus Torunensium ita suos defendit Torunenses. Quid tum inquit dum modo vera sint ea, quæ dicerentur. Falsa ergo tantum, & calumniæ reddunt iniustam accusationem? O Sapientissimum Iurisconsultum. O breuem sed insignem legem accusandi. Perbelle quadrat illud huic Doctori: Quam modice, sit in codice, multo minus in digestis. Quid si Domini Torunenses, hoc pacto Iesuitæ vobiscum procederent, an non cœlum & terram misceretis? Addit præterea Patronus Torunensium: nullam Iesuitis fieri iniuriam, siquidem eorum accusentur, quæ de illis totus prædicet orbis Christianus. Egregie sane, quid ergo Torunenses oleum & operam perdere vos necessum erat in referendis illis, ad Nobilitatem Polonam de Iesuitis, quæ de illis totus mundus prædicaret? Quanquam & hoc ingens sit paradoxon. Quid enim? an totus orbis scit, Iesuitas in æde, quæ olim Parochi Torunensis erat, habitare, in quo vobis iniuriam factam esse affirmastis? Quæ tam velox fama in extremas orbis partes hunc detulit rumorem, Iesuitas Torunii contra vestram voluntatem, publicas in Reipublicæ Polonæ vtilitatem, aperuisse Scholas? Pulpitum templi Parochialis S. Ioanni dicati, ad legem Diuinam multitudini promulgandam, ascendisse? Certe tantum abest, vt id toti mundo sit notum, vt etiam a multis Poloniæ acolis ignoretur. Sed esto, nouerit id totus mundus, quid vitii, Iesuitas Torunii totius Reipubl. voluntate, Scholas aperuisse, pulpitum assensu Regis, authoritate Episcopi, ascendisse?

Tertium est, quo æquitatem accusationis contra nos factæ a Torunensibus, Anonymus ostendit: Quia inquit idem Iesuitæ faciunt. Nam & in Comitiis Regni more canum angulos obambulant, Senatores ac quosvis è prima Nobilitate, ad nostris Euangelicis nocendum sollicitantes, & grauissima de Reipubl. incolumitate nego-

go-

gocia, suis leuibus querimoniis interturbantes. Nimis multa Anonymus in hoc suum extremum congerit argumentum, ita, ut etiam longiori responsione egeant. Nam quod inprimis dicit, idem Iesuitas facere, hoc est, Torunenses iis non appellatis ad iudicia deferre, id ab omni non dico veritate, sed etiam veritatis imagine, & probabilitate est alienum, vt nihil improbabilius fingi possit. Quæ enim Torunenses in Polonia Iudicia, ostendere potestis, in quibus aliquid contra vos Iesuitæ, inscìis vobis & absentibus egerint? An non illi Tragediæ de domo empta a nobis, & a vobis vi & artibus occupata, vbique interfuistis, & multa egistis? An non illa Constitutio de Scholis aperiendis, vobis præsentibus & scientibus in Comitiis Regni condita est, quam vos a nobis esse scriptam frustra comminiscimini? At quid iniuriarum hac in re, quamuis ita esset, contra vos commissum sentitis? Num & vos, si quam Constitutionem aut Priuilegium in gratiam vestri, a Serenissimo Rege illiusque Senatu factum intelligeretis, illud quam accommodatissime ad vestram voluntatem, vestro stylo exaratum cuperetis? Quid ergo quod vobis optatis, id in nobis reprehenditis? Addo illam Constitutionem, non in nostrum commodum, sed totius Regni fuisse factam, quod cum vniuersa Polonia, tum maxime Districtus Cuiauiensis & Dobrzynensis omnesque boni, præter vos solos agnoscunt.

Venio ad secundam huius, non tam probationis quam calumniæ & criminationis partem, in qua nos more canum in comitiis Regni angulos oberrare calumniatur aduersarius. Viderint Torunenses, quibus hominibus & qua fronte id dicant. Ego iniuriam & calumnias pati & non facere, cum nostra Societate assuetus, id prætereo: in hoc monitos relinquens Torunenses, vt quod ipsi tanto calumniatori, si forte eos lacesseret, responderent; idem sibi a nobis pro tam insigni contumelia responderi oportere, nisi Christianæ carita-

ti;

ti, & Religiosæ modestiæ obtemperaremus, arbitrentur. Illud tamen tacere non possum, vnde Torunenses tantæ calumniæ ansam arripuere. Nostros Varsauiæ per tempus Comitiorum, si quas Principum ac Nobilitatis inuisunt aulas, id non ad præoccupandos Senatorum animos, aut ad nocendum Euangelicis negotii suscipere, sed vel vt eleemosynas, ex quibus nostra professorum Domus Varsauiensis viuit, cum nullos reditus quibus sustentetur habeat, per eam occasionem conquirant; licet & extra tempus Comitiorum pro ratione suæ professionis mendicent: vel aliorum Collegiorum negotia, quæ nullo alio tempore commodius pertractari possunt, quam cum tota Nobilitas, alias dilapsa congregatur, procurent. Quis itaque non exasperati & maledici animi esse dixerit, ex tam manifestis factis, tam occulta scelera in alios suspicari? Verum nolo, ne hæc mea nimia in respondendo modestia, sit in præiudicium innocentiæ nostræ Societatis: vrgeo igitur, proferant, quinam illi Iesuitæ fuerint, qui angulos & quos more canum oberrarint, in quibus Comitiis, quos Senatores, quos Nuncios sollicitarint? Sed adierint Senatores Iesuitæ, visitarint Nuntios; at num hos in angulis Varsaviæ habitare, Torunenses, confingere audetis, qui in oculis omnium prima palatia inhabitant? pudet me vestri, quod hisce commentis vos omnibus ridendos propinetis. Deinde quid nobis, quod angulos more canum obambulemus, vitio vertitis; cum vos idipsum maxime facere vester Patronus ingenue fateatur. Nollem equidem ego tam grauem calumniæ maculam vobis, Torunenses, aspergere, sed eam a vestro Patrono acceptate. Hic enim crimen ab Oratore nostro, vobis obiectum refellendo, respondet, idem etiam a Iesuitis committi, quod non aliud esse vult, quam more canum in comitiis angulos obambulare. Videte ergo, qualem Patronum elegeretis, qui eam vobis contumeliæ ac infamiæ notam inussit, quam vester aduersarius vobis inurere nunquam fuisset ausus. Iam

Iam quod addunt, Iesuitas nihil magis in votis habere, & in Comitiis Regni quærere, quam vt Euangelicis noceant, eosque opprimant, adeo vt nec resistere, nec suam innocentiam defendere queant, ab instituto nostro & consuetudine est alienissimum; hoc sane nunquam inficias iuero, nobis id esse propositum, non Euangelicos opprimere, aut Regno pellere, sed Christiana charitate complecti, & ab eorum animis errores, omnes quibus tenentur euellere. Deponite igitur metum, vel potius odium, quo instigati, vbiuis & quouis tempore nobis nocendo, nos vobis nocere querimini.

Illud præterea velim vobiscum perpendatis, & a triginta retro annis omnia Comitia animo repetatis, an in Polonia auditum fuerit, non dico Iesuitas, sed Catholicos aliqua in Comitiis ad nocendum Euangelicis proposuisse, aut criminationibus ad opprimendos eosdem Comitia interturbasse. Quin potius nulla fere ab eo tempore Comitia, nullos conuentus in Polonia factos inuenietis, in quibus Evangelici Catholicis & Ecclesiæ nocere, Confœderationem iniuriosam, hoc est, non libertatem credendi, sed libertatem Ecclesias Catholicas occupandi, occupatas iam per vim Catholicis non restituendi, vrgere non intenderint, quod ita clarum, vt nulla egeat probatione. Aliqua tamen ex occasione infra de hoc dicam.

Ad illud porro extremum, quod obiiciunt, Iesuitas per suos, vt Anonymus dicit, emissarios in Comitiis omnia miscere, suis leuissimis quærimoniis grauissima Regni negotia interturbare, ita respondeo, Torunenses id tantum dicere & non probare. At ego contra vos tot testes producere possum, quot ipse Senatores Ecclesiasticos & Seculares, quot Nuntios de vobis prædicantes non semel audiui, vos cum vestri similibus hoc agere, hoc moliri, vt maxime cum Rempubl. laborare intelligitis, tum potissimum in Comitiis Regni per vestros Emissarios Comitia turbetis, vestra in præiudicium iu-

rium

rium Ecclesiasticorum promoueatis, & stabiliatis. Et hoc est, quod Orator obiicit vobis: Hoc est, de quo queruntur Catholici, Senatores in Comitiis iam fastidiunt, quodque videns Rex noster Serenissimus dolet ac ingemiscit. Quid enim ille ipse Proszouiensis & Srzedensis Conuentus Nobilitatis, cum vestris querelis habuit, ad quem vos alia omnia agentem, cum vestris obsoletis fabellis, molesti interpellatores, venistis.

Quod si necdum id probabile fortasse vobis videatur, vel ex ipsis vestris statutis, quæ Anno 1595. in Synodo vestra Torunensi condidistis, vos conuincam. Legite Canonem sextum, an non in eo disertis verbis statuistis, vt vestri Superintendentes, omnibus intersint Comitiis, siue per se, siue per suos procuratores, quo possint quibusdam negotiis prospicere, hoc est, vt quidam Anonymus, qui absurda horum vestrorum Canonum in lucem edidit, interpretatur: Religionem Catholicam & Rempubl. perturbatis Comitiis pessundare. Bene ne an male explicauerit, non disputo: Illud tantum addo: Mirari vos non debere, quod ita ab illo vester Canon explicatur. Cum verba Patris Edmundi Campiani, quibus nostræ Societatis homines significauit, sanctum iniisse fœdus in salutem Anglorum, Patronus vester, in salutem; hoc est, in perniciem & Regni euersionem, fuerit interpretatus. Videte ergo, Torunenses, quomodo aspersam vobis labem expurgetis. Videte, quomodo non iniuste egeritis, contra nos accusationem publicam instituentes, nobis non appellatis. Sed vos iam video pro more vestro, hoc tantum curare, vt cum coram nobiscum agere non audeatis, in nos absentes inuehamini. Quod ne temere dictum a me putetis, placuit hoc loco, quoddam factum vestrum, huius veritatis insigne argumentum apponere.

Cum Rectorem Collegii Torunensis Anno 1612. agerem, Nobilitas Torunio circumquaque adiacens, præsertim Cuiauiensis, & Dobrzynensis, pertæsa filiolos suos,

suos, proinde studiorum emporio priuatos, alias ciuitates remotiores adire: urgere modis omnibus, aures meas querelis fatigare, vt ludum literarium frequentandum aperirem, institit: hoc sæpius inculcans, quod in publicis Regni Comitiis statutum sancitumque est, illud secure & citra omne periculum, & effectum suum sortiri, & a me perfici posse. Ego non inscius, ibi esse multam salutem, ubi multa forent consilia, & omnem substantiam festinatam, minui cito; diligenti rationis trutina, vna cum domesticis rem ponderans, ad Antistitem Culmensem, Mathiam a Konopat Konopacki, cucurri, & totius Nobilitatis supplicatione quotidiana palam facta, viri prudentissimi consilium, quid facto opus esset, expetii. Tum ille animum addere, & reluctantem mentem exstimulare, qua suasionibus, qua monitis orare, obsecrare, obtestari, vt postes Musis perenniter dedicatos reserarem, & publicas lectiones prælegi curarem. Ita negotio cum Reuerendissimo Culmensi satis agitato, & cum aliquot Palatinis, etiam Prussiæ, cæterisque viris primariis pertractato, insuper edicti Comitiorum authoritate fulto, & abunde obfirmato, cardinibus Scholarum recludendis, animum simul & manum admoui. At quas tum procellas suscitaui? Feruebat Burgrabius cum Consulibus odio contra nos: ruunt ergo omnes in commune, & factum nostrum indignati, conuitia iactando, principiis serio obsistendum, inclamant. Et actutum Secretarius Ciuitatis ad me ire iubetur, tum precibus, tum minitationibus egregie instructus. Excepi hominem perorantem, & tum melle conditam, tum minis obarmatam, oratiunculam flocci æstimans, re infecta dimisi. Quid deinde? audite ius fasque Torunensium. Clam malo dolo, malis artibus vsi Torunenses, Legatos ex Senatu & plebe, cum suo Secretario, magno scilicet buccinatore, mittunt Lubaniam ad Reuerendissimum Culmensem. Huc vbi delati, Secretarius vna hora tantam congeriem ca-

lumniarum effutiuit, tot portenta probrorum & chymæras contumeliarum euomuit, vt quidquid pestiferum cerebrum Arnoldi, quidquid Erynale caput Misseni ementiri potuit, id ille vnus mendaciloquus Orator complexus fuerit. Iamque ille colophonem declamatiunculæ monstrosæ imponebat, & ecce significatur Reverendissimo, Patres Societatis (is erat P. Ioannes Vberus, eo à me non ignaro, quid agerent Torunenses, respondendi causa missus) præ foribus adesse. Tum Reverendissimus: en opportune, inquit, qui obiecta diluat, venit. Illi audito nomine nostro, colorem faciei immutare, simulque admissa pallescere culpa, simul tergiuersari, ac certamina detractare cæperunt; Nihilque sibi esse nobiscum negocii, quippe, qui contra Patres Torunenses nihil haberent, sunt protestati. Verum Pater, Societatis nomini notam inustam inique, tot aceruis mendaciorum congestis, ingemiscens, ad confutandas illas omnes calumnias è vestigio, vrget, hanc sibi orationem in scriptis tradi, Reuerendissimumque obsecrat, id ipse pro sua authoritate, vt efficiat. Sed nulla ratione hoc eis persuaderi potuit (licet Reuerendissimus etiam abeundi potestatem, è suo Castro illis denegare velle, videretur, ni facerent) asserentibus, se absque Senatus consensu, id neutiquam facturos: qui non nisi verbis, & non scripto hoc negotium expediendum illis, in mandato dedisset. Nec est, aiebant, quod offendantur Patres, quæcunque enim perorando diximus, non in nostris capitibus fabricata; sed in libris pridem diuulgata, huc attulimus: (quod est Torunensibus vsitatissimum: Nam & in hoc ipso, quem refello, libello, nihil novi attulerunt, nec Oratorem nostrum, cuius orationem refutandam susceperunt, vt maxime optabant, refutarunt; sed eum duntaxat figmentis veteribus, & calumniis ex alienis libris petitis, & iam toties luculentissime refutatis, ne nihil agere viderentur, impleuerunt.) Nam & quid illis, qui Torunii degunt,

vi-

vitio demus, non habemus, nisi quod ex illorum Scholis periculum Ciuitati creari pertimescamus. Ad hæc cum illis Pater modeste respondisset, nec licere ex libris famosis, accusationem in innocentes coram tali Senatore instituere docuisset, & Reuerendissimus seuere eos monuisset, vt Patres, quorum inculpatam testarentur vitam, diligerent. Constitutionem porro ab vniuersis Ordinibus semel latam, abrogatum iri, nullatenus sibi persuaderent, ab se illos dimisit. Reliquis abeuntibus, Secretarius Reuerendissimo supplex factus, petiit, ne dicta sua aduerso acciperet animo; se coactum Senatus parere mandatis: nihil de suo prolocutum. Hæc ego omnia non tam ex ore Patris, vel Prælatorum, qui inibi aderant, quam ex literis Illustrissimi Episcopi, ad me tunc scriptis habui. Ita Torunenses lucem perosi, absentibus Iesuitis, omnia quidem dicere, iniurias prætendere; coram conscii illorum æquitatis, ne hiscere asueuerunt.

CAPVT III.

Per summam calumniam, Militi sedit[i]oso in opprimenda Ciuitate Torunensi comparamur.

Illud quoque indigne, inter cætera fuisse factum à Torunensibus, docuit Orator noster, quod in Comitiis Srzedensibus, & Proszouien. tempus Reipub. negotiis deputatum, potissimum vero malis quibusdam prægnantibus auertendis consecratum, quæ perniciem non priuatorum duntaxat, facultatibus pollicebantur, sed vniuerso Regno certum, ni mature illis occurreretur, minabantur exitium, intempestiue suis narrationibus extraxerunt: eaque illi Conuentui obtruserunt, quæ ab eo plane fuere aliena. Hic Anonymus, quia suos Torunenses, in tam manifesto peccato, non potest excusare, eorum tamen factum, sic eleuare conatur. Atque vt omnes intelligant, nihilo ipsum prudentiorem & fi-

deliorem esse Oratorem, quam hactenus fuerit Argumentator, libuit hic aliquam orationis eius partem, quam ipse grauiter per Apostrophen ad suos conuertit Torunenses, apponere. Non obscurum, inquit ille, fuit vobis, Torunenses, Conuentus ob solutionem Confœderato militi faciendam à S. R. M. indictos fuisse. Grauis sane Oratio; sed vt initio parturiunt montes, ita in extremo nascetur ridiculus mus. Bene dicit Anonymus, non obscurum fuisse Torunensibus, quid ad illum Conuentum Nobilitatem Polonam exciuisset, quod adeo notum clarumque toti Regno fuit, vt nisi hoc Torunenses viderent, soli plane in tanta luce cæcutirent. Porro cum res sane alienissimas, illis Regni difficilibus negotiis intruserunt, liquet vel Anonymum falso eis eam lucem, quam non viderunt, affingere: vel certe tantum lumen eorum lippientibus oculis tenebras offudisse, vt iam obscurum esset iis, quid illum Nobilitatis Conuentum coëgerit. Verum, addit Anonymus, Iesuitarum Practicas artes, & de facto susceptos in turbanda Ciuitate vestra progressus, non inferiores esse Confœderatorum pressuris, paremque horum esse conditionem iudicastis. En ridiculum illum murem, e tam magnificis natum principiis. Quis vnquam eo impudentiæ Torunenses deuenire posse, sperasset, vt nostram Societatem quam vniuersa Polonia, vt sibi vtilem, summo semper complexa est studio, eiusque salutares, promouit conatus; eam seditioso militi, qui in caput patriæ, vt ipsi sentiunt, coniurauit, parem iudicarent. Sed esto, fuerint hæc vera, licet falsissima sint, vt infra ostendam. Num ideo vobis licuit aliud quidpiam illi Conuentui obtrudere, præter ea, quorum gratia fuit institutus? Nunquid deerant plurima alia, eaque grauissima Reipub. afflictæ negotia, illi, quod tunc maxime vrgebat, persoluendo militari stipendio, minime inferiora? de quibus tamen, nec Rex, nec Senatus, ne Nobilitas verbum fieri vllum in illo Conuentu

vo-

voluerunt, vt quam primum ab hac vnica Rempubl. eriperent calamitate, ereptamque in pristinam assererent libertatem & quietem; quæ etiam præcipue res Senatum ad Generalia Comitia coëgerat. Sed vos, nihil aliud per eam occasionem quæsistis, quàm vt eam, quam exorsi eratis pridem, telam contra Iesuitas, tandem ad finem perduceretis, & quod quieta Republ. assequi non poteratis, turbata saltem inueniretis, more piscatorum, qui turbida magis, quam limpida torrentis aqua, pisces suis retibus comprehendunt.

Sed redeo ad propositum Patroni Torunensium. Duabus ille rationibus conatur quidem, sed nihil facit; probare Iesuitas pares esse Confæderatis Militibus. Primo, quia inquit ex fonte Confæderatorum Militum ebullierunt. Secundo, quia iisdem, quibus & illi tenentur legibus; nisi quod Confæderati vi, & aperto Marte in alienas opes inuolent; at Iesuitæ fraudibus & dolis easdem diripiant. Sed hoc, qui vnquam de nobis præter Torunenses, & alios Hæreticos aliquos dixerunt? Atque vt & ipsi eandem cum aliis de nobis inbibant opinionem, eant & legant Historiam, quæ vitam Fundatoris nostri B. Ignatii de Loiolla continet, militis quidem, & Ducis Militum; at non eorum, qui tristes, patrioque tinctos sanguine mucrones, in viscera suæ ipsorum dolentis patriæ acuerint: Sed qui pro incolumitate eiusdem, strictis ensibus obuiam ierint, & ne illa occumberet, vitam sanguinemque suum fuderint: Qui tamen sæculi militiam in spiritualem commutauit, & posito clypeo galeaque, arma contra spiritualia nequitiæ, inuisibilesque potestates feruidus capessiuit, exercitum collegit, eumque vt fidelis Imperator Regis sui, cui se probauit, signis centuriarum, in omnes orbis partes dispertiuit: per quem veritatis Euangelicæ lumen apud infideles proferret, Hæreseon Labyrinthos apud incredulos euerteret, scelerum chymæras apud fideles expugnaret, omnes ad veritatis amorem, sceleris

ris odium impelleret. Eant & legant eiusdem fortissimi Imperatoris, Sanctissimi Fundatoris nostri, leges & statuta, quibus ille hanc Societatem, suumque exercitum vinxit, & stabiliuit. Videant & eam viuendi rationem, quam tot Sanctissimi Antistites Romani, Christi Vicarii, vniuersumque Concilium Tridentinum S. R. Ecclesiæ, vt sanctam & in qua digitus Dei esset, vnanimi assensu approbarunt: tot deinde Principes vsu ipso Reipub. quisque suæ, fructuosam esse experti sunt & testati, quod in suis ditionibus domicilia nostrorum hominum excitarunt: excitarunt autem vniuersi, si eos excipias, non qui Iesuitas proprie; sed Religionem omnem Catholicam exosam habuerunt. Henricus certe Galliæ Rex, acerrimo & perspicacissimo Vir iudicio, licet sinistris aliquando de nobis opinionibus imbutus, vbi tamen res nostras penitius inspexisset, dictitare solitus est: Societatem nostram a nemine vituperari posse, nisi qui non nosset, aut inuideret, eamque in omnem postea vitam ita complexus est, vt non modo quam plurima Societatis Collegia in Galliis stabiliri curaret, sed & cor suum tanquam amoris domicilium, & summum erga nos beneuolentiæ argumentum post mortem, Flexiensi Collegio nobis constructo dari voluerit, & ibidem ex vniuersa Nobilitate Gallica, iuuentutis Seminarium fundari, cuius cura omnis & institutio penes nos esset. Nec suo Regno contentus, etiam ad Constantinopolim nostros commorari, & in diuersissimum orbem ad Canadas, & nouam Franciam cum suis coloniis deportari curauit, ne latius nomen Gallicum, quam Societas nostra propagaretur. Taceo reliquorum Principum Christianorum studia in hac Societate promouenda, Imperatorum, Ferdinandi, Rudolphi, Mathiæ, Regum Hispaniæ, tam in Hispania ipsa, quam vtrisque Indiis, & quod vos potissimum male habet, trium iam Regum nostrorum Regnique vniuersi, propensissimas in nos voluntates; vt mirum sit, vos & aliquos

quos gregarios vestros Euangelicos, ita solos sapere, vt non solum publico huius Regni; sed totius orbis, Christiani iudicio audeatis refragari. Nunc vero, est ne operæ pretium, vt putidam illam calumniam confutem, qua nos malis artibus in alienas possessiones grassari, hoc loco in genere asseueratis? an æquius fortasse fuerit, nos de vobis in hoc genere conqueri: qui domum pro qua pretium numerauimus, inuasistis, decennio possedistis, fructus, qui ex ea percipi poterant, in rem vestram, nullo iure, summa audacia conuertistis, & cum hæc omnia palam feceritis, audetis tamen adhuc negare, & in nos omnem culpam transferre, sed quam recte dispiciamus.

Ait ergo Patronus vester: domum illam non integram a nobis persolutam, sed mediam emptionis iure, mediam donationis acquisitam; quæ, quia inofficiosa erat; cum præteriti fuerint cognati, & contra ius Culmen. oportuisse nos asseuerat, litem ingredi cum hæredibus, non cum Torunensibus, qui, sicut non erant possessores illius domus, sic nec fructus ex ea percipiebant. Quid est, quod audio! tune dicere audes, domum hanc non integro pretio à nobis emptam? videte incredibilem impudentiam: quæ miserum hunc, nullam veritatis rationem habere coëgit, vt Torunensium hostili contra nos obsecundaret voluntati. Consuluisses impudens homo, tabulas publicas, Chyrographorum cautiones, pacti & conuenti formas: priusquam hanc vanam futilemque narrationem exorsus fuisses. Inspexisses etiam Regium decretum, cuius authoritate, conuicti Torunenses, & domum nobis restituerunt, & nos veros ac legitimos eius possessores pronuntiarunt: tu temere hanc de nobis fabulam inaniterque effutiuisti. Ius etiam Culmense violatum queritur! O iurisperitum consultissimum; Nihil de hoc imminuto iure, Serenissimi Regis Majestas; nihil Assessorum prudentissimorum authoritas; ille solus inuentus est, qui

 hanc

hanc iniuſtitiam deprehendit: quaſi vero iudices patriæ ſtudioſiſſimi, & Rex vigilantiſſimus, cuius eſt iura Regno dare, eaque interpretari, & ne quid detrimenti patiantur, diligenter videre; ſuo muneri indormierint, niſi ipſe ſuis conuitiis illos excitarit.

Addo & illud præterea Torunenſes, nunquid cum hæc ipſa cauſa coram Sereniſſimo Rege ageretur, veſtram hanc querelam, veſtrum hoc ius Culmenſe non expoſuiſtis? qui tamen eorum, quæ vobis reſponſa, & in Decreto Regio expreſſa ſunt, quomodo illud ius, explicatum, quomodo veſtra commenta, potius quam argumenta confutata non recordamini? Quam vero cohærent inter ſe illa, quæ iſte narrat, cum litem illam nos ingreſſos cum hæredibus, non cum Torunenſibus pronunciat, iudicate. An enim hæredes iſti, non fuerunt Torunenſes? Et ſi non Torunenſes, cur ergo vos illas ædes, iure Retractus Culmenſi ad Torunenſes pertinere, non ad nos, coram Regio iudicio affirmaſtis, vrſiſtis, & veſtram iniquitatem, ob non extraditam nobis domum, defendiſtis. Torunenſes igitur poſſeſſores illius fuerunt, ac proinde & fructus ex illa perceperunt; & quomodo non perceperunt? quibus pecuniam inquilinus reddebat. Cum enim domum illam nobis Regio Decreto adiudicatam, ab iniuſtis poſſeſſoribus repetiuimus: accurrit inquilinus, orat, obſecrat; ne ſe inde abire iubeamus: quamobrem? ipſum dicere putatote: Habebat ædes illas a Torunenſibus, certo precio ad certum tempus conductas. Conduxit inquilinus apud Torunenſes: locarant ergo Torunenſes: quid igitur dicunt? Nec ex ea fructus percipiebant: at quis credet hoc: vt is, qui fundum locat, nullum ex eo fructum capiat? licet fortaſſe id etiam accidere potuit. Nam, vt eſt apud Comicum: Male parta, male dilabuntur. Intelligat ergo nunc Anonymus, an non ipſe Hæretico excæcatus odio, contra apertam veritatem Oratori obiiciat: Ieſuitas excæcatos odio, contra apertam

ve-

veritatem Torunensibus imputare, quasi domus huius controuersæ possessores fuerint (quod verissimum esse, ostensum est) & fructus illius perceperint, quo nihil manifestius.

Et ne querimoniam illam, de rebus alienis iniuste à vobis possessis, solum Iesuitarum esse putetis. An non multis annis, Sacræ Torunensis Monasterii virgines; vobiscum de bonis immobilibus, illi cænobio ablatis litigarunt? quæ vos tandem, post multas tergiuersationes, & annos, decreto & Regis, & Tribunalis, non vno adacti, tanquam malæ fidei possessores, nolentes, volentes, restituistis. Decem millia florenorum monasterio illi persoluistis, & nedum vos Priuilegiorum ad Monasterium illud & hospitale spectantium, iniustæ detentionis crimine liberastis, salua actione Monasterio, si aliqua occasio se adhuc obtulerit relicta. An non & Patres Franciscani, queruntur de vobis, quod eorum possessiones, templum videlicet Deiparæ consecratum, Monasterium, & duo prædia, eripueritis, erepta in vestros vsus Sacrilegos, per summum nefas conuerteritis? Eadem est querela & Antitistum Culmensium de templis non paucis Torunii; & extra à vobis ademptis. Queruntur iidem, aliquot etiam lapideas, templo St. Ioannis vicinas, quæ olim Sacerdotum illius Ecclesiæ erant domicilia, à vobis occupatas, vestræque habitationi attributas.

Ab hac itaque labe, & ab his tam manifestis rapinis, imo Sacrilegiis, quibus tenemini, prius vos purgate, & tum demum Iesuitas iniuste alienorum bonorum possessionis, libere poteritis arguere: sunt culpanda etenim, quæ non commiseris ipse, ne dum alium peccati insimulas, ipse eiusdem, atque etiam grauioris sceleris, reus tenearis. Sed neque fortasse mirum esset, si nos aliquam possessionem ad vos aliquando spectantem occuparemus; cum vos nostras eripueritis: verumtamen tantum abest, vt nos vestras aut alienas facultates malis

artibus, inuaserimus; vt etiam nostras, quod non huic solum Regno; sed toti mundo notum est, relinquamus.

CAPVT IV.

Iesuitæ Torunii degentes, sunt veri Cooperarii Plebani Torunensis.

Quia nimis leniter se cum Iesuitis egisse, sibi visus est Patronus Torunensium, cum eos militi confæderato pares fecit in perturbanda & premenda ciuitate Torunensi: vt suis gratificetur Torunensibus, & quam cari acceptique simus apud Hæreticos, manifestum faceret: adiecit, & hoc ad cumulum calumniarum, vt pronuntiaret Iesuitas etiam deterioris esse conditionis (vel vt ille elegantius) deterioris esse frontis, quam fuissent Milites Confæderati. Cur ita? Quia gloriantur, inquit, se a Parocho Torunensi pro Cooperariis, adscitos esse. Magnum vero & inexpiabile scelus. Ergone ideo Iesuitæ sunt Confæderatis deteriores, quia se à Parocho Torunensi pro Cooperariis adscitos gloriantur? Quam rectius & ad propositum suum accommodatius dixisset Anonymus, si Iesuitas vltro, nec rogatos, aut per vim in hoc officium se intrusisse, fuisset mentitus. Sed sicut hoc contra veritatem finxisset, ita & illud est commentus. Cum enim Iesuitas sese iactare, quod eos Parochus Torunensis in Cooperarios adsciuerit, docet; quis, vbi, quando, apud quos, ea de re fuisset gloriatus, e tanto numero proferat vel vnum. Sed cum id præstare, licet in re adeo leui, nimis arduum sit pro Anonymo, ad calumnias, commune Hæreticorum omnium perfugium conuertitur, & Parochum Torunensem, quem ille benefactorem nostrum appellat, a nobis ex ædibus Parochialibus exturbatum, & in perpetuum possessione illa exclusum asseuerat. O miserum Plebanum Torunensem, qui tantam iniuriam accepit a Iesuitis. O infælicem, cuius iniurias aliquot, Antistites

Cul-

Culmenses, a tanto tempore viderunt, & tamen siluerunt; viderunt & tot Catholici, nec tamen indoluerunt, aut vindicarunt. Soli Torunenses, & hi quidem Hæretici, afflicti Plebani calamitatem miserati, pro eius iniuriis verba fecerunt. O insignem Torunensium pietatem! O nouum & admirandum studium Hæreticorum hominum, erga Parochum Catholicum! O incredibilem tuendi eius iuris, ac per vim ereptæ possessionis vindicandæ, curam ac solicitudinem! Sed num ille ad vos, vestrumque præsidium aliquando confugit? Num opem vestram implorauit?

Nollem hanc, iam toties ab aliis recoctam cramben, iterum atque iterum, cum Torunensibus recoquere, tam manifestum eorum commentum refellendo, Iesuitas dolo fraudeque, in officium, ædemque Parochi Torunensis irrepsisse. Sed quia ipsi, hoc adeo odiosum epulum, illud toties edendo, minime nauseant: vincam & ego, licet nauseabundi stomachi mei fastidium, & ex proposito separato capite, de nostra Torunii habitatione in ædibus Parochialibus, ex consensu Parochi, & authoritate Culmensis Episcopi, cum Torunensibus disputabo: vt tandem aliquando, hanc cramben toties recoctam fastidiant. Interim vero dicant nobis, num Parochus domo, quam Torunii inhabitet, careat? vnde illam habeat? An non longe ampliorem, quam prior sua esset, & magnificentiorem ab Illustrissimo Episcopo Petro Kostka, & Venerabili Capitulo, suo assensu, in commutationem accepit?

Sed Torunenses nimis in alienis rebus curiosi, caussam fortasse, cur Iesuitæ a Parocho Torunensi, pro Cooperariis adsciti essent, requirent. In vestrum caput idipsum, Torunenses quæritis: vos, vos enim huius rei caussam attulistis, qui cum bona illius Ecclesiæ, ex quibus Parochus viginti Vicarios alere potuisset, diripuistis; ille demum adactus est, vt cum ipse cum duobus duntaxat Vicariis, labori nullo modo sufficeret, nos tandem

dem in partem oneris aduocaret. Qui enim tres Sacerdotes, tantæ multitudini, qualis Torunii est, tum aduenarum, tum incolarum, nisi mille manus haberent, satisfacere possent? in pænitentium confessionibus excipiendis, infirmis, & ex hac vita decedentibus assiuuandis, rudibus instruendis, concionibus ad populum habendis, quæ Torunii singulis Dominicis & Festis diebus, ternæ e pulpitò habentur. Cui tanto oneri, ipsi etiam nostræ Societatis homines, licet impigre in eo versentur, vix pares esse possunt.

Atque hic Anonymus, dum de Ministeriis nostrorum, nominatim vero de Confessionibus excipiendis, fecisset mentionem, temperare sibi non potuit, quin ad contumelias, tanquam ad asylum, more suo, se se præceps converteret. Quid ergo affert noui? Veterem cum reliquis tundit incudem, & toties iam ab aliis decantatam cantilenam recinit. Dicit: ancillas Ciuium Torunensium, nostrorum Confessiones, vt plurimum auersari. Quid ita? Quia, inquit, conqueruntur multos sibi scrupulos iniici, in peccata occulta, & ne cogitata quidem, minus pudice & verecunde ab iis inquiri. Phui, quid tibi cum ancillis Anonyme, vt earum patrocinium apud Senatum amplissimum & Equites Polonos suscipias. Tuam sane hanc ancillarum defensionem, inter prima capita tuæ contra nos actionis positam, quis quis leget, mira de te, ancillarum patrono, cogitare illum necesse erit. Unde huic homini, tanta cum ancillis familiaritas? Unde ancillis cum homine hoc, tam secura confidentia? Siccine res suæ conscientiæ secretas, adeo familiariter, cum hoc pudico viro communicant? Tacuisses ista facius, Anonyme, ac tuæ bonæ existimationis rationem habuisses. Miretur vero iam vnusquisque; quod talia in eos homines, quorum integritate nihil mundo notius est, ex ore pleno impuritatis, impudentissime effutieris. Neque ego hanc tam insignem calumniam, pluribus hic confutare statui. Si-

qui-

quidem illa a tot grauissimis ac integerrimis viris est confutata, vt si aliqua ex iis vellem excerpere, bonam huius libelli partem implerem. An non mendacissimum illud commentum, de stupro ac nece Virgini illata a Iesuitis Monachiensibus in Bauaria, Serenissimi Ducis Imperio Solenni diplomate detectum, & dissipatum est? An non & illud impudentissimum mendacium de Iesuitis, mandato Serenissimi Regis Stephani, infami supplicio Cracouiæ in Polonia, ob enormia facinora destinatis, eiusdem Serenissimi Regis publicis literis ac sigillo corruit? Quid ergo Torunenses eundem semper trahunt funem? Cur nos iisdem incessere non desistunt calumniis? Cur Iesuitas, secundum normam speculi erecti a Cardinali Ditristain, in Confessionibus audiendis procedere calumniantur? quem etiam librum adeo impudicum & infamem, Iesuitis authoribus lucem aspexisse, in illo suo infando de Iesuitis e Regno Poloniæ eiiciendis Consilio, Torunii impresso, affirmare non erubescunt. Cur ad hæc mendacia & calumnias, tot tam luculentas Virorum Illustrium responsiones non legunt. Ad R. D. Ziemecki, Archidiaconi Pczewiensis, & ad R. D. Cichochi, Parochi Sendomirensis, ipsiusque Illustrissimi Cardinalis a Ditristain? cuius etiam toti mundo notæ integritati, impudicus hic tenebrio, tantam obscænitatis notam inurere non veretur. Eant ergo Torunenses, & ad suas calumnias & crimina, responsiones ac refutationes videant: iisque lectis, vel responsiones, si eis non acquiescunt, refellant; vel si refellere non possunt, sileant, & eandem tundere incudem, tandem aliquando desistant; vel certe noua, quæ nobis obiiciant, crimina comminiscantur. Sed difficile est, lupum aratro iungere, & Torunenses ac reliquos Hæreticos, a maledicendi consuetudine abducere: quibus sollenne ac pene innatum est, calumnias, licet vel millies sint refutatæ, iterum atque iterum recudere, fabellas de Iesuitis sparsas semper in ore habe-

bere: quod cædis Henrici Regis Galliæ sint authores, quod quemcunque Tyrannum licere occidi doceant, quod Monarchiam persuadeant &c. quæ tamen nunquam probant.

Atque extrema huius capitis parte, committere non possum, quin pauca de criminibus obiectis, verba faciam. Atque illud inprimis, quod de scrupulis inijciendis dicit Anonymus, nescio, an improbitatem magis Hæreticorum prodat, qui dum modo quis non Sacrilegus, non homicida, non fur existat, securos esse iubent: an vero nostram pietatem commendet, qui etiam in rebus paruis timorem Dei fidelibus incutimus. Deinde sit ita; dicant ancillæ, quod volunt: nunquid arbitrio illarum, hac in re tam graui standum est? Constat Lutheranorum Ministros, Confessiones pœnitentium, non nisi ad libitum illorum excipere.

Ad secundam porro partem, nihil de nostra integritate tangendo, vtpote, quæ iam sit toties stabilita & defensa, respondeo: nos non nisi vel cum hominibus iis, de peccatis quæstiones instituere, qui ob imperitiam & rudem ignorantiam, peccata sua non agnoscunt, vel ea confiteri non sciunt; vel ea duntaxat rogare, quæ Sacramenti necessitas requirat, & castæ aures patiantur. Sed de hac materia homini Hæretico, non expedit plura referre: vt tamen Hæreticorum & in criminando impudentia, & mira quædam illorum Ministris innata huius vitii familiaritas pateat, pauca admodum ad calcem huius capitis attexam. Ac inprimis, nolo, breuitati studens, vt possem, tot exempla eorum, qui manifeste huius sceleris, in hoc ipso nostro Regno conuicti sunt, huc adducere, quibus plurimi libelli contra ipsos editi sunt pleni: hoc tantum dico, vix aliquem hactenus Ministrum Hæreticum repertum fuisse, qui sine vxore aut scorto viuere potuisset; nullam prouinciam, & vix aliquam ciuitatem inuentam, in qua illi essent, quam non huiuscemodi abominandis facinoribus

pol-

polluiſſent. Qui enim alii, ex hiſce ſtirpibus & ramuſculis, fructus poterant expectari, quam, qui ex ipſo, ex quo hi prognati ſunt, trunco prodiere, imo ſi alios fructus dediſſent, ſuam plane viciſſe naturam dicendi eſſent. Quam enim caſtus, quam pudicus, quam continens, primus ac præcipuus Patriarcha ac Parens omnium Prædicantium, Lutherus fuiſſet, egregie Eraſmus in Epiſtola ad Danielem Mauchium Vlmanum teſtatur: Montini lepidiſſimis literis, inquit, neſcio, an vacet nunc reſpondere. Nunciabis illi rem lætam, Lutherus, quod fælix fauſtumque ſit, depoſito Philoſophi pallio, duxit vxorem, ex clara familia Borna, puellam eleganti forma, natam annos 26, ſed indotatam, & quæ pridem deſierat eſſe veſtalis. Atque, vt ſcias, auſpicatas fuiſſe nuptias, pauculis diebus poſt decantatum hymenæum, noua nupta peperit. Eundem eleganter depinxit, & Iuſtus Baronius in ſuo opere de Præſcriptionibus: Lutherus, inquit, heri Monachus, hodie ſponſus, cras maritus, perendie Pater. Sed nec Calvinus, vt alios prætercam huic diſſimilis fuit, qui, vt Hieronymus Bolſecus accurate & authentice perſcripſit, præterquam, quod moribus ſuperbus, arrogans, ac crudelis eſſet, ita ſcortationibus ac omni ſpurciciei addictus erat, vt propter præpoſteram libidinem ac ſodomiam, publice candenti lilio inuſtus fuiſſet. Talium itaque Parentum, nil mirum eſt, ſi tales exiſtant filii; adeo, vt ipſe Eraſmus in Epiſtola ad fratres inferioris Germaniæ; eos ſine vxoribus nequaquam viuere poſſe, aſſeueret: & infra mirando dicat: Quæ malum, inquit, iſta ſalacitas? vnde tanta carnis rebellio in iis, qui ſe iactant agi Spiritu Chriſti? Et quod longe mirabilius eſt, tanta iam in his nouis Chriſti Miniſtris, carnis rebellio, vires accepit, vt neminem è ſuis, licet maxime velit, ſine vxore aut ſcorto viuere permittant: & hanc vnicam ſuæ doctrinæ ac profeſſionis, teſſeram eſſe velint, in hocque cognoſci ab omnibus, quia Chri-

ſti

sti discipuli sunt: non si, vt ille voluit, se dilexerint ad inuicem; sed si absque vxoribus non maneant. Noueram ego Vilnæ Ministrum quendam Hæreticum Popowski dictum, hominem alioqui prudentem, & grauem, qui tamen deposito Monachi cucullo, Caluini doctrinam simul & Pallium induerat. Hic, cum diu sine vxore cælebs viueret, & eam accipere sibi religioni duceret; (necdum enim se votis, quibus se in Cænobio obstrinxerat, solutum sentiebat) ab aliis Ministris sæpius de vxore ducenda interpellabatur. Sed dum in proposito perseueraret, & cælibatum amplecteretur, enimuero Ministri illum de religione suspectum habere cœperunt; rati cælibatum minime suo instituto sectæque congruere, imo e diametro plane cum ipsa pugnare. Ergo adoriuntur hominem, & in Synodo coacta ei litem intendunt, & vt de religione suspectum accusant, a qua sua vitæ ratio, cum vxorem habere nolit, maxime abhorreat. O vestram egregiam vitæ sanctitatem. O tesseram vestræ religionis insignem. O religionem pudicam, quæ pudorem ablegat, castitatem non nouit, continentiam execratur, libidini fræna laxat, scortationes amplectitur, & eos, qui scortatores esse nolint, tanquam fæces & purgamenta sui instituti auersatur, & repudiat. Hæc ipsis Hæreticis testibus, est Ministrorum Evangelicorum continentia & castitas.

CAPVT V.

Torunenses in templa Catholicorum, nullum ius habent, neque ab Antecessoribus suis traditum, neque ex vi eius pacis, quæ inter dissidentes de religione est stabilita, & à Iesuitis nunquam improbata, concessum.

Duo hic simul agam; ostendam inprimis, Torunenses iniquos esse templorum Catholicorum possessores: deinde criminationem de Confœderatione, quasi illa

illa a nobis continuo impugnetur, diluere contendam: Inde scilicet orta hæc calumnia, atque vnum cum altero coniunctum ab Anonymo: Res ita se habet. Deprehenderat Orator noster, iniquissime agere Torunenses: eo, quod temere iniustam rerum alienarum possessionem nobis obiicerent, cum illi per nefas aperte aliena sibi vsurparent: vrsit igitur, vt dicerent, quo iure ipsi aut conscientia, templa Catholica & bona Ecclesiæ possiderent? quæ res adeo illis stomachum mouit, vt Patronus eorum dicere non dubitarit. Non tenentur, inquit, vobis relegatis ex Gallia, Torunenses huius rei rationem reddere: Non est vestrum Iesuitæ cum Torunensibus, ea de re expostulare, nec meorum nomine aniles rixas vobiscum frustra texere. Itane vero? non tenentur Torunenses, quo iure templa Catholica possideant, respondere? Per quam facilis plane obiecta crimina diluendi ratio. At viri boni certe est, & qui causæ suæ fidat, suarum rerum, quo omnibus sua innocentia manifesta sit, rationem reddere non erubescere. Et cur vos multa nobis hic exprobrastis: multorum vobis rationem reddi voluistis? vt de Venetis, Anglis, Gallis, Hispanis, & multis aliis, quæ ad vos minime spectant? Iam vero si aniles rixas, de possessione Ecclesiarum disputare, causidicus vester esse putat, cur tam impudens fuit, vt etiam de domo nostra, quam iniuste per decennium occupatam tenuistis, nobiscum rixari nomine vestro voluerit, tam prolixam de ea disputationem instituendo? Respondet nihilominus Patronus Torunensium molestæ interrogationi, indignabundus tamen, nec sine insigni in nos contumelia & calumnia, eo, quod hæc res directe ferierit frontem illius & suorum.

Iure, inquit, & quidem triplici, bona prædicta possidentur a Torunensibus: tum, quia ea ab Antecessoribus suis, tanquam per manus successione quadam acceperint: tum quod a Serenissimis Poloniæ Regibus in

eorum possessione, confœderatione Regni intercedente, contra quam, inquit, vos canum latrantium more blateratis, fuerint confirmati: Sed an vel leuem spiculi arundinei ictum, hic murus Torunensium aheneus, possit sustinere, videamus.

A suis maioribus aiunt, si templa Catholica, & reliqua bona Ecclesiastica accepisse, audio; sed quos recenseant maiores? expecto: nec video. Dicite, Torunenses, quinam illi maiores vestri fuere, Catholici ne an Hæretici, a quibus has possessiones per successionem accepistis? Catholicos dicere non potestis; nam vt ex meo nihil addam, vel ex ipsis Illustrissimi Episcopi Cuiauiensis Laurentii Gæbicki literis, ad vos ab eo datis, quas in primo capite citaui, vos luce palam confutabo. Atque vt plurima ex iis literis ab ipso vsque D. Casimiro repetita, quæ ipsi per vos legere potestis, ommittam, illud tantum isthuc affero: Sane, inquit ille, cum maiores vestri tantam illam fabricam templi molirentur, cum Scholas, domiciliaque sacerdotum pia impensa pararent, cum amplam dotem assignarent Ecclesiæ eiusque Ministris; ad ea omnia Episcopi assensum & licentiam petierunt, & perfecta opera ista, ac ipsi D. Deo consecrata, in ipsius potestatem ac fidem contulerunt, quod religiosissimi homines probe intelligerent, rerum diuinarum, sacrarumque ædium curam ad eos pertinere, quos Dominus vnctione misericordiæ suæ, in opus Sacerdotale delegisset, abundeque negotii sibi fore, si publica munia, si publicas priuatasq; domos ipsi recte administrassent. Consulite Annales vestros ac ipsa primordia vrbis vestræ recognoscite, ita vt scribimus, ista se habere proculdubio cognoscetis: Quæ igitur illi summa pietate, in matris, Ecclesiæ, Episcopique, ac ordinati ab eo Parochi potestatem tradiderunt, ea vos in possessionem vestram, iterum vobis ipsis authoribus, vobis iudicibus, vindicabitis, & quidem non iure, sed vi manuque disceptando? Nos ex possessione deturbabitis, quam olim possidemus? Habemus origines firmas ab

ipsis authoribus, quorum res fuit propria: nos hæredes sumus, sicut testamento ipsi cauerunt, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita tenemus, & tenuimus. Vos exhæredauerunt & abdicauerunt semper, tanquam extraneos, & inimicos, vti contra vestri similes ab vnione S. Ecclesiæ diuisos, tot ante sæculis scripsit Tertullianus: Desinite igitur in curam & tutelam Ecclesiarum vos ingerere, quæ a Catholicis fundatæ maioribus, Catholicæ religioni in perpetuum sunt adscriptæ. Hucusque Illustrissimus Episcopus; ex quibus plane Torunenses intelligere potestis, vos vestram Ecclesiæ Catholicæ bonorum possessionē, in antecessores Catholicos nunquam referre posse, qui omnia illa bona Deo, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ donarunt, & in manibus ejusdem ac Episcoporum relicta esse voluerunt: vos contra, instituta illa & donationes rescindatis, ad vos ipsos transferatis, & ex iurisdictione exempta esse contendatis & enitamini. Possem, nisi me prolixitas orationis deterreret, multa etiam, in hoc genere ex Illustrissimi Petri Tylicki, tunc Episcopi Culmensis, nunc autem Cracoviensis, literis adducere, in quibus ille, cum primum nostros Torunium induceret, vos de his rebus conuicit, sed quia has literas vestro asseruatis archiuio, ad eas vos remitto. Hæccine igitur vos tam abominanda, tam inaudita Sacrilegia, in vestros maiores Catholicos referetis? Ab Hæreticis Antecessoribus, iam, vt video, vestram successionem exordiemini. At illi, qua fide, cuius assensu, quo priuilegio, quo iure, in hæc bona inuolarunt? producantur tabulæ, producantur decreta, producantur Reges ac Episcopi, quorum assensu hæc occuparunt? sed nempe, vt Hæretici, raptores, Sacrilegi, bona Ecclesiæ, quam matrem agnoscere nolunt, non vt filii, sed vt degeneres, & abortiui rapuerunt, violarunt, dissiparunt. His vos gaudetis maioribus, ab his vestrarum possessionum Sacrilega deducitis exordia. Verum an licite iusteque raptores, res à raptoribus ra-

ptas possideant, vosmet vobiscum expendite. Atque cum hac fide templa Catholica bonaque Ecclesiæ possidetis, vosne Serenissimis Poloniæ Regibus, tantam maculam aspergere non reueremini, vt vestras rapinas, vestra Sacrilegia, ab illis confirmata esse dicere audeatis? o impudentiam; o mendacium; nominentur isti Reges, qui tantam infamiæ, iniustitiæ, Sacrilegii notam S. R. Maiestati inussere: proferantur diplomata, quibus tantum approbarunt facinus? An non Reges Poloniæ in prima sui inauguratione, cum clauum Reipublicæ capessunt, Sacramento Iuramenti, verbis conceptis se se obstringunt, omnia Ecclesiæ iura per se sarta tecta futura? an non cum & alia iurant, saluis tamen iuribus Ecclesiæ, semper addunt? Ecce vestrum alterum ius Torunenses, id est iniuria, quam & Deo & Regibus Poloniæ per summum scelus facitis, & vtriusque nomen nefarie violatis. Ouo prognatum eodem est, & illud tertium vestrum, quod additis de confæderatione, a vobis confićta. Quæ enim vnquam in Polonia talis Confæderatio fuit, quis eam bonus admisit, per quam aliena rapere, rapta non restituere, latrociniis, direptionibus passim sæuire liceret? Id ne Confæderationis nomine, maiores nostri intellexerunt, cum eam in gratiam hominum diuersæ Religionis a nostra, admittebant? Ne ergo erretis, & Confæderationem ad diripienda bona aliena institui putetis, pauca ex protestatione Magnifici D. Brodowski, Notarii terrestris Lublinensis, facta ab eodem Lublini, in qua acta Comitiorum generalium anni 1613. quibus ille nuncius aderat, continentur, hic attexam, vt ex totius Regni sensu, quid sit Confæderatio, discatis.

Cum enim nuncii aliqui Euangelicæ Religionis proposuissent in illis Comitiis, vt sibi liceret, ex vi, vt illi male exponebant; Confæderationis concessæ, an. 1578. cum emunt bona stabilia, Ecclesias Catholicas, vna cum prouentibus illarum, quæ in illis erunt, mutare, & ad

ad suam fidem & Ministros transferre. Hoc responsum a Serenissimo Rege, a toto Senatu, & ab aliis omnibus nuntiis acceperunt. Quemadmodum interueniente interregno, post Regem, felicis memoriæ, Sigismundum Augustum, per homines sæcularis duntaxat status, propter pacem retinendam, Confæderatio est concessa; ita sub Henrico felicis memoriæ anno 1573. tantummodo ad stabiliendam pacem est adiurata. Verum in coronatione eiusdem Regis Henrici, in nullo est confirmata, imo in confirmatione libertatis, in iurium, ac Priuilegiorum Regni, statuum tam sæcularium quam Spiritualium, Ecclesiarum & personarum cuiusuis conditionis, per eundem Regem Henricum in anno 1574. in recessum, sub titulo oblationis articulorum contentiosorum, ad Comitia districtuum est relata, deinde per Regem Stephanum 1576. & post Stephanum Regem dum interregnum esset 1587. tandem per inuictissimum modernum Regem & Dominum nostrum eodem anno, & in sua Coronatione & confirmatione iurium omnium & pactorum in anno 1588. non in permutatione templorum, aut in subtractione iurisdictionis Spiritualis, iurium & Priuilegiorum Ecclesiasticorum, ciuilium & personarum cuiusuis ordinis, & iurisdictionis ipsarum; neque in constitutione iurisdictionis contrariæ, neque in subtractione prouentuum personarum Spiritualium, sed duntaxat in retinenda pace inter homines diuersæ Religionis, iuramento stabilita est: consilia vero & modus procedendi ad Confœderationem constitutus partibus inseruiens, in recessum sunt relata. Emptionem præterea, facultatum, quæ essent hæreditariæ, ad emptionem seu permutationem Ecclesiarum aut iurisdictionum & prouentuum Spiritualium, minime pertinere declaratum est. Nam quemadmodum Catholici, dum semel templum & prouentus pro fide Catholica fundarunt, iterum pro alia religione, aut beneficio etiam eiusdem fidei, permutare non possunt:

ita plane alterius Religionis homines, fundationes, proventus, Iurisdictiones Catholicorum in alteram fidem transfundendi nullum ius habent, quandoquidem ius Patronatus, non ad permutationem, neque ad diminutionem iurium & prouentum, sed ad subrogandos tantummodo Ecclesiæ propositos, hæredibus inseruiat.

Quod attinet ad partem Senatus Spiritualem circa Confæderationem, illa non ad stabiliendam permutationem, sed tantum ad pacem inter homines diuersæ Religionis conseruandam, vt subscriptiones omnium testantur, suum subscribebat nomen, atque in his subscriptionibus articulum de Confæderatione (si quid aliud nomine Confæderationis intelligeretur) excipiebat, & saluum ius Ecclesiasticum volebat. Hæc ex Actis Castri Lublinensis. Ac ne longior sim, nolo, vt iam statueram, huc producere protestationem in castro Sochaczouiensi Anno 1573. feria tertia post Dominicam Quadragesimæ, sub interregno factam, ab Illustrissimo piæ memoriæ Iacobo Vchanski, Archiepiscopo Gnesnensi, & tribus Episcopis præsentibus, Posnaniensi, Plocensi, Chelmensi, ac multis ex nobilitate sæcularis status, nomine omnium aliorum Ecclesiasticorum, & fere totius Nobilitatis Polonæ, contra Confæderationem: cum primum illa ab Hæreticis Senatui ac Nobilitati, quæ pro electione Regis Varszauiam confluxerat, oblata, & a quibusdam illorum, non ab omnibus admissa fuisset: quam Confæderationem, vt perniciosam, & contrariam legibus, non solum Ecclesiæ Christi, sed etiam Regni Poloniæ, & quæ viam omni sceleri, Hæresibus, Sacrilegiis, impunitati, cædibus aperiret; protestantur publice, se nomine totius Senatus Spiritualis, ac secularis, contra paucos illos execrari, damnare, ac nulla ratione ei subscribere. Cuperem sane hanc protestationem, tam Illustrium virorum a Torunensibus perlegi, ex qua intelligerent, an vnquam talis Confæderatio in Polonia, qualem illi commiscuntur, & qualem cuperent, fuerit admissa. Fru-

Frustra itaque Torunenses suam iniquam bonorum Ecclesiæ possessionem in Confæderationem referunt. Nam si ea aliquando a Regibus, seu Nobilitate Polona concessa fuisset: quid causæ esset, cur fere continuo Episcopi illis, de bonis Ecclesiæ direptis, litem intenderent, de iniuriis vbique expostularent, de restitutione templorum, ac possessionum Ecclesiæ litigarent? cur & ipsi Serenissimi Reges, totus Senatus, omnia Tribunalia, omnes Iudices, qui hasce causas examinant, eos iuberent, vt malæ fidei possessores, ablata restituere, e fundis male partis excedere, templa Catholica olim erepta reddere? Silendum potius vobis esset, ne dum, iam toties vestra commenta luce palam confutantur, erubescere cogamini; sed dum finem nullum criminationum in alios facitis, & vestras rapinas, Sacrilegia, fraudes, fallacibus quibusdam ratiunculis tegitis, iuste hæc, quæ maxime nolletis, auditis.

Atque vt id, quod initio proposui, tandem aliquando concludam, mirari satis non possum, qua fronte Torunenses, per insignem, vt solent, contumeliam, nostræ societatis homines, more canum semper blaterare contra Confœderationem dicant. Nam si per confœderationem idipsum, quod omnes boni intelligunt, & quam tot Reges, Principes, Senatores, ac vniuersa nobilitas Polona ad solam pacem & tranquilitatem reip. stabiliendam, vt iam manifeste docuimus, admiserunt & approbarunt, doceant, vbi nam & qui Iesuitæ contra talem Confœderationem, vel vnum verbum fecerunt, aut aliquem in causa Religionis puniendum est, vrserunt? Quod si nomine Confœderationis, libertatem Ecclesias Catholicas occupandi, facultates illarum diripiendi, occupatas iam per vim non restituendi, iura Ecclesiastica peruertendi, vt ego puto, & ipsi se manifeste produnt, & prodiderunt in penultimis comitiis Regni, intelligunt; adeone impios ac in vniuersam remp. Christianam infidos, ac perduelles Iesuitas esse volunt:

vt quam Confœderationem omnes Reges summa constantia repudiarint, omnes Ecclesiæ principes maxima contentione impugnarint, omnes Senatores, vniuersa nobilitas Catholica summi æque omnes ac infimi, totis viribus æterna obliuione obrui, sint adnisi; vtpote pacis communis inimicam, & quæ non priuatorum duntaxat facultatibus, sed vniuerso Regno certum machinetur, & portendat, imo afferat exitium & ruinam, eam a solis Iesuitis defendi & promoueri velint? Addo plus, eamne Confœderationem Torunenses a Iesuitis laudari velint, & si eam impugnent, eos more canum blaterare dicant, quam non iam Catholici, sed ipse illorum Apostolus & primarius minister Caluinisticus, Theodorus Beza, in Epist. Theolog. pag. 20. & 21. disertissimis verbis est execratus, & condemnauit. Libertatem, inquit ille, conscientiis permittere, sinere vnum quemque, si volet, perire, mere Diabolicum dogma est: Et hæc est illa Diabolica libertas, quæ Poloniam & Transyluaniam, hodie tot pestibus impleuit, quas nullæ alioqui sub sole religiones tolerarent. Hæc ille, quid hisce verbis luculentius, quid clarius? vestrumne vos, Torunenses, Apostolum more canis blaterare dicetis, qui tam vehementer, tam acriter, in quamuis Confœderationem & nominatim, eam, quam in Polonia permissam dicitis, inuehitur? næ iniurii eritis.

Sed vestra est hæc Lutheranorum & Caluinistarum natura, vt cum in aliqua Ciuitate aut Regno superiores estis Catholicis, & iisdem dominamini, Confœderationem vituperetis, & vt impia & abominanda in se continentem, nequaquam admittatis: si vero inferiores vos illis esse, contingant, continuo eam laudetis, vrgeatis, & contra eos, qui eam vituperant, verbis, conuitiis, & maledictis insurgatis, multaque eis nefaria & horrenda affingatis. Cur ita? quia cum auditis a quopiam Catholicorum, in Regno Catholico Confœderationem damnari, putatis iam vos expeti ad mortem, & bo-

bona vestra ad direptionem, quæ vos nequaquam subire vultis: cum non tanti faciatis fidem vestram, aut potius perfidiam Lutheranam aut Caluinianam, vt pro eius integritate in vltimum vitæ ac fortunarum vestrarum discrimen, venire non recusetis.

Hanc itaque Confœderationem, quam non Polonia solum, sed vniuersus orbis, vt pestem auersatur, nos cum omnibus bonis, imo & cum vestro Beza, impugnare, inficias non imus. Quod si id in nobis Torunenses reprehendunt, quod omnes omnium ordinum homines summa animi contentione faciunt, videant etiam atque etiam, quo animo sint in patriam, quam fideles Regibus, quam Reipublicæ addicti, quam pacis & tranquilitatis communis studiosi: qui hanc funestissimam pestem, non solum per se, sed per alios etiam, in nostrum Regnum inuehi expetant, eosque, qui ei resistant, summis oppugnent viribus, & omnibus modis nocere quærant.

CAPVT VI.

Iesuitæ non impedierunt, ne Religio Augustana libere Torunii exerceretur.

In accusatione sua Torunienses, coram Conuentibus contra nos instituta, hoc crimen primo loco nobis imposuerunt: Iesuitas videlicet summa ope adniti, ut Religio Augustana Torunii, ac in tota fere Prussia aboleatur, & ex omnibus Templis ac Scholis, penitus exturbetur. Id, quia Defensor noster dici tantum a Torunensibus, & non probari optime docuit; cum Torunenses vbi, & quo tempore, quo in templo, quibusque in Scholis, & per quem Iesuitam id factum esset, nec ostenderunt, nec possunt ostendere: ego actum agere nolo, atque adeo a confutatione huius criminationis supersedeo. Cum itaque hanc suam accusationem Torunenses improbatam reliquissent, eamque Patronus

Torunensium, ab Oratore non conuulsam modo, sed irrisam etiam videret, quibus eam nunc machinis propugnare, quibus argumentis ac testibus erigere, & stabilire contendat, videamus. Pro dolor, inquit ille, (spectati risum teneatis amici) quanta impudentia spiritus Iesuitici, negare ea, quæ omnibus sunt in propatulo? Nonne Vilna & Posnania testes sunt, vt de aliis ciuitatibus nihil dicam? An non is, qui templa exurit, Ministros Ecclesiæ violento conatu persequitur, concionibus, & thesibus suis in publicum editis, spe impunitatis promissa, Scholares suos, & populum ad vim Euangelicis, eorumque pietati, inferendam incitat, eamque, absque scelere fieri posse, persuadet: an non, inquam, is exercitium Augustanæ religionis turbat, & illud, ex ipsis plane fundamentis, euersum cupit? O insignem, Rhetoremne dicam an argumentatorem? qui tam pathetice, vt Rhetor, argute, vt Phylosophus, suam promouet quæstionem: criminatorem dicam verius, vtpote cuius & ipsum Pathos, & argumentum ex criminatione, calumnia, & odio, sit conflatum. Quid enim sibi vult illa inclamatio? cuius dolorem designat? nempe Torunensium Hæreticorum: qui, quod Iesuitas, licet omnes machinas adhibeant, opprimere non possunt, pene dolore crepant. Quam impudentiam spiritui Iesuitico, impudens illa Anonymi oratio adscribit? nempe illam, quam ex imis inferorum sedibus erumpens, Cacodæmon Hæreticis inspirauit. Quæ tandem illa sunt, quæ omnibus in propatulo esse dicit, ea tamen a Iesuitis negari? num quod Iesuitæ, Augustanam Confessionem impediant? at hoc, qui sciat, præter Torunenses, & aliquos ipsis similes Hæreticos, nemo inuenitur, imo nec ipsi sciunt, sed hallucinantur, & turpiter errant. Sed Anonymus testes huius rei Vilnam, & Posnaniam adducit. Longum certe saltum facit. Debebat enim probasse, Iesuitas Torunii, quod Torunienses objiciunt, & in tota Prussia Augustanam impedire religionem. At quid Vilna, quam ipse in testem adducit, &

Posnania cum Torunio & Prussia habent, nisi forte Torunenses, Prussiæ, & suæ ciuitatis terminos, Vilnæ & Posnaniæ circumscribant limitibus? Ergone is, qui Vilnæ, aut Posnaniæ scelus admisit, eo ipso Torunii, aut in Prussia illud admisisse dicendus est? O argutum caput? Deinde fuerit ita, vt non est, impedierint Iesuitæ, Augustanam religionem Vilnæ, & Posnaniæ, quid ad vos Torunenses? vos Torunii ab illis impeditam esse probate. Agant Vilnenses, agant Posnanienses, de suis, si quas patiuntur, iniuriis, sed tam Vilnæ, quam Posnaniæ Iesuitas aliquid horum, quæ illis Torunenses obiiciunt, attentasse, falsum est. Quid enim Anonymus nomine Vilnæ, vel Posnaniæ intelligit? num homines Catholicos, an Hæreticos? si Catholicos: cur ex tanta multitudine, testem vel vnum non producit, nec nominat? Si Hæreticos, nec horum, tametsi suspecti testes sint, refugio iudicium; prodeant, & si quid habent legitime attestentur. Quod vero dicit, nullam se velle facere mentionem, de aliis ciuitatibus, cur ita? proferat, enumeret, per nos licet. Sed quia nullas habet, quas numeret, facile patior, eas ab illo transiri. Pergo ad argumenta nunc Anonymi. Audacter & triumphanti similis, ac si vicisset, dicit ille? An non is Augustanam religionem perditum abit, qui templa exurit, Ministros persequitur &c. Itane vero? At si illa templa sint Arriana, vel Caluiniana & illi Ministri Ariani, vel Caluinistæ, num si quis vel hos persequatur, vel illa exurat, Augustanam pessundare dicendus erit religionem? At quid Ariani, quid Caluinistæ cum illa habent? Simile hoc plane videtur argumentum illi, quo quis perduellem quempiam Hispanum, qui multa in suo Regno patrasset, eum contra Regem Poloniæ hoc ipso deliquisse probaret. Sed valeat hoc Anonymi argumentum. At Iesuitas aliqua templa exussisse, Ministros eorum persecutos esse, vnde probat? Ad Vilnam, credo, & Posnaniam, a qua iam repulsam passus est, confugiet. At Vilnæ non Augustanæ, sed Caluinisticæ sectæ, templum ignis absumpsit.

Quid vero vos Torunenses cum templis, & Confessione Caluinianæ sectæ, quæ e diametro pugnat cum Augustana? Imo nihil iam vos cum Augustana, vt postea videbimus, quæ solum vobis per dissimulationem Torunii permissa fuit. Deinde nunquid Iesuitæ authores incendii, templi Caluinistici Vilnæ, extitere, nunquid vel iuuentus, quam ipsi in suis Scholis literis instituunt? At non contra Iesuitas, nec contra eorum iuuentutem, dum adhuc recens factum esset, ab ipsis Euangelicis, coram Commissariis Regiis, Illustribus & Magnificis DD. D. Marsalco, & Cancellario Lituaniæ, quorum alter Catholicus, Euangelicus alius erat, accusatio fuit instituta, quibus Rex Serenissimus hanc causam iudicandam demandarat, vt in authores facti inquirerent, & conuictos criminis plecterent. Illa ergo accusatio non Iesuitas, sed quorundam ciuium, atque eorum etiam, vt apparuit, innocentium, caput petebat; quos dum conuincere accusatores non potuerunt, iussi iuramento rem confirmare, cum id non auderent, decreto Commissariorum non acquieuerunt, sed ad Serenissimum Regem appellarunt. Fecit ille, vbi primum victor gloriosus, expugnato & capto Smolensco, Vilnam rediisset: quod Regem Catholicum, & patriæ amantem decebat: nam per se ipsum omnem diligentiam, in ea controuersia adhibuit: iudicare eam voluit, diem dixit, accusatores, & reos coram se adesse iussit: sed vt isti freti innocentia comparuerunt, ita illi diffidentes æquitati accusationis, noluerunt: & causam perdiderunt. Placuit tamen iisdem per Nuntios quosdam hanc eandem querimoniam in Comitiis, Anni 1613. coram Serenissimo Rege, & toto Senatu, iam plane sopitam excitare: quibus hoc responsum datum fuit: Serenissimum Regem fecisse iam ea omnia, quæcunque illa causa postulabat: Accusatores decretis Commissariorum non acquieuisse, iudicia ipsius Regiæ Maiestatis detrectasse: Comitia tantum importune & inuti-

ti-

tiliter quiritationibus, & obsoletis fabellis interturbare; nihil denique certi afferre. Ita refert in sua Protestatione M. D. Brodowski, iam ante a me citata, in qua etiam omnia illa, quæ circa combustionem templi Caluinistici a me dicta sunt, continentur. Videant ergo Torunenses, cuius oris sint; cum Vilnensem tragædiam renouant, & in qua ipsi accusatores Euangelici, Iesuitas esse voluerunt, illi eos per summam impudentiam intrudant.

Atque hæc quidem, cum ita se habeant, quam inique, quamque sine vllo veritatis vestigio, Torunenses vociferentur: a Iesuitis Torunii Augustanam impediri religionem, quis non videt? cum nullum hactenus, vel leuissimum huius rei afferre potuerunt, vt maxime optabant, indicium. Vos potius Torunenses isthæc parabola tangit, vestrum hoc crimen est, qui ad hoc vnicum, vestras omnes vires, omnes conatus, omnia studia, omnes cogitationes, omnes pene opes ac facultates conuertistis, vt religionem Catholicam, ne libere Torunii exerceatur, impediatis ac peruertatis. Et hoc est, quod Orator noster vobis obiecit. Quid enim? An non impedire Catholicam religionem est, Catholicis priuata authoritate, ius & officia ciuitatis denegare? pompam solennem, in qua sacrum Christi D. Corpus, publice per vrbem de more Torunii antiquitus recepto, defertur, prohibere, oppugnare, & perturbare, atque ad iniurias Deo & Catholicis inferendas, tumultus ac seditiones mouere, omnes alias processiones publicas seuere vetare; personas Ecclesiasticas ad ius suum vocare, Episcopis iura velle præscribere, ac eorum & Ecclesiæ iura sibi vsurpare: Catholicos omnes tanquam inuisos, latrones, ac perduelles vocare: & quod longe magis dolendum ac detestandum est, pauperes, qui in nosocomiis, a Catholicis olim extructis, & de iure Episcopo Culmensi subiectis aluntur, ad Lutheranismum compellere, denique ad proprios famulos, ac famulas, si

for-

forte eas cum morte colluctari contingat, nullum Sacerdotem Catholicum admittere? Plura me Torunenses manifestissima vestri in Catholicos odii argumenta recensere cupientem, & tempus & charta deficerent, quae quam vera, quam efficacia, & quantum momenti ac ponderis habeant, vos ipsos testes, si quid sapitis, appello, qui ex combustione quorundam Caluinisticae sectae delubrorum Iesuitas Augustanam Torunii impedire religionem, argute plane conclusistis.

Sed dum vos manifestissimis hisce indiciis, Catholicam Torunii religionem impedire conuinco, ne forte, quia hoc Iesuita dicit, non credatis, audite, quid Serenissimi Reges in suis decretis & litteris, quid Episcopi, quid Illustres Senatores hoc in genere de vobis & apud vos dicant. Legite, Serenissimi Regis ac Domini nostri, literas ad vos anno 1614. 8 Maji datas, in quibus vos, vt verus ac germanus pietatis & religionis Christianae propugnator, acriter reprehendit, quod publicos religionis Catholicae ritus, & exercitia, qualia ab ipso ciuitatis exordio (verbis eius vtor) obseruata fuere turbantes, Catholicos Sacerdotes, ne sacra ritu Catholico obeant, publicas statis diebus supplicationes instituant, impedientes; leges, ac statuta Regni conuellatis, & transgrediamini. Et quoniam ad has literas Regi, vos ipsos purgantes respondistis, libet eas, quibus & vestras excusationes confutauit, & quanto odio, in Catholicam religionem ardeatis ostendit, si quidem breviores sunt, isthic interserere. Spectabiles & Famati, Fid. nobis dilecti: accepimus literas Fid. V. quibus nobis significant, quibus de causis, ne publicae supplicationes, more Catholico statis diebus in ciuitate nostra Torunensi fierent, prohibuerint. Nam antea, cum id aliunde accepissemus, perscripsimus minime nobis probari hanc Fid. V. in praescribendis definiendisque legibus, quibus homines Ecclesiasticos teneri volunt temeritatem. Ne nunc quidem factum Fid. V. nobis placet,

cet, neque eæ rationes, quibus eo adductas se ostendunt, satis idoneæ videntur, quæ iustam excusationem contineant. Frustra enim Fid. V. metum excitandæ seditionis prætendunt, cum id totum positum sit in potestate vestra, ne tumultus in ciuitate fiant: quorum initium neque a personis Ecclesiasticis, quæ paucæ isthic & inermes sunt, neque ab ea, quæ in Scholis Catholicis eruditur iuuentute, quæ arcta disciplina continetur, & facile Præceptorum suorum animaduersione coërceri potest, orietur. Suos modo Fid. V. in officio contineant, neque quicquam noui in iis præsertim negotiis, quæ ad statum ciuitatis non pertinent, decernant, ac denique de iis iniuriis, si quæ priuatim intercedunt, ad eos, qui corrigendi habent potestatem, referant. Non dubitamus autem Fid. V. prioribus literis nostris, sedulo admonitas diligenter expendisse, quid officii eorum sit, & quid fides, quam nobis & Reipubl. debent, exposcat, de quo serio iterum monemus Fid. V. ac vt securum hominibus Catholicis in Ciuitate nostra, statum præstent, omnino volumus.

Hæc & plura alia in aliis literis Rex Serenissimus. Sed quid & vestri, Illustrissimi Culmenses Episcopi de vobis dicant, paucis accipite. Atque inprimis literas Illustrissimi Laurentii Gembicki, iam toties citatas, præterire non possum, tum ob eius feruentissimum in religione Catholica propugnanda, & tuenda zelum, tum ob eius diuinum plane & ardentem Spiritum, quo eas scripsit: adeo, vt inter feruentissimos illos nascentis Ecclesiæ Pastores, numerandus esset: quas vos literas, si eo, quo est par animo, legeretis, si ea, quæ in iis dicuntur, sedulo & accurate vobiscum perpenderetis, mirum est, quomodo non iis verborum fulminibus perculsi concideretis, quomodo ad tantum ignem, vestrum cor glaciale licet, non colliquesceret: quomodo non ei veritati manus daretis? Acerbiorem fuisse, scribit ille ad vos, nostram principio Epistolam querimini. Num blan-

blandiri vobis oportebat, cum vos iis, qui socii, fratres, planeque membra nostra sunt, grauissimas plagas inferretis? cum ad Tribunal vestrum vocaretis, mysteriorum Dei dispensatores, legis diuinæ magistros, hominum iudices, in terra a Saluatore nostro constitutos, qui eiusdem ordinationis, proprios habent iudices & magistratus? An non hoc erat spiritualem iurisdictionem euertere? an non contumeliam sacro ordini inurere? an Regiæ Maiestatis inuiolata constitit authoritas, cum & viuo & spirante acriterque resistente Parocho, a Maiestate sua præsentato, ex ipsius domo plenissimo iure, a maioribus vestris ecclesiæ adscripta, Sacerdotes Regia authoritate, Episcopi iussu in ea collocatos, eiecistis? cum spretis & repudiatis benignissimi Principis monitis, vt tantisper ab iniuria temperaretis, dum ipse cognosceret, ecquid Scholæ, ecquid Societas ipsa vobis noceret, de iure occupatæ domus apud vos dicere cogebatis? Sed ita est, vt ipsi fatemini, & Regiam authoritatem, & iurisdictionem meam, & Ecclesiasticas immutationes, intra quas vobis collibuit, metas & terminos cogitis.

Pari spiritu & Zelo, Illustrissimus Tilicki, in suis literis expostulat vobiscum, quod religionem Catholicam omnibus studiis impugnetis, Regiis decretis non obtemperetis, Episcoporum authoritatem nihili faciatis, in iura Ecclesiæ vos ingeratis, Parocho ac ipsis demum Episcopis leges præscribere adnitamini: ait enim post multa. Illud velimus, considerent, quam iniquum & intollerabile sit, si non satis habeant; si ipsæ D. V. ab Episcopo non corrigantur, si arbitratu suo Doctores, & doctrinam sibi deligant, propterque duritiem cordis illorum, in illo mentis suæ perniciosissimo, dolendoque errore permitti cogantur, nisi ipsi etiam Episcopo præscribere velint. Et post pauca iam concludendo Epistolam. Rogamus, inquit, itaque & obsecramus in Domino, vt in mansuetudine Christiana charitatem

se-

sectantes, suum cuique tribuant, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo: Regiæ collationis, & iuris est templum, ordinis & docendi in eo ratio, ab Episcopis dependet. Sinant ergo D. V. retinere vnumquemque, quod suum est: quod ex Regii quoque decreti sententia facere tenentur: non modo enim de possessione templi concedenda, verum de non impedienda quoque in posterum, pæna proscriptionis interposita, Regio decreto vobis cautum est. At quoties jam Torunenses, huius decreti pænam incurristis, qui toties Catholicæ religionis iura, in vestra ciuitate violastis? Hæccine igitur vos tam insignia, tamque Illustrium Senatorum testimonia contemnetis? Sed quid ego testimoniis Regiis, aut Episcoporum contra vos vtor. Testis est vniuersa Polonia, testes omnes ciuitates, testes omnium ordinum homines, testes ipsæ domus, plateæ, templa, ac muri ciuitatis illius, qui toties ipsorum violentias ac tumultus, contra Catholicos, eorumque sacra ac ritus excitatos, tot iniurias, rapinas, suis conspexere oculis: ita, vt domi forisque nihil aliud agere, nihil moliri, nihil cogitare, in nullam rem maiorem conatum, maius studium, maiorem industriam adhibere videantur, quam vt Catholicos opprimant, eorum sacra e suà ciuitate omnino exturbent, templa occupent, eaque suis abominandis cæremoniis contaminent. At quid tale vnquam non dico Iesuitæ, sed Catholici etiam, in Euangelicos commisere? Qua in re videre etiam, atque etiam deberent Torunenses, vtrum iura Confœderationis, quam ipsi semper in ore habent, & contra quam nos more canum blaterare calumniantur, non violent: in qua, si quando suscepta est, nihil aliud prætendebatur, quam vt pax inter homines diuersæ religionis conseruaretur; quam pacem Torunenses, tot suis in Catholicos admissis iniuriis, toties impie violarunt.

Neque e re futurum puto, vt probem ea, quæ paulo ante Torunensibus, de perturbanda religione Catholi-

ca obieci, cum iis nihil toti fere mundo ſit notius, & ipſi, quod ea faciant, inficias ire non poſſunt. Ne tamen mirentur, cur præter ſolitum in extremo, quod illis obieci crimine, vehementius in eos ſim inuectus, aut certe illud negent, (motus enim vere zelo pietatis Chriſtianæ reique ipſius indignitate, calamum inhibere non potui, quin ea, quæ ibi dixi, effunderem) vnum exemplum, cuius ego teſtis ipſe ſum luculentus, afferam. Sub id tempus, quo præeram Collegio Torunienſi, erat apud vnum ex veſtris ciuibus, in noua ciuitate, puella, quæ dum poſt multos in veſtris obſequiis ſuſceptos labores, in morbum incidiſſet, ſeque iam morti quam vitæ propiorem cerneret: Sacerdotem Catholicum, cui animi ſui noxas contractas rite aperiret, ne ſine Sacramentis e vita excederet, aduocari rogauit: aduocatur Sacerdos vnus ex Vicariis, (noſtri enim Ordinis Sacerdotibus, nequaquam ad veſtras domos huius rei gratia aditus pateret.) Quid hic vos Torunenſes? veluti ad prædam conuolatis, Sacerdotem Catholicum domum inferre pedem non permittitis, veſtrum Miniſtrum obtruditis, miſeram famulam veſtris attritam laboribus ad defectionem a fide Orthodoxa ſollicitatis, ad Lutheraniſmum cogitis: non contenti, ſi vitam præſentem, in veſtris laboribus & obſequiis amiſerit, ſed æternam etiam per veſtrum ſcelus & impietatem perderet; & quibus hic fuit famulata, cum iis, per eorum inuidiam, æternos cruciatus apud inferos perferret. O ſcelus, o improbitatem! Quid miſera hic ageret ancilla, quo ſe verteret, cuius imploraret fidem non habebat. Rogare, obteſtari, Diuinam humanamque fidem implorare, Deum inuocare, eiusque Diuinum Nomen interponere non ceſſat, ne ſuam animam perditum irent. Sed ſurdis omnia excepta auribus. Ergo ad extremum miſera famula conuerſa remedium, cupere ſe domo ejici obteſtatur, ſi aliter Catholicum Sacerdotem habere non poſſit. Dictum, factum. Iubetur illa, quæ vix pedes mouere

vere

vere poterat, & in suis obsequiis eo calamitatis deuenerat, & vitam pene amiserat, abire quo vellet: Secessit igitur in domum cuiusdam Catholici. Accedit tunc primum optatus Sacerdos Catholicus, & animi labes, rite per sacram expiat exomologesim, quod dum fecit, fœlix illa & in Hæreticorum insultibus sustinendis fortis, & imperterrita virago, religiosum spiritum Deo reddidit. Hæccine pietas vestra, hæc in famulos vestros gratitudo? hæc illorum merces apud vos? hæc stipendia? Hæccine lex ejus confæderationis, quam votis omnibus expetitis? hæc libera ejus Religionis, quæcunque illa cuipiam placuerit, profitendæ potestas? num hoc non est jura legesque hujus benedictæ libertatis perfringere? per vim ac violentiam, ad vnam Caluinisticam, seu Lutheranam sectam nolentes cogere? cæteris in sua fide liberum relinquere nihil: sibi suæque sectæ omnem licentiam afferre? Quam bene hoc impio facto consilia, cogitationesque vestras prodidistis. Nimirum non hanc vos Confæderationem exposcitis, quæ pacem inter dissidentes in Religione tueatur, hanc enim iam habetis: verum illam, quæ vobis omnem in Catholicos palam & impune debacchandi permittat licentiam: quam donec extorqueatis, (sed frustra omnino laboratis) vniuersos Regni Ordines, singula Comitia, singulos Conuentus, assiduis nescio, de quibusnam injuriis, vestris impletis deplorationibus & querelis. Sed audite, & quod longe facilis obtentu vobis est, Commissarios a Serenissimo Rege impetrate, vt illi vestras istas cognoscant injurias; verum cauete, ne tum demum liquido constet, plures Catholicos a vobis Hæreticis, quam vos a Catholicis, pressuras pati. Deum bonum, quot accusationes, quot querimonias, ibi contra vos audiretis, nec solum a Catholicis, sed ab ipsis Hæreticis, iis nimirum, qui Lutheranismum profiterentur. Iam enim misera plebs, cum sit Lutherana, vos Senatores Caluinistas bene sentit, & cum ob vestram poten-

tiam resistere, iugumque excutere non potest, gemit. Sic Torunenses, vestrum odium in Catholicis opprimendis explere, non potestis, nisi etiam vos invicem mordeatis, atque vtinam aliquando iuxta Apostoli sententiam consumamini.

CAPVT VII.

Non incitantur a nobis Studiosi, vt vim Euangelicis inferant.

Quia non veritatis tuendæ studium, sed calumniandi libido impotentem animum Patroni Torunensium inuasit, vnde & quo liberius suo indulgeret desiderio, larua assumpta, nomen suppressit suum: ideo non ea argumenta, quibus veritati, quam nullam habet patrocinetur conquirit; sed calumnias, ac figmenta, quibus nostram Societatem infamem reddat, vndequaque corradit. Est & alia huius rei causa, cum enim veritatem criminationis Torunensium, cuius se patrocinium suscepisse gloriatur, nullo pacto tueri potuisset, nec Oratorem nostrum, pro quo veritas ipsa pugnabat, refellere quiuisset: ad commune Hæreticorum contra Societatem nostram asylum, Hæreticus & ipse, ad criminationes & contumelias animum conuertit: ratus hac communi suorum via, se abunde veritati mendacio potius, patrocinaturum, neque enim veritas vnquam magis mendacio suffulta, quam se ipsa viguit. Ait ergo, a nobis juuentutem, quam in scholis nostris erudimus, ad nocendum Euangelicis, priuatim & publice incitari. Sed sicut Anonymum argumenta ad patrocinandum veritati defecerunt, ita & propria argumenta ad calumniandum non suppetebant, adeo, vt ex alienis scriptis ea furari, & in suum libellum transferre cogeretur. Quia vero hanc calumniam, Illustrissimus Martinus Szyszkowski, Episcopus Plocensis, pro suo in Ecclesiam Dei & nostram Societatem studio, clarissime

in

in ſua oratione contra Equitem Polonum ſcripta, fere ante 20 annos confutauit, ad eam vos Torunenſes cum veſtro Patrono remitto. Niſi forte ille ipſe fictus Eques ſit: ſed ſiue idem ſit, quid ibi illi reſponſum videbit; ſiue non idem, a quo tamen hanc calumniam mutuatus eſt, quid illi ad eam reſponſum ſit, legat. Placuit tamen ex illa prolixa oratione, hæc pauca hic ponere ſcripta ab eo; qui cum totos pueritiæ annos, in optimis literis apud nos poſuiſſet, experimento ſuo didicit, quibusnam præceptis in noſtris Scholis iuuentus imbuatur, & ad quos mores informetur. Non verebere, inquit ille, ſuum alloquendo equitem, tu homo omnium ſcelorum maculis notatiſſimus, collegia ſocietatis Ieſu, domicilium ſcelerum omnium, atque flagitiorum receptacula appellare? O duriſſimum os, & fuſte contundendum. Tu ſcholas Ieſuitarum, in quibus nihil niſi Sanctum, niſi verecundum, niſi honeſtum reſonat, ſcelerum atque flagitiorum officinas appellabis? Et ſic latiſſime hoc argumentum perſequitur, omnes fere Senatores, vniuerſam Polonam Nobilitatem, ac ſeipſum, in teſtes adducendo: qui omnes bonam ætatis partem in noſtris ſcholis contriuerunt, & nunc etiam ſui filii conterunt, nec tamen ex iis quicquam, præter doctrinam & pietatem exportarunt. At paulo inferius, ita equitem, qui a nobis juuenes ad omnia facinora exercitatos emitti, ſubinde querebatur, vrget. Qui, quæſo te, inquit, iſti juuenes ſunt ad omnia facinora exercitati? Si diſcipulos Ieſuitarum intelligis, mentiris turpiſſime; iſti enim non ad facinora, ſed ad omnem virtutem in ſcholis eorum exercentur. Si eos, qui inſtitutum Societatis amplectuntur, & Chriſtum ſequi relictis omnibus in animo conſtitutum habent; profecto te omnium non tantum bipedum, ſed etiam quadrupedum nequiſſimum eſſe neceſſe eſt, qui Chriſti ſeruos, pugnam cum vitiis & concupiſcentiis ſuis ingreſſos, ad omnia facinora exercitatos dicere non vereris. Hæc Illuſtriſſimus Epiſco-

ſcopus. Nec minus luculenter, Galliæ Rex Henricus quartus, in ſua pro Societate Apologia hanc diluit criminationem. Nunquam juuentus eſt, inquit, qui in Scholis Ieſuitarum necem Regum vel ſcelera didicerit. Quare totum hoc, quod illis obiicitur, nihil eſt. Triginta & amplius anni effluxere, cum in Gallia iuuentutem excolunt, centumque Scholaſticorum millia ex eorum Collegiis prodierunt: An ne aliquis iſtorum id ſe didiciſſe vel audiuiſſe a Ieſuitis faſſus eſt? Sed neque pauciores abiere anni, vt noſtra Societas in Poloniam a Sereniſſimis Regibus ac Epiſcopis inuecta eſt, in noſtris Scholis lectiſſimam fere totius Poloniæ ſobolem optimis literis inſtituimus, ex quibus poſtea alii Epiſcopalis dignitatis cathedras; pro ſua virtute & doctrina occuparunt, alii in Senatorum Collegia adlecti ſunt, multi judicum ſubſellia, & alios atque alios reipublicæ magiſtratus ſunt adepti, plurimi domicilia Religioſorum, Parochiales exedras ſumma & infima loca & munia in noſtro Regno impleuerunt: adeo, vt pauci ex Catholicis in tota Polonia reperiantur, qui non gymnaſiorum noſtrorum diſciplinam vel leuiter deguſtarint; nec tamen in tanta multitudine vel vnus eſt iuuentus, qui Ieſuitas ad nocendum Euangelicis, iuuentutem ſtudioſam clam palamue inſtigare faſſus fuerit. Verum Patronus Torunenſium, ne ſtulte hanc ſopitam iam, & toties refutatam fabulam, ſuſcitaſſe videretur, probat eam theſibus Patris Laurentii Atturi e noſtra ſocietate, viris Principibus Poloniæ notiſſimi, atque acceptiſſimi, maxime vero Andreæ Opalinski, Marſchalco Regni & Generali maioris Poloniæ, Senatori cum prudentia & authoritate in rebus gerendis clariſſimo, tum in Reipublicæ incolumitate tuenda conſtantiſſimo; atqui tantum abeſt, vt hic vir aliquid tale, contra Euangelicos machinaretur, vt etiam, qui ab Illuſtriſſimo Plocenſi Epiſcopo in ſua oratione paulo ante commemorata, magnis celebraretur laudibus promeruerit, tanquam

quam is, qui in confutandis Hæreticorum erroribus, semper adeo constans, sedulus, & prudens extiterit, vt ne hiscere quidem illi contra auderent: quod in præclaris illis tribus libellis de Ecclesia Christi in terris, contra Sadeelum editis, egregie præstitit, quibus ita os Hæretici clausit, vt ne verbum quidem respondere ausus fuerit. Huius ergo viri theses, Posnaniæ disputandi causa, vt in Scholis fieri solet, editas, Anonymus noster opponit. *Inspicite, inquit, Theses Socii vestri de Ordinatione & vocatione Ministrorum Lutheri & Caluini Posnaniæ editas, & ibidem in Collegio vestro disputatas.* Priuatim vero assertionem 22. citat, atque eam quidem in alia parte truncam & mutilam, in alia auctam & deformatam, ac pene non eius, sed suam refert. Hæc enim fides Hæreticorum est in citandis authorum sententiis, vt si suo proposito aduersæ sint, eas mutilando, augendo, ad suum sensum detorqueant, more Iudæorum? qui dum Scripturæ locum, de Christo in Bethleem nasciturо Herodi referrent, verba, quæ eius Diuinitatem aperte innuebant, vtpote sibi inuisa, subticuerunt. Docuerat ergo P. Arturus in suis illis thesibus, neque Lutheranos, neque Caluinos, ac generatim neque vllos alios Hæreticos, Sacramentum Eucharistiæ conficere vllo modo posse: ac proinde in illorum tantum cænis, illud impium Zwinglii & Sacramentarium dogma locum habere, quod Christum non contineri sub Eucharistiæ Sacramento, nec ibi vere præsentem adesse asserit; id de illorum pane, verissimum esse, & dici debere, cum nullam ad Sacramentum conficiendum habeant potestatem, & sint mere laici, nec ad Sacerdotalem legitime sint euecti dignitatem: vnde & meritissimo iure, exemplo S. Athanasii, possunt ab altare abigi tanquam fures, latrones, qui non per fores, sed per fenestram, & aliunde in hoc ouile Dominicum ascenderunt, & tremendum Sacerdotalis dignitatis munus, Sacrilego ausu sibi vsurparunt. Diuinus enim ille

Antistes, cum ab Arianis ei obiectum esset, quod suus Præsbyter Macharius in Ischiram (erat is commentitius quidam Sacerdos, & qui falso id muneris sibi arrogabat) impetum clam fecisset, & mensam Domini, in qua ille celebrabat, euertisset, poculumque mysticum confregisset, respondit, Macharium hac in re, si id fecisset, nihil peccasse; cum enim Ischiras ille sacerdos nunquam fuerit, Sacramentum verum conficere non potuit; ac proinde nec Macharium quidquam indignitatis (quod Ariani obiiciebant) in Sacramentum, quod ibi nullum fuit, committere potuisse. Ex hoc itaque D. Athanasii responso, & aliorum Sanctorum Patrum dictis, quæ citat, talem fecit Pater Arturus thesim 22. Si quæ ergo Sanctis Patribus, si quæ conciliis, si quæ Scripturis ipsis fides habenda est; Lutherani & Caluiniani cum laici prorsus existant, Eucharistiam conficere minime profecto queunt. Quin igitur (addit Anonymus, scilicet fidelis in proferendis authorum locis scriptor) Potiori iure (nam nusquam ibi hæc verba reperiuntur) cum Ischyra absque scelere huiusmodi prophanos Ministros, qui Sacerdotis munera obire non verentur, a mensa abstrahere, ipsamque adeo mensam euertere, poculum denique eorundem confringere (addit & hic Patronus) (Impune cum illi soli impune mentiri fas sit,) liceat. Atque hanc conclusionem, reliquæ illarum thesium Patris Arturi structuræ, vt colophonem, ait Anonymus, esse impositam. Sed vt in referenda tota assertione, turpissime hallucinatus est, cum & caput eius, vbi Sanctorum Patrum, Conciliorum, Sacræ Scripturæ authoritas allegantur, vt sibi inuisum absciderit, & medias extremasque conclusionis partes, pro sua libidine deformarit: ita & in illius denominatione, nescio, an stultius, quam impudentius errauit. Maluit scilicet eruditus magis videri, quam verax esse, ideo thesim illam colophonem appellauit. Sed sicut veracis, ita & eruditi nomen amisit: neque enim mendaciis vel erroribus, un-

quam

quam doctrinæ laus comparatur. Puto Anonymum in hac voce, vt quæ Græcarum literarum notitiam arguit, sibi multum complacuisse, sed vim illius minime intellexisse. Colophon enim non quiduis perperam significat; sed hac voce in ea phrasi duntaxat, vtimur, qua aliquem suo operi extremum iam apicem, fastigium, ac summam manum imposuisse significamus, cum Colophon latine id, quod extremum in vno quoque opere sit, significet; at thesis illa citata, non est extrema, cum multæ aliæ eam sequantur.

Sed non hic finis errorum, Theses hæ anno 1586. Posnaniæ fuerunt defensæ, at ille id 1590. dicit factum esse, quo anno iam in viuis non erat ille Pater. Nescio sane stultitiamne ipsius magis mirer in fingendo, an impudentiam in calumniando. Deinde itane in Philosophicis ac Theologicis disciplinis est rudis ac peregrinus, vt theses in eis proponi, non disputandi & veritatis indagandæ gratia putet; sed ad animos in seditionem armandos, ad exurendas synagogas Hæreticorum, ad nocendum Ministris Euangelicis eas scribi, & inter Scholarum parietes excuti existimet? Ex suis præceptoribus de nostris coniecturam facit, qui rudes puerorum animos, in primis adhuc elementis ad hanc impietatem informant, & nihil aliud, quam in Ecclesiam Dei, in summos Antistites, in Catholicos omnes calumnias, & mendacia auribus ipsorum inculcant: hoc inter authorum explicationem, hoc in puerorum lucubratiunculis perpetuo versant. Iam vero cum theses illæ publice, coram Illustrissimo Marsalco Regni, & aliis magnis viris Catholicis fuerint defensæ, quas & legerunt ipsi; cur tamen non reprehenderunt, nec quicquam periculi ex iis in eos, quos vos nescio, quo iure appellatis Euangelicos, deriuari posse, sunt suspicati? Dissimulassent scilicet id ipsi Euangelici, vt Palatinus Posnaniensis, Comes a Gorka, & alii, qui ea tempestate acerrimi fidei vestræ perfidæ propugnatores fuerunt, ac defensores: si

quod

quod contra suas ac tuas synagogas, aut Ministros, in illis thesibus notauissent incendium. Deinde quomodo theses illæ post eius diei disputationem, animos iuuentutis nostræ, in Hæreticos armare potuerint, cum (vt apud nos thesium, postquam defensæ sunt, nullus est vsus amplius) non comparerent, & vix alicubi poterant inueniri? Certe ipse ego, qui in Societate a 20 annis & amplius viuo, nihil de hisce conclusionibus vsque adhuc audiui, nec eas vnquam vidi aut legi, imo nec sciuissem vnquam de eis, nisi illas nunc per occasionem istam inspexissem, quarum tamen ægre vnum exemplar, in Bibliotheca iam fere a tineis consumptum inueni. O nimis vel timidos, vel calumniandi cupidos Euangelicos, qui ab iis rebus periculum metuunt, quæ iam vix extant. Tandem an recte Anonymus thesem illam ad probandum, Iesuitas suam iuuentutem ad nocendum Euangelicis excitare, assumpserit, ipse videat. Certe Pater Arturus non aliud, quam quod Sancti Patres, in sua illa thesi intellexit, eum scilicet, qui Ministrum Euangelicum ab altare abegerit, & mensam euerterit, calicemque confregerit, id facere posse sine scelere in Sacramentum Eucharistiæ (quid tandem sit de aliis) cum nullum ibi contineatur, nec alio nomine illam conclusionem defendit aut defendere potuit.

Vestrorum hoc est potius Ministrorum, vestræ doctrinæ, ac professionis Euangelicæ, turbas excitare, suos ad nocendum Catholicis impellere. Legite vestri Caluini Epistolam ad Protectorem Angliæ, qua illum ad cædem Catholicorum, quod reformationem fidei nollet recipere, vrget. Hi (inquit ille, Catholicos designando) vltore gladio coërceri merentur, quem tibi Dominus tradidit. Legite & theatrum crudelitatis Caluinistarum, peragrate vniuersam Germaniam, adite Belgium, consulite Angliam? vbique luculentissima vestræ crudelitatis, vestrorum tumultuum inuenietis vestigia. Quis in Germania subditos contra suos Domi-

minos armauit; Quis in Belgio per plurimas ciuitates tot ſtrages edidit? Quis in Anglia in Catholicos, eorumque fortunas, in tot homines Religioſos ferro & omni genere crudelitatis debachatus eſt? Nolo exempla, ne actum agere videar, huc adducere, cum iis tot alii Scriptores ſuos libros impleuerint.

Legite, quid de ſolis Hugonotis, Ludouicus Richeomus, in ſuo opere, quod Idololatriam Hugonoticam inſcripſit, & Henrico quarto, Regi Galliæ, dicauit, ſcriptum reliquerit, quas cædes illi in Gallia exercuerint; alios quidem Catholicos e rupibus altiſſimis ac turribus in ſaxa præcipites deiiciendo, alios in profundos puteos cateruatim detrudendo, aliam in alios ſæuitiam, crudelitatem ac barbariem exercendo, imo & Sanctorum Reliquias vel per ludibrium tractando, vel immaniter in eas ſæuiendo, quod ille Argumentum latiſſime perſequitur. Hæc eſt Euangelicorum Miniſtrorum laus, hæc doctrina, hi mores. Et ne quid ad ipſorum laudem pertinens ommittam, hic coronidis loco ipſorum encomia, ex præfatione monitoria Iacobi, Regis Angliæ, addam. Hic itaque Rex ſuos Caluiniſtas, quos ille Puritanos appellat, ait eſſe, homines perfidos, furtoſos, & incendiarios, legum imperiis reluctantes, peruicaces, pluſque ſe fidei reperiſſe in efferis latronibus, quam in Puritanis aſſeuerat. Addit præterea, ſe non ſolum a natiuitate continuo vexatum fuiſſe a Puritanis, ſed etiam in vtero materno propemodum extinctum, antequam naſceretur. Ac tandem, ſe in ſuo libro ad filium, multo acrius & vehementius in Puritanos, quam in Pontificios inuectum eſſe teſtatur. Hæc encomia, has paræneſes non a me, ſed a Religionis Euangelicæ defenſore & propugnatore, vt vos eum appellaſtis, accipite: & cum vos ab his omnibus probe purgaueritis, tunc primum in nobis ac iuuentute noſtra, ea, quæ objicitis facinora, juſte inquirere poteritis.

CA-

Caput VIII.

Non abutimur insolentia studiosorum, ad turbas excitandas.

Longior fortasse ac tædiosa, hæc mea tractatio de nostris Scholis, & studiosa iuuentute, cuiquam videbitur, nec Torunensibus adeo grata; cum in hac fere vna re, omnium illorum contra nos querelarum cardo vertatur. Haud illibenter tamen, in hanc arenam descendo, vt & Torunenses, licet id jam a compluribus præstitum sit, omni metu liberem, ne sibi aut suæ ciuitati a nostris discipulis metuant; ac de nobis semel sibi aliquando persuadeant, nos, si quid aliquando illi, pro suo juuenili feruore ac licentia perpetrarint (quod rarissimum est,) hac eorum insolentia, ad tumultus aliquos excitandos minime abuti, nec authores facti existere: imo in disciplina continere, omnem insolentiam seuere prohibere, inobedientes plectere. Vt ergo Anonymus probaret id, quod nunc diluere statui, assumpsit exemplum de direptione domus Domini Przeborowsky. Historiam non repeto, vtpote notam omnibus. Noluistis, inquit, Iesuitæ dedere eos, qui incendii illius ac direptionis rei erant, & apud vos receptaculum habebant, & arestum eorundem recusastis, priuilegia obtendentes, quæ ille æquitatis & justitiæ dicit, debere esse receptacula: quasi vero priuilegium ex sua notione, non sit quædam a communi iure exemptio, quæ quibusdam locis, siue ob reuerentiam, siue ob alias causas solet concedi, vt in illis juste id fiat, quod in aliis cum injuria & scelere, atque etiam contra leges fieret. Cur ita? quia ipsi rei incendii illius, imo & authores fuistis, & metuebatis, ne si incendiarios illos dederetis, illi vestra consilia & conspirationem detegerent. Difficile sane, & cui diluendo impar sim, argumentum, in quo ita sibi applaudit Anonymus, vt omnino comprehensos

ſos nos & captos, ac in extremas redactos anguſtias exiſtimet.

Sed agedum, diſceptemus parum Torunenſes, ne ante prælium trophæa erigere videamini. Sequiturne ex præmiſſis illis? (cum philoſophis enim loquor) Noluiſtis dedere reos, & areſtum recuſaſtis propter priuilegia, ergo ſceleris ipſorum conſcii, imo & authores extitiſtis. Quis vel rudiſſimus, qui philoſophicas diſciplinas ne a limine quidem ſalutauit, hanc non probationem, ſed ſtultiſſimam calumniam eſſe non dixerit? Ergone Sanctiſſimi illi Antiſtites (quod D. Chryſoſtomum feciſſe Baronius perhibet annalium Eccleſiaſticorum Tomo 5.) dum eos, qui ſcelere perpetrato, ad Eccleſiam confugerunt, prodere nolebant, ob priuilegia, quibus loca ſacra & domicilia Religioſorum gaudent, illico facinoris ipſorum conſcii ac authores, extitiſſe cenſendi ſunt? Quis hoc niſi Hæreticus & impius dicet? Sed vobis Hæreticis, perperam quidlibet ex quolibet, contra Ieſuitas inferre licet. Atque hoc eſt Patroni Torunenſium argumentum.

Verum ne in ipſis hæreamus principiis, videndum eſt, quam appoſite illo exemplo, ad probandum Ieſuitas abuti ſtudioſorum inſolentia, ad turbas excitandas, fuerit vſus Anonymus. Heus, bone vir, fueruntne illi noſtri diſcipuli? aſſeueras; at te totius Ciuitatis Poſnanienſis teſtimonio palam conuincam, quæ opifices illos, & non diſcipulos noſtros, fuiſſe, optime nouit, & authenticam atteſtationem huius facti in ſua curia habet: imo quandoquidem Sereniſſimus Rex nouam inquiſitionem, de exuſtione Synagogæ illius Poſnanienſis & direptione domus Domini Przeborowski fieri juſſerit, ex ea longe clarius idipſum intelliges, & Authorem totius illius Tragediæ, Hæreticum quendam fuiſſe diſces. Ex hiſne tu argumentum ſumis, nos inſolentia diſcipulorum abuti? at quid nobis cum opificibus, imo quid & cum Hæreticis, qui extra noſtram diſciplinam ſunt? Deinde

inde, e nostrane familia domestica, opifices illi fuerant? An non Ciuis ille, qui opus apud nos conduxerat, suos illos operarios domum nostram, ad opus perficiendum mittebat, ita tamen, vt pro nocte domum semper redierint? Quid ergo in nobis vitii subesse potuit, si illi sub noctem domum redeundo, siue casu, siue ex composito illi incendio & direptioni interfuerint? Venerunt ergo illi more solito postridie mane ad Collegium, vt factum illud contigit: nobis omnino insciis, quid commisissent, vt in cæpto labore pergerent. Ecce tibi nomine Magistratus, certus homo, ad nostrum collegium aduolat, cum nusquam illi domi apud Patremfamilias essent inventi. Suntne, inquit, hi & hi domi vestræ? annuimus, tum ille, dedere eos oportet, vt homines facinorosos: nos id salua conscientia, nequaquam facere posse, respondimus, imo nec eos inde vi abstrahi posse, ob privilegia, quibus Ecclesiæ & Cænobia gaudent. Consilium tamen in promptu damus, e re futurum, si tantisper ante ianuam domus præstolarentur, vel custodes ponerent, atque exitum illorum, si quidem, diu apud nos manere non possent, obseruarent. Non fecerunt isti, at illi vespere appetente, per noctis tenebras, fuga saluti suæ consuluerunt. Quod cum ita sit, qua fronte vos Torunenses, tantam criminationis notam, nostræ Societati inurere ausi estis? qua fronte & illam aliam sequelam, ex hoc principio tam absurdo deduxistis, nos discipulorum insolentia, ad vestram ciuitatem perturbandam abuti? Sed latet hic anguis, vt vos dicitis, imo non latet, sed aperte & palam serpit serpens mendacii, odii, & calumniarum in nostram Societatem. Hæc est enim vestra, ingenue enim vobis fatebor, Torunenses, consuetudo, vt quæcunque maleuolo animo, odium & indignatio suggerunt, ea contra nos in omnibus circulis, in Conuentibus Nobilitatis, in Comitiis impudenter effutiatis, atque vtinam tantum contra nos, & non etiam contra præcipuos Regni Senatores, & Prin-

Principes, imo & contra ipſum Regem Sereniſſimum, quod ego non ex aliquo priuato homine, ſed ex literis Illuſtriſſimi Antiſtitis Culmenſis ad me XI Febr. Anno 1612. datis luculenter, licet non ſine dolore, intellexi: cum eum de veſtra proteſtatione contra nos facta, ob apertas Scholas totius Regni voluntate, certiorem faceremus.

Sed fidei cauſa, paucula quædam ex his literis accipite. Sperabam fore (ita ille ſuam exorditur epiſtolam) vt Torunenſes meæ acquieſcerent admonitioni, & rationibus, quibus ad oculum illis oſtendebam, eos inique de iniuria queri, quod Scholæ aperirentur, & literarum ſtudia inciperent. Sed video, quod odium, & liuor, & maleuolentia, qua contra vos feruntur, & ardent, eos ne hæc acceptent, impediant. Unde hanc proteſtationem fecerunt ſuo ſtilo & phraſi Germanica (neque enim quiſpiam prudens practicus ſic feciſſet) ſat pungenti ac mordaci, non tantum contra veſtrum Ordinem, verum etiam non obſcure Regem Sereniſſimum tangunt, & me licet non ita aperte, mordent. Hucvsque Illuſtriſſimus Epiſcopus. Quare videte, Torunenſes, ne dum talia, per occaſionem criminando nos, in tales viros audetis, in eas vos conjiciatis anguſtias, ex quibus poſtea difficulter emergatis.

Sed deplorandam noſtram ſortem, qui in ea tempora incidimus, vt quidquid perperam a quouis fiat, id a nobis, aut ſaltem conſciis, atque etiam authoribus nobis factum eſſe, dicant Torunenſes cum ſuis Euangelicis. Plane rediiſſe nobis videntur, illa Tertulliani tempora, in quibus, vt ille teſtatur, quicquid triſte accidiſſet, ſiue imbribus ſæuis, aut aquarum eluuione agri maderent, ſiue acribus ſolis ardoribus torrerentur, quidquid demum in bellis, in ciuitatibus, calamitoſum conſpectum fuiſſet, totum in miſeros Catholicos, & in ſcelera ipſorum, perditi Idololatræ conferebant. Quid enim nobiſcum habet, illa Euangelicorum e Cracouienſi

ſi ciuitate expulſio? Quid illa Synagogæ eorundem in prædio Nobilis cujusdam exuſtio, cum Cracouiæ nos nullas Scholas habeamus? Et tamen impudens hic Anonymus audet dicere: Utut ſit, inquit, veſtra tamen vitula aratum fuit. Cur ita? quia illi ita placet, quia calumniari libet. Nouerat bene cauſam hanc, a Magnifico Rectore Academiæ illius, viro doctiſſimo & ſolertiſſimo, bene fuiſſe examinatam & judicatam, temperare tamen ſibi non poterat, quin hanc obſoletam fabellam, & crimen impie in nos conjiceret. Sed parcendum illi eſt, aggreſſus enim opus, vt contra nos famoſum libellum ſcriberet: eum, quo illum infarciret, non haberet, ad obſoletas Hæreticorum cantilenas, & veteres nænias eum confugere oportuit.

CAPVT IX.

Templum D. Ioannis, ædem Parochi & Scholam, nec vi, nec mala fide Torunii poſſidemus.

Mirari ſatis non poſſum, hanc calumniam ſine fronte, toties nobis a Torunenſibus imponi, cum iam ad eam millies reſponſum habuerint, non a nobis ſolum, ſed & ab ipſo Sereniſſimo Rege, & ab aliquod Antiſtibus Eccleſiæ Culmenſis. Sed & proxime Orator noſter, eam clariſſime confutauit: quomodo, inquit ille, iſta Ieſuitæ per vim occuparunt, qui magna voluntate Parochi, penes quem ius erat, ad illa inuitati ſunt? Hoc Oratoris argumentum, quem Patronus Torunenſium, quia impugnandum ſuſcepit, ita refellit. Fraudem hic veſtram, inquit, Ieſuitæ detegere omnibus cogor. Oſtendam vos, tunc temporis cum Torunenſes adhuc eſſent in poſſeſſione templi D. Ioannis, & exercitia ibidem Religionis ſuæ Euangelicæ celebrarent; dolo malo egiſſe, apud Reuerendiſſimum Epiſcopum Culmenſem Koſtkam, vt ædes Parochiales templum & ſcholam ciuitatis hæreditariam, veſtro Collegio & Ordini incorporarentur.

tur. Magna equidem Anonymus pollicetur, & fraudes nostras se detecturum, & dolo malo nos egisse in possessionibus illis comparandis ostensurum. Sed agedum, quomodo recte fidem suam exoluat, quibusue id, quod promittit, stabiliat argumentis, breuiter inspiciamus. Ostendite, ait, ad nos orationem conuertendo, fundationem vestram, quam surreptitio modo a prædicto Episcopo, qui ius fundandi vestrum Collegium, in ciuitate Torunensi non habuit, obtinuistis. Quia vero ista fundatio Radzinensibus actis a vobis insinuata est, ad eam vos Illustrissimi Senatores & Equites Poloni remitto, ex qua integrum est vobis intelligere, Iesuitici Spiritus omni fronte carentem astutiam. Egregium, nisi totum e calumniis & commentis, conflatum esset, argumentum: in quo Torunenses, quia cum vestro Patrono, petitis vobis ostendi nostram fundationem, quam non semel legistis, ex illa enim fraudes & dolos in nos deducitis, producam ego illam: quæ si contra vos nihil faceret, perfecissetis procul dubio id, quod intendistis; ita, vt iam non esset necessarium, remittere Senatores, Equitesque Polonos, ad videndam eam in castro Radzinensi, & ad cognoscendam nostram, omni fronte carentem astutiam. Sed num ita sit, iam ipsum diploma fundationis Collegii nostri, a me productum, iterum legite, & an surreptitia sit (quod falso prætenditis) expendite & iudicate.

Priuilegium Serenissimi Regis.

Sigismundus Tertius, Dei gratia Rex Poloniæ &c. Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, vniuersis & singulis, exhibitas esse nobis omnino & ex parte Patrum Societatis IESV, literas infra scriptas papiraceas, manibus Reuerendissimi olim Petri Kostka a Stemberk, Episcopi Culmensis, atque Venerabilis Andreæ Markowski, Torunensis & Culmensis Plebani subscriptas, sigillisque eorundem atque Venerabilis Capi-

tuli Culmensis munitas, Fundationem & Erectionem in ciuitate nostra Torunensi, Collegii dictorum Patrum Societatis Iesu in se continentes, sanas, saluas & illæsas omnique suspicionis nota carentes. Supplicatumque nobis & vt eas authoritate nostra Regia approbare, & confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum de verbo ad verbum tenor est talis.

In nomine sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen.

Nos Petrus Kostka a Stemberk, Dei gratia Episcopus Culmensis & Pomesaniensis, perpetuus Administrator. Significamus tenore præsentium, quorum interest & interesse debet. Quod statim vt, ad hoc munus Episcopale Dei gratia sumus euecti, eam curam & cogitationem susceperimus, vt gregi nostro variis Hæresum erroribus imbuto, auxilium ferre possimus. Quem conatum nostrum, promouit quidem Dominus, per varios Ecclesiæ Dei, diuersorum instituti Religiosi ordinis, & alios Ecclesiastici ordinis operarios. Sed ecce, quod nos ab initio functionis huius nostræ, hactenus semper vehementissime cupiebamus, oblata est nobis occasio, ut de Societatis Collegio fundando serio cogitare, & re ipsa perficere velimus, quo non solum concionibus, & aliis ministeriis Societatis Iesu homines, quæ juxta suum institutum vbique non sine fructu exercere solent: sed etiam juuentutis, in literis, pietate & moribus recta institutione, conatum hunc nostrum & successorum nostrorum promoueant. Matura itaque deliberatione cum venerabilibus Illustribus Prælatis & Canonicis Capituli nostri, & aliis amicis præhabita, Collegium Societatis in ciuitate Torunensi Regia, cum consensu Regiæ M. erigere statuimus, prout erigimus in nomine Domini per præsentes. Ac locum pro habitatione hominum Societatis Iesu assignamus, domum Parochialem, postulante, ac consensum ad eam rem præben-

bente Domino Andrea Markowski, legitimo moderno Parocho & Possessore, cum omnibus suis ædificiis, areis & attinentiis, tam longe, tam late, vti suis terminis est antiquitus distincta. Addimus & scholam eiusdem Ecclesiæ Parochialis, domui dictæ contiguam, pro scholarum Societatis Iesu vsu. Designamus præterea quodcunque sacellum, in ipsa Parochiali S. Ioannis, quam primum ex manibus Hæreticorum, per Parochum vindicata fuerit, pro vsu Societatis perpetuis temporibus: ita tamen, vt in eadem Ecclesia licite sacra facere, & concionari, & Sacramenta, quæ solet Societas iuxta suum institutum administrare possit, citra cujusque etiam Parochi impedimentum. Ne vero Parochus præsens & successores eius pro sua & sacerdotum habitatione domo, ac pro schola sua careant, assignamus perpetuis temporibus Domum viciniorem Macellis Ciuitatis, quæ est Fraternitatis, in qua hoc tempore Sacerdotes manent, pro schola autem vel hæc domus, in qua scholares Catholici, quos vocant Choralistas, habitant, vel alia ex antiquo ad Ecclesiam S. Ioannis pertinens, a nobis vel successoribus nostris cum Venerabili Capitulo procurabitur.

Quoniam vero Generosus Dominus Ludouicus a Morthang, Capitaneus Pokrziuinensis, Cupidus promouendæ gloriæ Dei, cum Generosa Domina Anna conjuge, Generosi Domini Ernesti Weicher Pucensis Capitanei, procurante Religiosa ac deuota Magdalena Abbatissa Culmensi, sorore sua germana, Domum intra mænia ciuitatis Torunensis, lateritiam a Parente suo ædificatam vicinam templo B. Mariæ V. donare, resignare, societati constituit, & hanc domum pro hoc Collegio cum omnibus suis attinentiis, prout ad acta ciuitatis, prædictus Generosus Dominus resignabit, Collegio Torunensi applicamus, vt ea pro suo arbitratu Societas vtatur.

Ad dotandum vero hoc Collegium, assignamus im-

primis villam Kowroz, in Palatinatu Culmensi, quam prædicta Religiosa & deuota Magdalena a Morthang, Abbatissa Monasterii Culmensis, collectis Eleemosynis a variis piis hominibus, in eum vsum emit, cum omni iure, Dominio cum omnibus fructibus, vtilitatibus, sylvis, piscinis, pascuis perpetuo habendi, possidendi, fruendi. Addimus & villam Ostaszewko in Palatinatu Culmensi, a Monasterio Culmensi, a nobis cum Venerabili Capitulo, per commutationem Monasterio æque vtilem acquisitam, cum consensu Venerabilis Capituli nostri, cum omnibus similiter fructibus, vtilitatibus præsentibus & futuris, cum omni iure, & Dominio, ita late & longe, vt hactenus suis limitibus fuit distincta.

Vt autem hæc fundatio ac dotatio firmius robur habeat, dabitur a nobis opera, vt posteaquam ad effectum ea res perducta fuerit, regia authoritate confirmetur: Obligamus præterea nos nostrosque successores, cum Venerabili Capitulo, nil nos ex præsenti ordinatione vnquam perpetuis temporibus mutaturos, nisi postulantibus vel assentientibus Patribus Societatis Iesu, & si opus fuerit alia ordinatione, quæ circa vsum templi re maturius considerata, a nobis & a successoribus nostris, describetur, Patribus ad omnia consentientibus. Ad extremum Collegium hoc Societatis Iesu, cum possessionibus omnibus & personis, in patrocinium nostrum ac Successorum nostrorum & Venerabilis Capituli, recipimus temporibus perpetuis. Actum & datum Plowzy, in Curia nostra, Nona Iulii, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Nonagesimo tertio Petrus Kostka, Episcopus Culmensis, Andreas Markowski, Plebanus Torunensis & Culmensis.

Nos itaque supplicationi prædictæ, pro eo, quo in promouendum cultum diuinum propensi sumus, benigne annuentes, literas præ insertas, ac earum omnia & singula contenta, rata & grata habuimus, authoritateque nostra approbanda & confirmanda esse duximus

vt;

vti quidem rata & grata habemus, approbamusque & confirmamus præsentibus, decernentes eas vim & robur perpetuæ firmatis obtinere debere, bonaque superius recensita, pro Collegio prædicto Torunensi assignata, in quantum vsu & possessione eiusdem Collegii in præsens extant, libertati & immunitati Ecclesiasticæ ex nunc asscribimus & incorporamus perpetuo, & in æuum. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas, sigillo regni communiri mandauimus. Datum Varsauiæ in Comitiis Regni generalibus, die XXVI. Mensis Octob. Anno Domini M. D. C. XI. Regnorum nostrorum Poloniæ XXIV. Sueciæ vero Anno XVIII.

En Torunenses, vt optabatis, diploma fundationis Collegii nostri Torunensis habetis. Legistis illud? expendistis? intellexistisne in eo aperte, vel occulte nos egisse, & quidem dolo malo, vt templum, domus, & schola, nostro Collegio incorporarentur: & quod peius est surreptitio modo, vt vos loquimini, eam fundationem obtinuisse? An non disertissimis verbis Serenissimus Rex, cui tandem, si nobis non vultis, credite, literas fundationis saluas & illæsas, omnique suspitionis nota carentes, sibi oblatas esse, pronunciat? An non Episcopi prædicti manu & Parochi Markowski subscriptas, sigillis eorundem ac Venerabilis Capituli Culmensis munitas testatur? An non expressum in hoc diplomate habetis, non nostro rogatu neque nostris consiliis, nos Torunium inuectos, sed ipsum Episcopum a multis ante annis id cogitasse, & nonnisi post maturam deliberationem cum Venerabilibus Fratribus, Prælatis, & Canonicis Capituli Culmensis, & aliis amicis susceptam fecisse? Expetiit hoc Episcopus, & Serenissimi Regis assensum obtinuit. Quid vero de consensu Parochi querimini? Annon luculentissime in diplomate legitis: Postulante, & consensum ad eam rem præbente, D. Andrea Markowski. Consulite caput, si quod habetis, Torunenses, & num vera sint ea, quæ nobis ob-

jicitis, perſpicite. Quid enim? num in hac noſtri Collegii fundatione, Sereniſſimum Regem, ipſos Epiſcopos Culmenſes, multos viros prudentes, qui hanc cauſam tractarunt, ipſum denique Parochum erraſſe creditis, fraudem dolumque non vidiſſe? Vos ſolos ſcilicet acutos, perſpicaces, ac prudentes viros, errorem deprehendiſſe, fraudem dolumque notaſſe. Deinde, vt ſingula breuiter in veſtro argumento perſtringam, ideone noſtri Collegii fundatio, fraudis dolique ſuſpicione non caruit, quia inſtituta erat ſub illud tempus, quo vos templum D. Ioannis, certe ſi non vi, nullo ſaltim jure poſſidebatis, vt jam paulo ante ex literis Illuſtriſſimi Tylicki oſtendi, & adhuc inferius pluribus oſtendam, eoque ad veſtros Hæreticos ritus abutebamini? Ergone parochus nos ad illud templum ſibi a Sereniſſimo Rege collatum, qui patronus illius erat, & quod ille vobis nolentibus volentibus, non vi, ſed jure e manibus extorſit, vt cooperarios in partem laboris antequam extorſiſſet, inuitare non potuit?

Sed Patronus non fidens nimium illi ſuo argumento, vtpote, qui de noſtra fundatione, fere toti Poloniæ nota, inſcius eſſe non potuit, ad exclamationes, ad mortuorum conteſtationes confugit: vt quod rationibus probare non potuit, verborum ſaltem emphaſi & circuitione aliquo modo coloraret, & imperitæ multitudini probabile faceret. O ſi, inquit, Markowski viueres, aliud teſtareris, qui in faciem Ieſuitis, vt ex Torunenſibus audiui, dicere non erubuiſti, Ieſuitas tecum mala fide egiſſe, & recognitionem quandam ſuam priuatam, a te per vim extorſiſſe. Vnde factum eſt, vt Torunenſes, te eiectum viciſſim volentem, & annuentem in integrum reſtituerent. Quid mihi reſpondebis Ieſuita? Audi, ſi Markowski viueret, te ſine dubio cum tuis Torunenſibus, turpiſſime hallucinatum eſſe, diſertiſſime teſtaretur. An non ille viris fide dignioribus, dum viueret, toties teſtatus eſt, ſe optaſſe a multo tempore noſtros

ſtros habere Torunii, idque curauiſſe & effeciſſe, ædesque ſuas vltro noſtris conceſſiſſe. Teſtis eſt huius rei Illuſtriſſimus Epiſcopus Cracouienſis, qui primus noſtram Societ. Torunium introduxit, atque in eius poſſeſſionem domum, & ſcholam Parochialem tradidit, conſentiente, imo etiam idipſum vrgente Parocho Markowski: idemque ſacellum templi ac pulpitum per ſuum Cancellarium R. D. Ioannem Piſinski, & Notarium Kalwinski dictum, legitime nobis tradidit. Idem teſtatur in ſuis ad vos literis Illuſtriſſimus Gebicki iam ſæpius nominatus. An non videntibus vobis, inquit ille, licet reclamantibus, Patres Societatis fuerunt Torunium introducti ab Anteceſſore meo? An non vltra decennium in ea domo habitarunt, publice docentes in templo, publiceque pietatis & religionis officia exercentes? Quod igitur nouum iſtud veſtrum erga Parochum ſtudium? Quæ tanta cura tuendi ipſius iuris, vindicandæ videlicet poſſeſſionis? Num ad vos, opemque veſtram & præſidium confugit? num ad exturbandos iniquos occupatores, cohortes a vobis ciuiumque turmas, quas commouiſtis, popoſcit? minime id quidem, veſtris conatibus quoad potuit, reſtitit: & deinceps etiam, quæ ad eius contumeliam inuito & renitente peregiſtis, nobis adiuuantibus conſtanter iuſto, legitimoque iudicio vindicabit. Et infra. Cum ad Prætorium veſtrum citati a vobis R. P. Societatis non venirent, Parochus autem intercederet, & ſua Epiſcopique voluntate, illos domum inhabitare, ſeque illorum ſubſidiaria in obeundo officio, vti opera conteſtaretur, vos veſtra illa Regia, quam Torunii gerere vos profitemini poteſtatem, homines innocentiſſimos aliena domo, facto in eam impetu exturbaſtis. At tritum illud eſt & omnium Iuriſperitorum doctrina firmatum, non debere quenquam etiam de iniuſta poſſeſſione depelli, niſi prius jure vincatur. Igitur quod qui jure & legibus agunt, ne in prædones quidem ſolent admittere, vos

in honestissimam Societatem ausi estis. Hæc ille. Sed neque Illustrissimum D. Fabianum Plemiencki omittam, virum inprimis Regi ac Reipubl. fidissimum, & Catholicæ religionis ac bonorum omnium acerrimum propugnatorem ac defensorem, quo nullus rei, qua de agimus, testis locupletior esse potest: siquidem ille nostris Torunii degentibus, in Patronum singularem, imo fere in parentem sit datus. Hic ergo in omnibus angustiis & calumniis, quas a vobis patiebamur, nobis dicere solebat. Magno, inquit, animo sitis Patres: tanti conatus Hæreticorum Torunensium contra vos, desperationis sunt indicia. Quia enim præclare sibi conscii sunt, nihil æquitatis contra vos se habere posse, ideo conuitiis & extraordinariis mediis rem adoriuntur. Sed libet hanc adeo prolixam controuersiam, ipsius Parochi Torunensis D. Markowski testamento claudere: in quo ille præterquam quod honorificentissime, de nostra Societate loquatur, tantum abest, vt ab ea se aliquam injuriam accepisse dicat; vt & pro susceptis laboribus, tanquam pro summo beneficio, ingentes ac æternas gratias agat, vnde & in signum grati ac benefici animi suam bibliothecam præter quædam alia, Collegio Torunensi attribuit.

Videtisne, Torunenses, meram calumniam esse, dicere, Iesuitas fraude & contra voluntatem Parochi, sedem Torunii obtinuisse? videtisne, quam vere Illustris D. Pliemenecki de vobis pronunciauerit, vos non aliqua æquitate aut spe obtinendi, quod desideratis, contra nos agere, sed ob desperationem assequendi, ea, quæ cupitis, omnia tentare, nihil intactum relinquere? Quid enim nos nescio, de quibus recognitionibus priuatis per vim, a Parocho extortis; quid de surreptitiis, fundationibus calumniamini? qui tam disertam Parochi voluntatem, tam luculenta Regis, Episcoporum, ac totius Regni diplomata conspicitis: priuatasne nos aliquas, ac per vim a Parocho extortas, recognitiones afferimus?

pri-

priuatane & ſurreptitia fundationis noſtræ diplomata, vobis exhibemus? quæ Epiſcopus publica authoritate, totiusque Capituli nomine ſcripta, ſua propria manu ſubſcripſit, ſigilloque muniuit, quæ ipſe Parochus Torunenſis, vltro non impulſus, imo rogatus, an ſponte domo ſua, noſtræ Societati cederet, an ſponte nos in cooperarios Eccleſiæ admitteret, pulpitum traderet? palam affirmauit, approbauit, quin imo, vt idipſum Epiſcopus cum Venerabili Capitulo, ratum eſſe velit, rogauit, diplomati nomen ſubſcripſit, ſigillum appoſuit. Et ne quid ad certitudinem ac firmitatem huic rei deeſſet, ipſe Sereniſſimus Rex, hanc Epiſcopi & Parochi voluntatem, publica atteſtatione, ſigilloque Regio, firma rataque eſſe voluit. Hæccine vobis, Torunenſes, priuata, ſurreptitia ac per vim extorta diplomata, & recognitiones eſſe videntur? Certe hæc veſtra criminatio, non niſi ex priuato veſtro in nos odio, ex ſurreptitio iudicio, ac plane per vim, eamque maximam extorto argumento, proficiſci potuit. Veſtræ ſunt iſtæ technæ, Torunenſes, veſtram religionem tales artes, nempe fraudes, doli ac vis decent: qui Monaſterium Virginum ejusque poſſeſſiones compilaſtis, qui in Cænobium PP. Franciſcanorum & bona eorundem violenter inuolaſtis, qui ipſum D. Ioannis templum iniuria vobis vendicaſtis, & in eius poſſeſſione, vt permaneretis, omnem lapidem mouiſtis, & mouetis adhuc. Hæccine fuit, libet enim hic exclamare verbis veſtri Patroni, hæccine, inquam, fuit Torunenſes, mens maiorum veſtrorum, dum templa ac Monaſteria ad Numen Diuinum placandum erigerent, atque iis amplas dotes aſſignarent, vt ſcilicet in iis Sacroſanctis ac Deo dicatis domiciliis, Hæretici Miniſtri, vxoribus ſtipati, magnaque liberorum turba circumuallati manerent, Diuinum Numen blaſphemis vocibus ac ritibus violarent? Itane auguſtum illud Deiparæ Virginis templum ac Monaſterium erexerunt, vt in eo Miniſter Hæreticus, Auguſtiſſimam

Dei Parentem, sacrilego ac blasphemo ore proscinderet, indoctam plebem improbus, scelesta oratione ad facinora impelleret, ad neglectum legum Diuinarum, ipsiusque Diuini Numinis contemptum incitaret? Non erant ita impii majores vestri Torunenses, sed vos degeneres in eam, impietatem ne an amentiam dicam! prolapsi estis, vt quod illi in honorem æterni Numinis esse voluerunt, vos in eius contemptum conuertatis.

Sed nil mirum videri debet, cur hæc faciatis, non enim religionem, sed vestrum regimen amplificare conamini, non altaria, sed calcaria vestra ornare contenditis, & vbi aras & religionem prætenditis, ibi apertissime, focos, & vestram auaritiam præ vobis fertis. Quod ita perspicuum est, vt qui hoc neget, solem mihi, dum medio cœlo feruet, lucere negare videatur, & ego jam Cap. 3. luculentissime docui. Sed manifestius fiet adhuc, ex quodam exemplo mendaci & confícto, quod Anonymus nostræ Societati attribuit. Dicit ille; Iesuitas aliquando Gregorium XIII. Summum Ecclesiæ Antistitem, sollicitasse, vt sibi Cænobium D. Pauli extra vrbem, in quo Religiosi S. Benedicti manebant, concederet, scilicet ob Monachorum illorum prolapsam disciplinam, & summum Pontificem nostris postulatis annuisse, verum dum ad occupandum illud cænobium venissemus, plagis nos a Monachis exceptos asseuerat, & dum sat diu de possessione Monasterii, cum Monachis altercaremur, ne mortem quidem Summi Antistitis illam controuersiam inter nos diremisse, sed tandem Sixtum V. ejus successorem seuere nobis mandasse, vt negocium Monachis de illorum cænobio facessere desisteremus, & aliena non appetentes nostris contenti fundationibus: videre se Monachos illos abunde suæ religiosæ obseruantiæ satis facturos, aut si forte ex aliqua parte pro humana imbecillitate prolapsa sit, sedulo restauraturos. Quot verba, tot mendacia. Vidistisne Torunenses hunc libellum Patroni vestri, antequam lucem

cem aspexit, legitisne hæc figmenta, & tanta nulli fundamento aut probabilitati innixa mendacia? Miseret me equidem vestri, quod impudens hic Anonymus, hisce suis tam absurdis figmentis, apud omnes, quicunque libellum eius lecturi sunt, & quicunque id intellexerint, vos traducat, & nomini vestro haud mediocriter detrahat: neque enim tenebrioni isti, cum quisnam ille sit, nesciatur, sed vobis, vobis inquam ipsis Torunenses, totum id, quidquid est mendaciorum ab omnibus, imputabitur, omnia hæc figmenta in vestrum caput recident. Neque enim nos latet, hanc totam infamem structuram, vestro suasu imo & iussu vestrum Cacoscholarcham & pædophorum esse inepte fabricatum. Quis enim credet hoc, & quis adeo animi impotens, ac de statu mentis deturbatus inuenietur, qui posteaquam historiam hanc legerit, aut ab aliis audierit, non eam continuo fabulam, atque eam quidem absurdissime confictam pronunciabit? vtpote, quæ nullum authorem habeat præter solum Anonymum. Certe ego a permultis viris grauibus & prudentibus, sum studiose sciscitatus, & ab ipso Magnifico D. Pliemiecki, qui morienti Gregorio, cui etiam familiaris erat, adfuit, num aliquid super hac re scirent: sed nunquam se id non audisse solum, sed ne somniasse quidem constantissime responderunt: quin & ego ipse totis decem annis mansi Romæ, nec tamen quidquam super hac re, me vnquam audiuisse memini, cum tamen tanta res, ignota esse non potuerit illi ciuitati. Præterea ad quos suos vsus, illas Religiosorum ædes ac templum nostra Societas a Summo Pontifice obtinere voluisset? quid nobis cum illis habitationibus adeo longe ab vrbe dissitis ac remotis? quid cum templo, eo loco extra omnem hominum frequentiam extructo? Nobis, inquam, quibus de instituto est, cum hominibus conuersari, ac eorum saluti seruire? Deinde qua imprudentia talem petitionem nos instituissemus, & sua Sanctitas admisisset? qua stultitia, non ser-

ſeruata forma juris ac conſuetudinis, vi Religioſos homines Religioſi, in illa legum omnium ac juſtitiæ cultrice vrbe, ex habitatis legitime jam olim ædibus exturbare, violenter earum poſſeſſionem adire, turpiſſime alienas facultates inuadere auſi fuiſſemus? Non o non nos, ſed te tuosque Torunenſes ac reliquos veſtri ſimiles Hæreticos, alienorum crudeles raptores, Templorum ac Eccleſiæ bonorum inuaſores, hiſce coloribus depinxiſti, Anonyme; atque hanc fabulam de te tuisque congerronibus dum narras, imprudens cauſam tuam infelix patronus prodis ac perdis. Nemo eſt, qui vel leuiter noſtri Inſtituti rationes cognoſcit (cognoſcunt autem plurimi) qui non ſubito ad hujus tuæ narratiunculæ nænias, tuam in narrando ac patrocinando fidem in dubium reuocet, atque palam in talia verba prorumpat: Hic homo mentitur temere, & meras ex tempore loquitur calumnias. Crediderimne ego vera eſſe, quæ cætera narrat, cum in re adeo euidenti fucum facere audet. Apage te cum tuis, homo mendaciſſime, commentis. Non aliam mihi crede, hujus mendacii a quolibet, modo ſana mente præditus legerit, & rerum aliqua cognitione polleat, mercedem feres Anonyme. Ego autem certare tecum conuitiis nolo, neque in te quicquam grauius ſtatuere; tu tibi cum hac tua temeritate, atque in fingendo audacia, ſatis pænarum es. Eiusdem farinæ ſunt multa alia, quæ Anonymus contra nos ſcribit: de quibus ego, ne longius, quam par eſt, hoc caput producam, infra agam: quod dum facio, hoc velim vobis de me perſuadeatis, Torunenſes, me non niſi cum ſtomacho hæc Anonymi mendacia, quibus ille, dum vobis patrocinari vult, improbe nomen veſtrum lacerat, legere, & cum dolore, veſtræ ſcilicet famæ conſulendo refutare. Sed quia ille nobis talia objicit, ne ſi tacerem, vera ſe dixiſſe arbitretur, omnino ſunt refellenda.

CA-

CAPVT X.

Veros Patronos jure conferendi Parochiam templi Sancti Ioannis, non exuimus.

Verbis non ita facile assequi possum, quantopere Torunenses doleant & conquerantur, quod se jure Patronatus templi S. Ioannis exutos sentiant. Sed quam merito, se hoc ipsi dolore discrutient, & suis querimoniis, aliorum aures impleant, plane non video. Cum enim hoc jure, aliquando se indutos fuisse probare non possunt, vt ego mox ostendam, mirum est, quomodo eo se a nobis exutos esse, quo nunquam induti erant, lamententur. Verum ne gratis id dicere videantur, illud pro sua parte afferunt argumentum. Impetrarunt, inquiunt, Iesuitæ a Serenissimo Rege jus conferendi illam Parochiam, quod jus commune fuit illi cum ciuitate, ac proinde totum, illa inuita, ad Iesuitas transferri non debuisset. Hoc est Torunensium argumentum, sed quantum ponderis ac momenti habeat, breuiter discutiamus. Ac inprimis, vnde vos habetis Torunenses, nos aliquod ius a Serenissimo Rege impetrasse, aut saltem illud rogasse? Sed ad rem propius accedamus, cui vos innixi fundamento Torunenses, illud jus vobis cum Rege commune fuisse affirmare audetis? quasi vero Serenissimus Rex ita iniquus sit, vt jura aliena sibi vsurpet, & Priuilegia aliorum contra jus fasque in alios transferat. Ecce, Torunenses, quod maxime nollem, famæ vestræ, vt ante animum meum vobis declaraui consulendo, cogor vos infidelitatis & nullius obseruantiæ admonere, & quo in Serenissimum Regem animo, atque adeo in totam Rempubl. sitis, quam rebelli, quam contumaci, quam injurii, omnibus manifestum facere. An non insignis injuria hæc est, affirmare: Regem aliena Priuilegia & jura in alios, absque illorum consensu, imo cum maximo detrimento & iniquitate, transfundere?

At-

Atque dum ita turpiter se Anonymus vidisset impegisse, conatur quidem hunc suum tantum errorem, si tamen error, & non grauis in Sacram Regiam Maiestatem contumelia dici debeat, eleuare, sed nihil facit. Ait enim, non incusare Torunenses S. R. Maiestatem, quæ tenacem omnium Priuilegiorum Ciuitatum, memoriam habere nequit, sed vos, inquit, incusant, qui in tergum eiusdem Ciuitatis Priuilegia eiusdem euersa, vestræque libidini exposita, cupitis. Acutos vos cum vestro tergo. Nullam Patronus, hic vester protestationem affert sine illo. Fortasse, quod sæpius illud in Schola virgis subjecisset, memoriam ejus, quam tenacem habet, deponere non potest. Dedit ergo Rex, quod non debuit, sed ex obliuione. O nimis debilem Serenissimi Regis memoriam, imo non illius tantum, sed etiam Senatorum Regni; quibus, priusquam Rex quidpiam decernat, hæc cura demandatur, vt quis sit rei illius status, quæ ciuitatis jura, quæ priuilegia, accurate cognoscant? O nimis non tam labilem memoriam, quam grauem in cognoscendis ciuitatum Priuilegiis incuriam & negligentiam; Sed si hoc pacto Regem excusatis Torunenses, quid est, quod in nos culpam confertis? Nunquid enim Iesuitæ, qui pro suæ vitæ ratione, longe aliis rebus sunt intenti, vestrorum Priuilegiorum tenaciorem memoriam habere tenentur, quam Rex, quam Senatores, imo quam vos ipsi? Quid enim? Cur, dum hæc fierent, in hoc vestro negocio tam graui indormistis, & in aliis quidem rebus seduli ac industrii, in hac sola tam incircumspecti facti estis? Cur vestros annales non reuoluistis, cur jura & Priuilegia non inspexistis? Cur Serenissimo Regi ex obliuione vestra Priuilegia conuellenti, hæc in memoriam non reuocastis, cur Senatores tam grauis erroris non admonuistis? Cur & ipsi Priuilegiorum Custodes duo Antistites Culmenses, Illustrissimus Tylicki & Illustrissimus Gæbicki, cum vterque Cancellarii aut Vicecancellarii Regii muniere fun-

fungeretur, hujus tamen rei nullam fecerunt mentionem? Miseram nostram Poloniam, quæ ita Reges Senatores, Cancellarios obliuiosos habet, vt nullus in toto regno inuentus fuerit, qui juris ac Priuilegii Torunensium, cum ab iis auferretur, meminerit? Deinde Torunenses, si rem ita se habere nunc primum vobis in mentem venit, cum antea exciderit, si nunc primum hæc vestra Priuilegia reperistis, cur cum Serenissimo Rege, cum Antistit. Culmensibus, cum Senatoribus non agitis, cur ea non exhibetis? cur eos, ad quos minime id pertinet, priuatim carpitis, & famosis libellis apud omnes in toto regno traducitis? An ideo vobis hæc Priuilegia & cunctis aliis, e memoria exciderunt, quia nunquam in rerum natura fuere? Et certe ita se rem habere, mihi facile persuaserim, ex literis Illustrissimorum Antistitum Culmensium, quos paulo ante nominaui, ex quibus Illustrissimus Tylicki ita ad vos scribit: Quod vero, inquit, eadem erga nos obseruantia sua, addictos; templo etiam D. Ioannis cessisse nobis significare videntur, illud vt D. D. V. V. diligentius ad animum sibi reuocarent, cuperemus. Occupatum fuerat templum, id, si non vi, certe nullo jure, repetitum autem jure. D. Casimirus (cujus Priuilegia & indulta eam religionem obtinent, vt dubitare de authoritate illorum nefas sit) in ipsa terrarum Prussiæ deditione, cum multa Majoribus D. D. V. V. ob eorum merita (neque enim benefactis detrahere nostrum est) tribueret: templi tamen illius jus, vt vocant, Patronatus, a Cruciferis exceptum, ipse quoque, quod DD. vestræ optime norunt, diserte excepit: quod cum excepit, quis non videt non modo suum, sed simul Episcopi etiam jus excepisse; conjuncta enim ista inter se sunt, jus Patronatus & jus Episcopi atque ita conjuncta, vt nulla ratione separari possint. Hæc & plura alia in eandem sententiam, quæ breuitati studens omitto, Illustrissimus Episcopus. Porro Illustrissimus Gæbicki in eandem sententiam hæc habet. Ac-

ce-

cedimus, inquit, ad vestra munimenta propius. Subalternum jus patronatus quoddam opponitis.

Primum, non satis percipimus, quid sibi velit jus cum Principe subalternum. Subalterna quidem in Dialectis, pene æquipollent, æquata igitur vestra cum Principe potestas alternis vicibus definita, par ius Patronatus? Næ Majores vestri fortunati, qui rem tantam obtinuerunt, vt in communionem juris a Principe admitterentur. Sed meministisne, quanta verborum solennitate, quanta cautione sibi successoribusque suis D. Casimirus, omnia per Prussiam iura Patronatus reseruarit? Si derogare potuit successorum, illi Priuilegio omnium ordinum comprobatione roborato; ac illius juris, quod publicum regni merito censetur, partem in vos transferre: quidni poterit labefactare, etiam & dissoluere illos nexus, quibus de vestris possessionibus, quæ vos nimium efficiunt contumaces, cautum? Addamus & illud, posteriores leges omnia, quæcunque in præjudicium publicum aut Principum juris & commoda collata essent, penitus sustulisse, & peculiariter exuisse jure Regio patronatus. Denique decreto, quod a Regia Majestate inter vos & Parochum vltimo latum fuit, totam istam vestram assecurationem fractam cassatamque esse. Vt taceamus, vos esse, qui extra vnionem, vnius S. Matris Ecclesiæ Catholicæ Christianum nomen vsurpatis, & pacis authorem concordiamque in pace colere non vultis, nihil possitis Ecclesiæ jure possidere. Hæc ille. Ex quibus Torunenses nullo negocio colligere potestis, cur illud vestrum, tam fortunatum & cum ipso Rege commune, vt hic Senator loquitur, jus Patronatus, Regi ac Senatoribus, denique & vobis ipsis memoria exciderit, quia scilicet nunquam in rerum natura fuit.

Quia vero id ipsum Orator noster Torunensibus objecerat, & si commune hoc jus cum Rege haberent, illud sibi ostendi postulabat. Doceant hoc, inquit, Torunenses,

ſes, & vicerunt: ideo illorum Patronus, quia quod Oratori reſponderet, in promptu non habebat, ex ſua illa, vt ego exiſtimo, peruetuſta, & ab ipſo Ioue Hæreticis tradita diphem, priuilegium quoddam Regis, ſed neſcio, cuius excerpſit, quo illis conceditur, jus Patronatus templi S. Ioannis alternatum cum Rege, neſcio quando & vbi conceſſum. Egregiam ſane & ingenioſam probandi rationem, & tamen ita de ea Patronus Torunenſium ſibi applaudit, ita gloriatur, vt poſteaquam illam fabulam retulit, triumphanti ſimilis audacter ad nos ſuam orationem conuertat. Ecce, inquit, Ieſuita, probaui, Torunenſes habere jus Patronatus cum S. R. Maieſtate commune. Vbi nunc tua trophea? Si Torunenſes habent jus Patronatus commune cum Rege, cur illud non oſtendunt? Doceant hoc Torunenſes & vicerunt. Certaſti Ieſuita cum Torunenſibus de ſubalterno Patronatus jure, depoſito certo pignore nimirum & lucro, & victoria certa. Cede itaque cum tuis malæ fidei poſſeſſoribus, templo, domoque Parochiali, vigore tuæ propriæ obligationis. Itane nugator ineptiſſime, viciſſe te putas, cum fabulam hanc retuliſti, & iam templum, iam ædem Parochi vis eſſe Torunenſium? Ludis & iocaris, cum ſerio agendum erat. Taliane Torunenſes diplomata habent, quæ a quibusnam Regibus profecta, quo anno, loco conceſſa ſint, probare non poſſunt? Affer diploma regium cum ſigillo, anno, loco, & nomine, non fictum, non commenticium, & viciſti: atque ſimul pignus certaminis ab Oratore noſtro propoſitum obtinuiſti; nimirum habere Torunenſes Ius Patronatus. Sed & illud manifeſtiſſime falſitatem huius Priuilegii arguit, quod illud Torunenſes ad plura, quam ſonet, extendant. Quod enim verbum in illo vel minimum eſt, de æde Parochiali Torunenſi S. Ioannis? Ius dicit Patronatus Eccleſiæ & præſentandi alternatis vicibus, in eadem ipſa Eccleſia nobiſcum, & cum ſucceſſoribus noſtris, per ipſos, & eorum ſucceſſo-

res æuiterne habendum, dandum, donandum, & conferendum duximus: Quæ hic vel tenuissima mentio de æde Parochiali? Qua fide ergo vos Torunenses hoc Priuilegium vobis ampliatis, & ad rem, de qua nihil expresse Priuilegium dicit, extenditis? Nescitis ex regula illa Iuristarum notissima, Priuilegia tantum valere, quantum sonant? Cur ergo vos illud ad domum Parochi, de qua ne literulam quidem vnam habet, refertis? Atque hoc posito facile ruit, & illud, quod dicitis, domum Parochialem eodem, quo & templum iure niti, ac proinde cum in templum ius vobis, vt vos affirmatis, competit, etiam in domum Parochialem competere debere: id enim falsum omnino est: nam & ista jura distincta sunt, imo diuersis hominibus competere possunt. Cum vero jus Patronatus templi tantum, juxta vestram affirmationem, est vobis concessum, non est eo ipso concessum, & Domus, quæ quid distinctum est a templo. Ius enim Patronatus, non est jus Patronatus Domus Parochialis, sed præsentandi Clericum ad beneficium. Sed neque in templum vos aliquod jus habere est verum. Nam habere jus Patronatus, non est proprie habere ius in templum: quod vos Hæritici non intelligitis, sed ad vestrum sensum omnia trahere vultis. Ius ergo domus Parochialis habuerunt Antistites Culmenses, qui cum assensu Parochi poterant illam domum familiæ Religiosæ, perpetuo jure concedere, vt& fecerunt, accedente etiam ad id Serenissimi Regis consensu, qui ex vestra ipsorum sententia, habet ius in eam domum Parochialem. Cur ergo eam nobis pro eo jure, quod vos illum habere fatemini, conferre non potuit? An si vos eam domum nobis contulissetis, non jure nos eam possidere diceretis? cur, quando Serenissimus Rex contulit, nos iniustos possessores appellatis? Iustum est, quia vobis, vt vos dicitis, contulit, cum potuisset; & non est iustum, quia contulit nobis, cum similiter potuisset, cur

cur ita? num quia quidquid Torunensibus conceditur, id iuste concedi; quidquid Iesuitis, injuste fieri putatis? Sed vobis ob vestra in Rempublicam merita concessit, sit ita, neque enim vestris derogare meritis meum est, sed neque vos derogetis nostris.

Atque vt ad id, vnde digressa est, redeat oratio, puto ex his, quæ hactenus dixi, satis superque manifestum esse, vos Torunenses nunquam a nobis, iure Patronatus, siue illud habueritis, siue non, exutos esse: neque vos vicisse, & immerito Oratori nostro insultare, atque ab eo pignus certaminis exposcere: cum Priuilegium surreptitium, & suppositititium sine vllo Rege, qui illud concesserit, sine anno & loco assertis. Vt tamen adhuc manifestior fiat hæc nostra proposita assertio, & vos Torunenses intelligatis, an hoc iure a nobis aliquando exui poteratis, aliqua ex grauibus authoribus hic de jure Patronatus addam. Vos enim Hæretici a nobis Catholicis doctrinam hanc iure petere & acceptare debetis: cum ius patronatus, sit ius Ecclesiasticum, quod dum vos vsurpatis vobis, num iure, an iniuria hoc faciatis, & quidnam illud sit, a veris Ecclesiæ filiis Catholicis, vos abortiui & Apostatæ discere debetis.

Primum ergo caput huius doctrinæ est, ius patronatus nihil aliud esse, quam potestas nominandi, præsentandi, seu offerendi Episcopo Clericum, instituendum ad aliquod beneficium Ecclesiasticum vacans; quod præter doctores omnes Ecclesiæ, Theologos, Iuristas, tam Canonicos, quam Ciuiles, ipse etiam Illustrissimus Tylicki apertissime docet in literis superius a me citatis. *Patronus, inquit ille, elegit (f. Clericum) Episcopus probat, ille præsentat, Episcopus confirmat, seu instituit.* Quomodo ergo vos, Torunenses, aliud jus vobis assumitis in Templum S. Ioannis? quomodo tantum vobis arrogare audetis, vt si Episcopus, quos videt idoneos illi Ecclesiæ submittat, ad suas oues Diuini verbi prædicatione, sacramentorumque administratione pa-

pascendas, atque ab hostium incursibus tutandas, ad omnem pietatem informandas, queramini, & nullo modo id ab illis faciendum esse clametis? Imo iam nullum ius in illud templum Episcopos habere, non obscure contenditis, vt queritur & obiicit vobis Illustrissimus Tylicki.

Alterum est, Patronum Ecclesiæ non posse donare ius præsentandi laico sine consensu Episcopi, alias irritam esse donationem: secus est de Religiosorum familiis. Ita Decius cons. 541. vbi docet, hanc esse communem sententiam, Rochus in lib. de iure patronatus in verbo: Pro eo, q. 2. n. 30. Lambertus ibidem lib. 6. par. 2. q. 6. principali a 2. Ioan. Andre: & Abbas in cap. primum de iure patronatus. At vos Torunenses, qui ius patronatus vobis a Rege nescio, quo donatum esse gloriamini, habetisne consensum Episcopi, & quis ille est, sine quo totum ius vestrum, quodcunque tandem illud sit, corruit? Atque hoc animo illos autores huc produxi, vt intelligeretis, vestrum priuilegium, siue illud verum, siue fictum sit, nihil momenti ac ponderis habere, cum vos laici, imo Hæretici a laico, hoc ius sine Episcopi voluntate accipere non potueritis.

Tertium, ius patronatus non potest haberi titulo patrimonii, vel hæreditatis, quia non cadit sub hæreditariam successionem; sola enim præsentatio, non vero successio pertinet ad patronum: quam tamen Hæretici, quales sunt Torunenses, vsurpare sibi contendunt. Ita Greg. libr. 3. tit. 38. c. 15. de iure patronatus cum sua Glossa.

Quartum, ius patronatus esse ius spirituale, & a solo iudice Ecclesiastico iudicari debere, ex Greg. lib. 2. tit. 1. c. 30. de iudicis iuxta Glossam, verbo, Connexa. Quid ergo vos, Torunenses, de hoc iure coram vestro Antistite Culmensi, disceptare non vultis.

Quintum & postremum est, ius patronatus in Ecclesia Catholica laicis non concedi, nisi respectu Religionis

nis Catholicæ, & propter bonum Ecclesiæ, ac proinde illud Hæreticis, quales sunt Torunenses, nullo modo competere posse in templa Catholica, quos etiam ius ciuile spoliat omnibus priuilegiis, quæ Catholicis iure Religionis indulta sunt. lib. 1. tit. 5. lib. 3. & 10. & Novel. 131. c. 14. Magna sunt hæc Torunenses, sed audite maiora, quæ illa; vultis nosse? Iura nostra Polonica priuant & exuunt Hæreticos talibus etiam priuilegiis; non creditis, Torunenses? Legite statutum Iagelonis, & ordinationem regni, legite & alia multa anni 1572. senatus consulta. Euoluite edictum Sig. 1. edictum Sig. Aug. lib. 4. Synodi Const. in quibus hoc, quod dico, perspicietis. Miris equidem extollit laudibus patronus vester statutum Sigismundi, Regis Poloniæ de Annatis, vtpote quod sit ad palatum ipsius, quo ille promittit, se petiturum a Sanctissimo Patre Papa (ita Maiores nostri & vestri Torunenses vocabant Romanum Episcopum, non vt vos Antichristum) vt Annatæ remanerent pro defensione reipubl. in regno: quod si eas impetrare non posset, tunc iam ex tunc renunciaturum illi, easdem se non daturum nec efferri vlla ratione permissurum.

Atque dum hæc patronus vester retulisset, actutum exclamat. Vbi tunc, inquit, ista Pontificis Romani omnipotentia, in Polonia latitabat, quam nobis Bellarminus & cæteri Iesuitæ, Romanæ aulæ adulatores, noui doctores persuadere conantur? Non recognita fuit in Polonia ante istos ab antecessoribus nostris potestas, Pontificis etiam quoad reditus. Laudet igitur & hoc aliud eiusdem Sigismundi statutum, quo ille decernit, Hæreticorum bona omnia confiscanda esse, prolem vtriusque sexus omnium bonorum successione, & honore abiudicandam, omnes infames esse, vt qui censuris Ecclesiasticis non tenentur, humana seueritate mulctentur. Fueruntne tunc in Polonia Iesuitæ, imo extiteruntne in aliqua orbis parte, aut in rerum natura, cum hic Rex

 omnes

omnes hæreticos ſuamque prolem tanta infamiæ macula notarit, & omnium facultatum honorisque abdicatione, vt peruicaces & legibus non obtemperantes onerarit? Audiuitne tunc Polonia de Ieſuitis, nouitne illos vel de nomine totus mundus, cum Gregorius 7. Romanus Pontifex ante quingentos & aliquot ſupra triginta annos, ob cædem D. Stanislai a Boleslao Cracoviæ patratam, toti Poloniæ ſacris interdixit, regnoque eam priuauit, ipſum vero Regem diris execrationibus deuouit, & regiam dignitatem ipſi ſolenni ritu abrogavit: edixit quoque, ne impoſterum Epiſcopi in Regem quempiam alium, iniuſſu ſuo, vngerent & coronarent? Et ex eo tempore Principes dicebantur, non Reges, qui in Polonia dominabantur, & durauit hoc interregnum, multis & multis annis, vt videre eſt apud noſtrum Cromerum lib. 4. & 11. Vbi tunc erant, Anonyme, iſti tui Romanæ aulæ aſſentatores, cum hæc fierent? Latebatne tunc in Polonia, iſta Summi Pontificis omnipotentia, quæ tam horrendas palam Regi, regnoque inflixit pænas? Nondum videlicet, tunc fuerant exorti in Polonia Hæretici & Paraſiti Regum. Iam vero quam recte probes illo Sigismundi ſtatuto, non recognitam fuiſſe in Polonia, ante Ieſuitas Romanorum Pontificum poteſtatem, etiam quoad reditus, nemo niſi cæcus & amens ſit, non videt. Cur enim Sigismundus promiſiſſet Nobilitati, ſe miſſurum ad Summum Pontificem, & petiturum ab eo Annatas, ſi Pontifex non habuit poteſtatem in illos reditus? Quid oportebat ab eo petere earum condonationem, ſi nullo modo illius erant, ſi nullum ius in eas habuit? quis enim ab aliquo id, quod non ſuum eſt, petit? clare ergo docet Sigismundus, ſuas Annatas, in Romani Pontificis manu fuiſſe: quas ille ſe non ferro adempturum, ſed precibus impetraturum, pro regni neceſſitatibus Nobilitati pollicetur. Sed tu more Muſcæ, parte hac ſana relicta, ad illam affectam properaſti, vbi ſi Rex, in hoc a Pontifice impetrarit, illas non permiſſu-

rum

rum efferri proteſtatur. Ex quo ſat inepte more tuo, latuiſſe tunc in Polonia Pontificis poteſtatem, intuliſti: illud enim nihil Pontificis authoritati aut poteſtati derogat. Neque enim ſi milites in ſuum inſurgant Imperatorem, aut ſubditi ſuo rebellent Regi; ideo illi milites ac ſubditi continuo eſſe deſierunt, & hi Imperatoriam ac Regiam in eos amiſerunt poteſtatem: licet interdum multitudine ſeu potentia ipſorum opprimantur: ſemper tamen ius ſuum retinent. Et certe Summus Pontifex illam iniuriam non diſſimulaſſet. Dicat vero nobis Patronus veſter: cur nihilominus idem Sigismundus contra ſuum ſtatutum, & fidem datam toti Regno permiſerit, efferri deinceps Romam Annatas? fortè a Bellarmino & a Ieſuitis, qui tunc in rerum natura non erant, perſuaſus de omnipotentia Pontificis? Videtis *Torunenſes*, vt Acephalus veſter delirat. Diſcat igitur rudiſſimus homo, Annatas eſſe antiquiſſimas, omnium nationum conſenſu receptas, vſu diuturno comprobatas, & per concilia, vt Conſtantienſe, quod ille ipſe citat & admittit, ac Viennenſe ſtabilitas, de quibus multa apud Thomam Campegium Cap. de Annatarum inſtitutione videre poteſt. Verus fuit hæc & ab omnibus accepta doctrina, & Summum Pontificem habere poteſtatem Spiritualem ſuper Reges Chriſtianos, ac ipſorum Regna, & denique deberi eidem, de iure tanquam Summo Paſtori Epiſcoporum decimas, quæ ſunt illorum Annatæ, ſicut & iiſdem Epiſcopis debentur a Laicis, quorum ſunt Paſtores. Atque hæc ita ſunt indubitata apud omnes Catholicos literatos, vt ſuperuacaneum ſit, pluribus hac de re agere, maxime apud vos Hæreticos.

CAPVT XI.

Collegium Torunense Societatis nostræ, optimo iure erectum & institutum.

Operæ pretium me facturum existimo, cum hanc quæstionem, de Collegio & Scholis nostris, optimo iure Torunii excitatis & fundatis, cum Torunens. instituo. Hinc enim illæ Torunensium lachrymæ, hinc omnes illæ querelæ, omnes contumeliæ, omnes criminationes dimanarunt. Scholæ tot accusationes Torunensium contra nos exciuerunt, famosos libellos cuderunt, odia sopita veluti cinere deiecto suscitarunt, tumultus, iurgia, protestationes, direptiones crearunt, cœlum & terram mouerunt. Hæc est illa scintilla, quæ tantum excitauit incendium. Hoc illud crimen est, quod eo animi iræque impotentes Torunenses impulit, vt cum criminationibus & maledictis, in nos finem nullum facerent, seipsos in fabulam, & prouerbium omnibus darent. Quando Torunii absque Scholis mansimus, (quod fere tempus decenii impleuit curriculum) amicioribus Torunensibus vsi sumus: Nullæ tunc protestationes: nulla maledicta audita. At vbi primum Scholæ apertæ sunt, & Collegium institutum, vbi studiorum nostrorum initia exorsi sumus, ecce tibi Torunenses, veluti feruens sæuis actum tempestatibus æquor, turbari, æstuare, feruere, bullire; accusationibus, calumniis, mendaciis non parcere; omnia contra nos, quæ ira & indignatio suadebant effutire, nos malæ fidei possessores appellare, domo exturbare, libellos scommatis & maledictis plenos passim spargere, Catholicos persequi, sacra ritusque Romanos prohibere & impedire, omnia tentare, Comitia turbare, negotia Reipubl. in conuentibus Nobilitatis suis commentis interrumpere, omnia miscere, omnia peruertere, nihil negligere, nihil intentatum relinquere, sumptibus non parcere, famam prostituere, bacchari ac furere plane cæperunt.

Sci-

Scilicet in ære vestro sunt nostræ Scholæ, & non eas imis (vt aiunt) ceris eradere cuperitis. Non creditis hoc? palam vos vestris ipsorum testimoniis conuincam, si tamen prius paucula hic Illustrissimi Gæbicki verba apposuero. Subitanea (inquit) ista quæstio de iure possessionis domus Parochialis Iesuitarum, interiecto decennii spatio, sera est admodum & intempestiua. Cur sera & intempestiua? quia ante Torunii scholas non habuimus, cum nunc habeamus. Quid ergo vos Torunenses? Rogatus non ita pridem Torunii ante duos annos circiter, ab Illustri D. Fabiano Plemiencky, Fabianus Tinka vester primarius vir & Consularis, quid caussæ esset, cur Torunenses, homines Societatis Iesu tanto, tam acri, tam in exsaturato persequerentur odio, vt eadem cum iis ingredi via nequaquam possint, cum ante amice & pacate cum iis vixerint. Quid ille ad hæc? Num eos turbatores pacis, euersores ciuitatis, direptores facultatum alienarum appellauit: Num inuasores templi, domus Parochialis iniustos possessores, Augustanam religionem demolientes, Euangelicis nocentes, canes angulos domus Senatorum in Comitiis obambulantes, esse dixit? Num denique de aliquibus iniuriis, calumniis, criminationibus, est questus? Mirum de his omnibus silentium. Quid igitur? Audite & vestro vos gladio iugulate. Ingenue fassus est ille, se quod Iesuitis vitio daret, non habere, vt qui essent homines inculpatæ vitæ, & præ cæteris singulare quid, quo illis excellant, habentes: Scholas tamen ipsorum, se totumque Senatum Torunensem, cum ab illis nobis metuamus, nullomodo ferre posse, quo factum est, vt & ipsi Iesuitæ graues apud nos incurrerint inimicitias. Audistis? agnoscitis, tam insigne nostræ innocentiæ, vestrum ipsorum testimonium? quod tanto luculentius est, quanto is, qui illud dedit, in Senatu vestro altior fuit, & nostræ Societati hostis infestior. Atque id ego ex eodem Illustri D. Plemiencki accepi. Sed repetite,

quæ-

quæso, Torunenses, animis vestris, adhuc & illam vestram legationem ad Antistitem Culmensem? Cognoscite, quale innocentiæ nostræ vestri legati ibi dederint testimonium; vt iam capite secundo docui, sed parum est hoc: non paucis ex equestri ordine viris, nostræ quoque Societatis Religiosis haud semel dixistis. Transferte vestras Scholas alio, nos & sumptum 10 millium ad id offeremus: ipsi vero hic manete, vt ante sine Scholis, conueniemus vobiscum, pacata & quieta nobis erunt omnia, amicos nos experiemini. Hæc est oratio, hæc testimonia Torunensium, quibus ingenue fatentur, se quicquid hactenus contra nos dixerunt, feceruntue, id Scholarum odio dixisse, fecisseque, omnesque illos tumultus, calumnias, famosos libellos, accusationes, Comitiorum & totius Reipub. turbationes, & quidquid demum ira odiumque patrauit, totum illud ex hoc vnico fonte, quia Torunii Scholas habemus, dimanasse.

Quia vero passim iactant Illustrissimum Petrum Kostkam, Antistitem Culmensem, nullum habuisse ius fundandi Collegium nostræ Societatis Torunii, neque nos vllam fundationem iure habere posse, quod si quam habeamus, eam surreptitiam, & per vim extortam esse; vt tantum errorem ex animis Torunensium euellam, altius quædam de Collegiorum institutione, hic mihi repetenda video.

Ac inprimis, fundatio Collegiorum, in quibus juventus, cum honestis literis, tum optimis moribus, informetur ac imbuatur, Principibus, tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis, qui ad clauum Reipubl. sedent, competit: quod ita se habere, aperte ius Ciuile & Ecclesiasticum docet, & Toloss. Syntagm. lib. 15. C. 32. Gregorius lib. 4. Cum filii sint legitimi: Titulo 17. C. 13. cum Glossa, & lib. 3. Tit. 23. C. I. in 6. de immunitate Ecclesiarum cum Glossa, & Martianus D. Lib. 47. Tit. 22. Possunt præterea Collegia institui ab Episcopis in sua diæcesi, & ab aliis, qui non sunt Episcopi, modo

Prin-

Principis siue Regis, cuius illæ sunt Prouinciæ aut Vrbes, accedat consensus. Et id docet ius vtrumque loco iam allato. Huc accedit, Episcopos inuigilare debere, vt Magistri, qui iuuentutem in Scholis erudiant, sint optimi, & cum doctrina, tum pietate præstantes, ex Lib. 10. Tit. 52. de Professoribus Lib. 7. Quod si alicubi altiores disciplinæ tractandæ sint, eas etiam Summi Pontificis confirmationem requirere, in Clementina de Magistris docetur. Atque hoc pacto Collegium & inclyta Cracouiensis Academia per Iagellonem, & coniugem eius Heduigim piissimæ vitæ Reginam erecta ac fundata fuit, confirmatione Vrbani Pontificis accedente, in qua tamen lectio Theologica denegata est, quam tunc Rex expetiuerat: sed postmodum a Bonifacio concessa, & quibusdam Priuilegiis ac libertatibus dotata & ornata: vt videre est apud Herbortum, verbo, Schola Cracouiensis, & in Summario Ianiszenii, verbo, Academici. Atque dum hæc scribo, duos mihi latissimos aperiri campos video, agendi contra Anonymum ipsosque Torunenses. Primus est, in Polonia, antequam in hoc Regnum, nostra Societas inuecta esset, imo cum nusquam extaret adhuc; Summi Pontificis non latuisse autoritatem, vt iam supra satis aperte docui, aut potentiam: sine cuius voluntate S. Theologiæ studia, nemo poterat Cracouiæ profiteri, licet id Rex & Regina maxime postulassent. Eat ergo Anonymus, & legat diligenter annales, & primordia Academiæ Cracouiensis, & in posterum obstruat os suum, nec contra apertam veritatem loqui velit, quo nomen famamque Torunensium, quam ego semper sartam tectamque velim, laceret & traducat. Secundus est, nostrum Torunii Collegium, iure optimo fundatum & institutum esse, iuxta ea, quæ de fundatione Collegiorum adduxi, si illa principia Torunenses admittunt, vt admittere debent, nisi proterui sint & contumaces, atque ipsi rationis dictamini, veritati, decretisque tam Ecclesiasticis,

quam

quam sæcularibus, repugnantes esse velint. Vera sunt ergo ea, quæ de fundatione Collegiorum ad iuuentutem erudiendam dixi, & si quæ eo modo fundentur, & erigantur, iure optimo fundari & erigi. Sed nostrum Torunense Collegium ad illum modum, & iuxta illas leges, erectum & fundatum est. Ergo nonnisi iure optimo fundari ac erigi potuit. Negatis, Torunenses? quinimo maxime. Manete parumper, donec illius Maioris propositionis, quam vos admittitis, principia retexam, & ad Minorem de nostri Collegii fundatione applicabo, & tunc licet maxime nolitis, assensum Conclusionis a vobis extorquebo. Atque inprimis ignorare non potestis, Collegium nostrum, a Petro Kostka, optimo Antistite Culmensi esse institutum Torunii in Ciuitate suæ Diœcesis, habito consensu Serenissimi Regis Sigismundi, qui Dominus est, vt totius Regni ita & Ciuitatis huius; quod maxime docent publica diplomata, cum eiusdem Antistitis, tum Serenissimi Regis, qui etiam peculiari Priuilegio illud Episcopale diploma confirmauit. Adhucne illegitime nostrum Collegium fundatum esse, contenditis, quod ab Episcopo institutum, a Rege confirmatum est? At si Regi & Episcopis ius fundandi Collegia adimitis, cui tandem illud attribuetis? nisi forte vos & Reges & Episcopi in vestra Ciuitate esse velitis. Sed ne vobis tantum arrogetis, subdite cola iugo, agnoscite Reges, agnoscite Episcopos, nolite Regiam, nolite & Episcopalem, ad vos transferre potestatem. Si tamen adhuc vobis ad Collegii Torunensis fundationem, authoritas Regia & Episcopalis non sufficere videtur, num & totius Reipub. consensum & voluntatem respuetis? nimis duri & peruicaces estis. Reuoluite acta comitiorum generalium anni 1611. in quibus totum Senatus, & nunciorum Collegium, nomine vniuersæ Reipubl. nostras Torunenses Scholas summa approbauit authoritate, voluntate, constitutione, decretoque expressis verbis lato. Satis hoc? audite

&

& expauescite, quæ tam repente, e mari in Torunenses calamitas? & in Torunenses illud Collegium impedientes pæna, quæ illa? pœna, inquam, perpetuæ bannitionis latæ. Istine, Torunenses, ius Collegii, in vestra Ciuitate instituendi non habent, qui tantam, tam seueram, tam grauem vobis infligere pœnam possunt? Sed Patronus vester ait, huic Constitutioni, dum in Conuentu Nobilitatis legeretur, a maxima parte Nunciorum terrestrium, qui erant Euangelici, fuisse reclamatum. Omnino iste Patronus vester, aut fallitur, vt homo ex infima fæce plebis publicorumque Regni statutorum ignarus, aut apertam veritatem impugnat. Nam nec maxima pars eorum Nuntiorum constabat ex Euangelicis, nec omnes reclamarunt, sed aliqui duntaxat, & fortassis duo tantum; qui tamen auditis rationibus aliorum, & quod nihil illorum interesset, acquieuerunt: quod ego ex grauissimis nostri Regni Senatoribus, sub hoc ipsum tempus, dum hæc scriberem, intellexi, cum huius vestræ fabulæ, apud eos mentionem fecissem. Miror plane hunc vestrum Patronum, quod quidquid dicat, totum e mendaciis sit conflatum: ita, vt somniasse tunc potius, dum hoc vestrum Patrocinium scripsit, quam vigilasse videatur: & vobis, qui post Nobilitatem in Republ. præcipuum nomen obtinetis, dum patrocinari voluit, non mediocriter suis mendaciis (quod ego multum doleo) obfuit; dum vos apud omnes traduxit. Ex hoc eodem Principio colligere potestis, & illud vestri Patroni pronunciatum, quam sit veritati consentaneum, non arrogasse sibi Nobilitatem hoc ius, vt possit in Ciuitate Torunensi Scholas erigere. Quomodo enim illud arrogare sibi dicenda est, quod tanquam proprium habet, vesterne Patronus, ius Collegium erigendi Torunii, toti Reipub. adimit? Quod si hoc iure & potestate Scholas instituendi Rempub. exuit, cui tandem illam attribuet? nisi forte ad vos solos hanc potestatem pertinere, dicat, & vos solos Reges illius Ciuitatis constituat?

Sed

Sed fortaſſe iam ita Collegium noſtrum, vt dictum eſt, Torunii conſtitiſſe acquieſcitis: illud tamen forte veremini, ne rogantibus & vrgentibus nobis, illæ Scholæ apud vos conſtiterint, quæ ſola res omnium ſuſpicionum, ac periculorum poſſit eſſe ſeminarium. Et quamvis hac in parte mentem noſtram, vobis non teneamur exponere; tamen, quo magis ſinceritas animi noſtri vobis nota ſit, rem omnem, ita, ſicuti eſt, aperiam. Magnus ille, & promouendæ pietatis ac religionis Zelo æſtuans, Petrus Koſtka, Antiſtes Culmenſis, vt primum in huius Eccleſiæ Paſtoralem dignitatem inauguratus eſt, vndique ſtatim circumſpicere, tanquam bonus Paſtor cæpit, quomodo ſuæ curæ commendatas oues ad bonum promoueret, quibus præſidiis a malo tueretur. Quo ſubſidio, quia Torunenſem Eccleſiam, vtpote inter Hæreticos Eccleſiæ Catholicæ hoſtes infeſtiſſimos, & pietatis, omnisque morum honeſtatis, deprauatores, poſitam vidit: ad hanc iuuandam præcipue, omnes ſuas curas cogitationesque conuertit. Quia vero noſtram Societatem, ad hoc opus idoneam eſſe, cognouit, vtpote quam in pietate Catholica promouenda indefeſſam, in laboribus & periculis ſuſtinendis fortem, in Hæreticorum erroribus oppugnandis, prudenter magnanimam, & felicem expertus eſt; hanc potiſſimum in partem ſui laboris vocare, hanc quaſi vigilias, ac præſidiarias copias, ad ſuum tutandum ouile ponere decreuit. Vt ergo huic ſanctiſſimæ voluntati faceret ſatis, anno 1573. quo Epiſcopatus ſui pedum accepit, P. Prouincialem noſtræ Societatis, ad ſe acceſſiuit eique omnem ſuam voluntatem, ac deſiderium expoſuit: cui tamen obſequi, & ſatisfacere ob paucitatem perſonarum, in noſtra Societate non potuit. Itaque hic repulſam paſſus, nihilominus de ſuo ſtudio, ac voluntate, annis ſuccedentibus nihil remiſit: atque iterum alium Prouincialem noſtrum ad ſe aduocauit, eique ſuam eandem de Collegio Torunii fundando mentem aperuit, & id [illegible] ſum-

summa contentione postulauit. Sed neque hic ob varias difficultates, quas nostri proponebant, illi suum explere desiderium licuit. Quid hic faceret optimus Præses, custosque vigilantissimus super gregem suum, Christi sanguine redemptum? desisteretne a proposito ob repulsam toties aditam, an pergeret? tantum ergo abfuit, vt aliquid de suo desiderio remiserit, vt etiam illud multis auxerit partibus. Anno itaque salutis nostræ 1593. Prouinciali nostro ad se euocato, primum multum coram ipso questus, quod toties iustissimis suis precibus non annuerit, is, qui totam suæ vitæ rationem in adiuuandis ad salutem proximis, ex suo instituto posuit, demum iis eum conuicit & ligatum tenuit rationibus; vt nec Episcopus ob suam authoritatem & sanctissimum desiderium repulsam pati, nec Prouincialis, id, quod petebatur, ob suam modestiam denegare, aut paucitatem personarum, seu quiduis aliud prætendere, amplius potuerit. Respirauit ergo optimus Antistes, dum suum desiderium, tandem aliquando expletum vidit, atque mox nulla facta mora, vna cum Venerabili Capitulo, Priuilegium pro fundando Torunii Collegio, conscribi curauit. Sed antequam hoc tam sanctum animi sui institutum, ad finem optatum perduceret, inuida mors, dum maxime ferueret opus, eum nobis e medio sublatum, cælo, non nobis maturum, ad meliorem vitam transtulit. Successit Illustrissimus Petrus Tylicki, non minus in Episcopali dignitate & officio, quam in feruentissimo Antecessoris sui, in promouenda Torunii per nostræ Societatis homines Catholica religione desiderio. Et vt Pastoralis dignitatis, ita studiorum, sui Antecessoris, verus factus hæres, imo & æmulus, illius voluntatem in fundando nostro Torunii Collegio, omnibus rationibus promouit; adeo, vt cum ipso, hoc in genere certare videretur. Atque dum huic operi insignis Princeps & propagandi honoris Diuini studiosus, serio manum admouit, id tandem est assecutus, quod

ne

ne suus Antecessor assequeretur, mors immatura prohibuit. Iure ergo ac legibus templum S. Ioannis, quod vestris ritibus Hæreticis, a multis annis prophanatum polluistis, e manibus vestris intercedente D. Andreæ Markowski eiusdem templi Parochi opera, extorsit: nos in possessionem domus, & Scholæ Parochialis an. 1596. vt supra retuli, per suum Cancellarium introduxit, pulpitum Ecclesiæ tradidit, atque vt animose opus nostrum, in iuuandis pro nostro instituto proximis, aggrederemur, animauit.

Quid hic vos non fecistis, Torunenses? in quas formas vos ceu Promethei aliqui non transformastis? quid non attentastis? quibus interminationibus, quibus pollicitationibus, nos de nostro statu deturbare non estis adnisi? dum nos palam Torunii omnia pietatis Catholicæ officia obire, conciones publice, Polonico & Germanico idiomate, ad populum habere vidistis? Sed vt nos ad minas imperterritos, ad pollicitationes inflexibiles conspexistis, quo confugistis? Primo libellos famosos sub tempus Nundinarum contra nos edere, & ad valuas ciuitatis publice affigere, ac in vulgus spargere; deinde criminationibus variis, calumniis, accusationibus nos vndequaque impetere cœpistis: verum cum ne his omnibus victi cederemus, literas ad Illustriss. Tylicky dedistis, vt nos quamprimum Torunio amoueret. Respondit ille, vt par erat, in iis literis, quarum sæpe hic mentionem fecimus, licere sibi Torunii, quos velit instituere Sacerdotes, ac proinde vos in aliorum sese ingerere officium non debere. Luculenta est in eadem Epistola huius tanti Senatoris, laus nostræ Societatis & defensio, in qua etiam meminit Scholæ domui Parochiali vicinæ, quam vos contra ea, quæ ibi dicit, & contra veritatem transactionis vobiscum factæ, Hæreditariam vestram, nescio, quo iure, hic non semel asseruistis, & quod precario eam Plebano, & ad vestrum beneplacitum concesseritis. Quod si ita esset, quomodo tantas

tas

tus vir contrarium idque apud vos asseteret? & eam Scholam nobis perpetuo iure consignare iuberet, quam vestram & Plebano precario concessam sciret?

Ex his ergo, quæ hactenus dicta sunt, satis liquet, iniustissime vos, Torunenses, conqueri & clamare, nullo iure Collegium nostrum apud vos esse institutum. Sed iam credo manus datis, iam hoc ius fundandi Collegia, Regi, iam Episcopis conceditis, adhuc tamen audio vos submissius nescio, quid immurmurantes: verá scilicet esse omnia, quæ de fundatione Collegii dicta sunt: quando tamen hæc fundatio non fit, contra ius alicuius ciuitatis, quo fieri prohibetur, tunc enim iure erectum esse dici nullo modo potest: quale ius & priuilegium habet Ciuitas Torunensis. Ostendite hæc priuilegia, Torunenses, Regum Poloniæ, quibus vobis conceditur tantum, ac plane Regium ius, vt Scholæ nusquam Torunii erigi possint sine consensu vestro. Cur, quæso, cum tam præclaro, tam magnifico priuilegio, in lucem prodire metuitis? fortasse & illud est Regis, nescio cuius, quando & vbi datum. Quod si Torunenses quispiam contenderet, vos hoc priuilegium, si quod tandem habetis, fraudibus & dolo, acquisisse, & pecunia, more surreptitio, coëmisse? Certe ego nolo, vt possem, quædam hic, narrata mihi ab aliquot Illustribus Viris, de quibusdam vestris & Elbingensium priuilegiis, referre, vos ipsi optime nostis, modo vere ac syncere animos vestros consulatis, qua fide illa vobis comparastis, in quibus tamen qualiacunque tandem illa sint, illud semper additum habetis: Sine præiudicio tamen iurium Ecclesiasticorum. Sed sciunt Torunenses, huiusmodi Priuilegium, quod tamen iactant se habere, in suo archiuo, licet illud susque deque euertant, nusquam reperiri posse: imo si quod haberent, adhuc tamen inualidum esset, cum iuri Episcopali aduersaretur, ad quod fundatio Collegiorum de iure pertinet; ideo Patronus ipsorum, non Priuilegium aliquod, sed verba quædam

 fa-

ſatis lepide affert. In Priuilegio, inquit, Regio Sereniſſimi Sigismundi, qui iura Ciuitatis Torunenſis confirmauit, cum coronaretur, extant hæc verba: Ciuitatem Torunenſem in eo ſtatu manere debere, in quo fuit ſub auguſtiſſimum aduentum illius, vbi tunc Torunenſes plerique, nec cultum veſtrum Ieſuitæ, nec vultum viderunt. O lepidum caput Anonymi, & probationem nimis argutam, quæ plus riſus quam roboris habent. Sed & o Regis noſtri ſummam iniuſtitiam, qui Priuilegia Torunenſium conuellit, & ciuitatem eorum, in eo ſtatu permanere, in quo ſub aduentum illius, dum coronaretur, fuit, contra ſuum decretum non ſinit. Quid enim? Nonne, Torunenſes, ſub aduentum Sereniſſimi Regis in Poloniam, is ſtatus veſtræ ciuitatis erat, vt bona Monaſterii Virginum tanquam Domini teneretis, eaque in vſus veſtros conuerteretis? Nonne templo S. Ioannis ad veſtros ritus Hæreticos vtebamini? quid ergo cauſæ eſt, quod his omnibus nunc abiudicati eſtis? cur cum Sereniſſimo Rege de tanta iniuria non expoſtulatis? qui Priuilegium vobis in prima ſui inauguratione datum, quo ſe ciuitatem veſtram in eo ſtatu ſeruaturum, in quo illam inuenit, obſtrinxit, penitus ſuſtulit. Alia nunc facies, alius veſtræ ciuitatis ſtatus, bona & templa, quæ olim in veſtris manibus erant, iam in alienas, quorum de iure fuerant, deuenere manus. Scilicet Sereniſſimi Reges, cum in eo ſtatu ciuitates, in quo illas inueniunt, pollicentur permanſuras, etiam quidquid tandem in illis vel iniquiſſimum ſit, hac ſua pollicitatione confirmant. Ergone ita iniquos Reges eſſe vultis, vt rapinas, cædes, ſacrilegia ſuis confirment Priuilegiis? Pollicentur ergo Reges, permanſuras ciuitates in eo ſtatu, in quo, de iure, non de facto erant, vel in eo ſtatu, qui iure & Regum Priuilegiis ſit firmatus & ſtabilitus. At quis veſtras rapinas, Torunenſes, quis ſacrilegia ſtabiliuit? quo iure, quo priuilegio, bona Cænobii Virginum & templum S. Ioannis tenuiſtis? Non

er-

ergo Serenissimus Rex suum priuilegium vobis datum fregit, cum & bona Cænobii & templum a vobis iniustis possessionibus ad veros & germanos possessores transtulit; quia non de iure, sed violentia, in hoc statu vestram inuenit ciuitatem. Iam quod hunc Collegium nostrum Torunii fundari concessit, cum in hoc statu illud non inuenerit, quod tandem ius vestrum violauit? ostendite illud, si habetis. Plerique Torunenses tunc (inquit Patronus vester) nec cultum vestrum Iesuitæ in sua ciuitate, nec vultum viderunt. O nimis argutum caput. Ergone, quia Iesuitas Torunii tunc, cum Serenissimus Rex in regnum inauguraretur, & priuilegia vestra firmabat, non vidistis, hoc ipso vos ius habebatis, vt nunquam eos in vestra ciuitate in posterum videretis, & Serenissimus Rex eo ipso, quia Iesuitas Torunii non inuenit, & hic status ciuitatis erat, hoc ipso, inquam, in eodem statu, illam permansuram promisit? Hoccine est ius vestrum? certe nec filii vestri, nec quispiam alius in vestra ciuitate manere possunt, ex hac vestra deductione, cum non in eo statu Rex ciuitatem inuenerit, siquidem illi nondum nati erant. Non fuerunt Iesuitæ Torunii, cum Rex iura ciuitatis confirmauit, ergo & Iesuitas, nunquam Torunii futuros, neque esse posse, confirmauit? quia in eodem statu, quo tunc erat, ciuitatem fore promisit. Sed Iesuitæ tunc non erant, ergo neque nunc debent esse, iam enim status ciuitatis mutaretur. O argutam argumentationem! Puto hunc Patronum vestrum mentem & caput illico amisisse, postquam hoc cudit argumentum. Ego certe mihi tantum non arrogo, vt tam acute argumentari possim.

Sed vice versa nos, nos potius cum tota Nobilitate vestram possemus, & quidem meritissimo iure, accusare proteruiam: qui sine consensu Regio, contempta Episcopi authoritate, vestras Scholas Hæreticas contra ius fasque Torunii erexistis. Ostendite vestræ fundationis diplomata, ostendite Episcopi Culmensis voluntatem,

sine cuius approbatione nullæ Scholæ in tota eius Diæcesi erigi possunt. Quid ergo nos de illegitima Collegii fundatione calumniamini, dum vobis tot diplomata publica ostendimus, vos, qui priuata authoritate contra totius Regni statuta, vestras non tam eruditionis, quam erroris Scholas erigitis? Quam vero ad rem huic obiectioni respondeatis, considerate. Dicitis, illas Scholas vestras, erectas fuisse priusquam Borussi ad Regnum accederent, & cum istis Scholis accesserunt Torunenses ad Regnum. Quid audio? quid hic veritatis? Erantne tunc Scholæ Hæreticæ Torunii? At eas fuisse Catholicas & Romanas, ad Parochiam S. Ioannis, Parochumque illius loco pertinentes, & Episcopo Culmensi subiectas, vestri testantur annales. Qui enim illæ Scholæ vestræ esse poterant, cum necdum Hæresis Lutherana, aut Caluiniana Torunii nota esset, sed sola Catholica & Romana: imo, quod plus est, cum nondum illæ Hæreses natæ essent; Deinde tales ne illæ Scholæ erant, in quibus Scriptura Sacra, & disciplinæ Theologicæ, rectius Diabolicæ, legerentur? quæ omnia vos in vestras Scholas, a vobis excitatas, sine consensu Regis, sine authoritate summi Antistitis, sine cuius voluntate, hæc studia tractari non possunt, (vt iam ante docui) introduxistis? in eas, inquam, Scholas, hæc omnia introduxistis, in quibus non eruditionem & doctrinam, sed errores & impietatem docetis, odium in Catholicos, & summum Pontificem, mollibus ac teneris puerorum animis, sensim instilliatis. Quod si per iura nostra, nec Pistorum aut Sutorum, aliorumue opificum Collegia, sine consensu Principis institui nequeunt, ex quibus tamen non adeo grauia incommoda in Rempublicam timeri possunt, vt docet Herbortus, verbo, Fraternitas; quam longe potiori ratione in literarum instituendis gymnasiis, licebit? ex quibus maxima pericula oriri deriuarique possunt, non solum in totam Rempublicam, sed etiam in Ecclesiam, quod longe grauius. Ex male enim

enim instituta iuuentute, in Regnis seditiones, bella, iniuriæ, omnium vitiorum pestes, in Ecclesia Hæreses, sectæ, variæque in Deum Superosque blasphemiæ oriuntur: At in vestris Scholis, ita iuuentutem, quæ est spes & ornamentum Reipublicæ, institui, imo destrui, nemo est, qui ambigat.

CAPVT XII.

Futiles ac vanæ Torunensium rationes, contra Scholas nostræ Societatis Torunenses.

Etsi multa iam de iure & æquitate, fundationis nostri Collegii, in vestra Ciuitate dixerim, & fortasse aliquibus vestrum, etiam vsque ad nauseam; tamen quia nemo vnquam prudens probusque (quales ego vos iudico) veritatem fastidiuit, & quia omnium vestrarum contra nos querelarum & accusationum, in hac vna sola re totus cardo, vt iam ante insinuaui, vertitur; Præterea, quia nonnullas vester Patronus affert ratiunculas, quibus videtur probare, nullo modo, nostras Scholas salua & integra pace & tranquilitate communi, Torunii posse consistere; ideo huic parti, ex qua tota nostra controuersia pendet, nequaquam deesse potui, vt eam paulo fusius, quam reliqua alia persequerer. Quia vero, capite superiori, satis manifeste ius & æquitatem fundationis nostri Collegii Torunensis declaraui, hic nihil aliud agam, præterquam quod vestras quasdam dubitationes, difficultates & obiectiones, quas circa nostrum Collegium mouetis, a quo & omnia mala vobis metuitis, breuiter expendam, soluam & diluam; vt sic & rationibus manifestis, æquitate fundationis Collegii nostri ostensa, & obiectionibus vestris probe dilutis, omnem ex animis vestris scrupulum eximam, ne vllum vnquam periculum a nostris Torunensibus Scholis expectetis, aut illas nullo iure fundatas queramini. Agite ergo, difficultates vestras, quæ circa nostras scholas vobis occurrunt, proponite.

 Di-

Dicunt itaque cum suo Patrono imprimis Torunenses: Cum Torunii celeberrimum sit emporium, in quo diuersi generis merces exponantur, & homines diuersarum nationum, in variis negotiationibus sint occupati, inter tantos negotiorum tumultus, scholas nostras nequaquam posse consistere. Certe iste Patronus vester, aut nullum vnquam vidit emporium præter Torunense; aut vos Torunenses ridendos præbet, iis præsertim, qui bene norunt, quid sit Torunium, & quid in eo agatur. Quod enim hoc, quæso, emporium tam nobile? quæ merces, tam præclaræ, quæ in eo exponuntur? sal, credo, intelligit, & haleces ad ripam Vistulæ. O insignes merces! Qui isti varii generis homines in negociationibus & mercatura occupati? Pruteni scilicet ac Poloni in sua ciuitate ne dicam domi suæ, hospites scilicet ac peregrini: tum illa fæx & turba remigum Ruthenorum, ac denique vilissima baiulorum, operariorumque multitudo. O hominum varietatem præclaram, & frequentiam insignem, propter quam scholæ nostræ sunt claudendæ! Præstabat, vt hoc argumentum subticuisset, ne se & vos risui exponeret. Sed sit ita, valeat hoc apud eos, qui dum veritatem impugnant, omnia pro se facere arbitrantur. Nonne Rigæ longe nobilius est emporium, & tam frequentia, ac varietate hominum, quam mercium, quæ in eo exponuntur, præstantia longe celeberrimum. Cur tamen ibi non præiudicat scholis nostris? cur tanto tempore, ibi florent literæ nostræ?

Alterum est, quod Torunienses obiiciunt. Torunii, inquiunt, sunt diuersæ linguæ & Religiones hominum, quæ duo vbi cum vestro seminario concurrunt, actum est de publica pace. Vidimus iam istam vestram præclaram diuersitatem linguarum, quæ, cum voletis, fiet vnius labii, cum vestri ciues optime calleant linguam Polonicam. Diuersitatem Religionum, non nego esse, minorem tamen quam sit in aliis Ciuitatibus huius Re-

gni. Cur tamen hæc in illis non obſtat Collegio noſtro? cur non actum ibi de pace publica? Nonne Leopoli & Camenecii maior eſt diuerſitas linguarum, ſcholarum, & Religionum, quam ſit Torunii? ibi inuenietis Polonos, Ruthenos, Scythas, Armenos, Turcas, ibi Religiones Catholicæ, Græcæ, Hebreæ, Armenicæ vigent. Cur tamen ibi, licet Collegium noſtrum ſit, non actum de pace publica? Idem dico de Ciuitate Luceorienſi, Neſuiſienſi, Iaroslauienſi? Cur nec Rigæ hanc pacem, per noſtras ſcholas violatum iri, Rigentes proclamant? Cur nemo hoc periculum metuit? Vos ſoli Torunenſes, ibi trepidatis timore, vbi non eſt timor: vos ſoli eſtis, qui pacatam quietamque Ciuitatem veſtram habere connitimini: vos ſoli in videndis publicæ pacis periculis lyncæi & perſpicaces; reliqui omnes cæcutientes talpæ; vos, vt paucis rem complectar, in hoc prudentiſſimo Regno, ſoli ſapitis; cæteris ſtultis ac deſipientibus. Verumenimuero,

Quicunque (inquit ille) ſe ſolos ſapere linguæque vi vel pectoris pollere, quam alii non habent, exiſtimant: iſti retecti ſæpius comperti inanes ſunt.

Sed ſi hæc ratio valet aliquid apud vos, iuxta veſtram, vt vos iudicatis, ſententiam: ex Catholicis Ciuitatibus Regni Poloniæ, cedere debent vbique ſectæ veſtræ, Lutherana & Caluiniſtica, & Scholæ earundem omnino eiici, maxime ſi ſit ibi noſtræ Societatis Collegium: cum veſtra iuuentus, propter doctrinam peſtilentem, & odium, quo in Scholis, & in templis veſtris, contra Catholicos imbuitur, cogitet ſemper & meditetur, quæ ad communem pacem perturbandam ſeruiant, & ſi quæ occaſio vel leuiſſima ſeſe offerat, eam auidiſſime arripiat, & perturbata pace, omnem culpam in Catholicos transferat. Si quis ergo hoc vel attentaret, vt merito poſſet, vel diceret, quid vos hic faceretis, To-

runenses? quomodo ad hanc vestram iniuriam; si tamen iniuria, & non æquitas potius dici debeat, vlciscendam, quomodo, inquam, non omnem lapidem moueretis, omnia euerteretis, cælum & terram misceretis? quomodo non confæderationem violari, atque proscindi vociferaremini? At quomodo vos, viri boni, pari ratione confæderationem non violatis, eamque proscinditis, dum nostras Scholas e vestris ciuitatibus exturbare contenditis? Dum palam vociferamini: Vbi est diversitas Religionum & Collegium Iesuiticum, actum esse de pace publica, atque ideo Iesuitas Torunio eiiciendos? quomodo, inquam, confæderationis iura non rumpitis? qui aperte ea & dicitis & facitis, quæ illa vetant?

Tertio loco ponunt illam rationem Torunenses: Non posse fieri, quin filii Ciuium, cum filiis Equestris Ordinis committantur, stante Iesuitarum Collegio Torunii. Iam hoc Torunensium commentum, probe diluit Orator noster, nec ego in eo refellendo immorari volo, hoc tantum dico: Ipsemet ego sesqui anno, illud Collegium, cum altera vice studia nostra dissipata repeteremus, Rector administraui; nec tamen tale quidpiam subortum fuisse, memini, quod tales tumultus redoleret, quod vos quoque inficias ire sine insigni falsitate non potestis. Deinde estne credibile, vt sapientissimi Vrbis Torunensium Senatores (tales enim dici volunt & haberi, qui omnem gubernandæ Reipubl. scientiam, nimis insolenter sibi arrogant) hic tanquam ad aliquem Scopulum, suæ prudentiæ naufragium faciant: vt omnino desperent inuenturos se modum quempiam, aut consilium, quo scholarium æmulatione aliqua affectos animos, aut aliquibus iniuriis irritatos possint componere, aut violentis tumultibus (qui nobis ne per cogitationem quidem in mentem venire possunt) conuenienti remedio subuenire? Ego tamen facile hoc crediderim: quod illis vitio verti non debet. Nam homines

nes illi negotiosi, & quæstuosæ emendi ac vendendi mercaturæ dediti, quantum, quæso, habebunt ad subliminiores de Republ. cogitationes instituendas, ad importunos malorum conatus reprimendos, ad submouendas in Ciuitate perturbationes ac tumultus, ac sopienda inter æmulam iuuentutem odia, atque adeo ad scholarum mutuas incursiones compescendas? tantum inquam, quantum a salis halecumque mercatura, & a subducendis reducendisque rationum calculis, subcisivi temporis poterunt subtrahere. Disiunctissima sunt maximeque diuersa duo hæc, Mercator & Senator. Atque quod olim Plato sapienter docuit: Scientis est, non diuitis, de quacunque re bene consulere: & ad rem nostram paucis immutatis: Senatoris est ad clauum Reip. continuo sedentis, non mercatoris ad suas tabulas dati & accepti sedulo attendentis, de quacunque re bene consulere. Itaque non miror ego, Torunenses, in re tam ardua ac difficili, omne consilium deficere. Suggeram ego vobis, quod mihi in promptu est: Viri boni, conueniamus inter nos, conueniant inter se vestri ac nostri scholares, nulla sint inter nos dissidia; nulla timebuntur inter nostros discipulos ac vestros filios odia. Præterea conspiremus in vnum, cohibebimus nos, quod facile est, iuuentutem nostram; cohibete vos scholares vestros, ac ipsorum Magistros, ciuium filios in officio continete, petulantias, quas cum alias, tum noctu liberius exercent, prohibete: nos parti nostræ, vt iam monui, non deerimus, neque vnquam periculum erit, vt nostri vestrique discipuli infestis inter se aliquando concurrant armis vel animis. Non enim ad arma, ad odia, ad tumultus & seditiones nostra iuuentus; sed ad omnem pietatem Christianam, modestiam virtutemque in nostris scholis informatur & instituitur. Quid enim? an solum Torunii apud vos Collegium & Scholas habemus? Cur Rigæ, vbi plures Hæretici, cur Leopoli & infinitis aliis Ciuitatibus vtriusque orbis, vbi plures religionum in-

veniuntur varietates, nusquam tale periculum timetur? cur filii Nobilitatis cum Plebeiis nunquam inter se commissi esse (si Bransbergam, quam vester Patronus in exemplum adduxit, excipias) audiuntur? vestra sunt ista figmenta & subterfugia, Torunenses. Amatis scilicet nostras scholas, vt lupus ouem amat, quod vulgo dicitur, quas scilicet odistis peius cane & angue: libenter eas, vel in momento, si liceret, e vestris sedibus ejiceretis. Non nostri equidem discipuli, ejus tragediæ authores fuere, quam nuper, quod dolemus, in Ciuitate vestra spectastis, Torunenses: cum ille iuuenis, qui vobis ob suam egregiam indolem, & in literis conscribendis ingenium ac industriam, vt merebatur, charus erat, sua culpa & suorum congerronum insolentia, nimis atrociter ac misere periit. Quis eius cædis author? quæ eius crudelissimæ cædis ac tumultus occasio? ipsimet vestri juuenes nocturni grassatores, sua nimia licentia, vestra dissimulatione, suis clamoribus ac fortasse conuitiis, hanc misero iuueni necem peperere atrocissimam. Quis tunc discipulorum nostrorum gladium strinxit? quis eorum comparuit? Itaque vel hinc discite, Torunenses, non ex studiosis literarum, qui nostras scholas frequentant iuuenibus honestissimis ac nobilissimis; sed ex vestris filiis, ex illis vestris filiis, ex illis scholarum vestrarum discipulis timendos esse, Torunii tumultus: nisi illos potissimum turbulentos scholarchas, & vagos illos aduenas, scholares bacchantes, & incompositos beanos, seuera animaduersione coërceatis.

Nolite, Torunenses, de nostris discipulis conqueri, nos & nostri discipuli potius habent, quæ vobis obiiciant, & in quibus de vobis querantur, qui non a vestris scholaribus, sed a vobis ipsis parentibus ipsorum, multa inique passi sunt, & patiuntur adhuc, conniuentibus vobis & nocentes adiuuantibus, atque ad nocendum magis instigantibus. At cur ita? Occasionem Torunenses tumultus quæritis, vt si quis aliquando vobis authoribus sub-

suboriretur, in nos omnem culpam transfunderetis, atque hoc modo contra nostras scholas agendi ansam arriperetis. Et hoc illud est, quod Orator noster vobis objicit, duoque huius rei insignia affert exempla, quæ tamen Patronus vester leuiter recensendo transit, vtpote quibus quod responderet, non habebat: imo nec in suo licet mendaciorum feraci capite, contra illa quidquam tale comminisci poterat. Ac proinde duo, inquit, exempla proponit Iesuita, in quorum priore Burggrabium accusat, repulsum esse ab officio Scholarem Iesuiticum, eo quod scholam Iesuitarum frequentaret, quod ridiculum esse, quis von videt? Nemo videt, nisi in amentiam prolapsus, id ridiculum esse; sed verissimum & dolendum. Quis enim, nisi stultus, & extreme scelestus sit, ridiculum esse dicat, si adolescens nobilis a vulgari opifice verberibus verborumque injuriis afficiatur; nec tamen apud Torunensem Senatum iustitiam inuenire possit? sed negat, id factum esse. En ego luculentus testis sum. Ego (quem pro inita vitæ ratione mentiri non decet) ego, inquam, ipse hunc adolescentem; Stepczynski is erat, non postremæ in Cuiauia Nobilitatis familiæ, ab vno vestro opifice male mulctatum, ad vestrum Burgrabium misi expostulatum de iniuria, & petitum justitiam. Sed vt Orator noster docuit, & ego sum viuus & oculatus testis, eo ipso nomine, quod in nostris scholis literis operam daret, repulsus est ab iudicio, & nullam justitiam ex hoc eodem nomine, vllo modo sibi posse fieri, a Burgrabio responsum accepit. Hoccine ridiculum cuiquam videri potest, quod ita nequiter & contra omne jus fasque admissum est, & quod si homines nolunt, vel muri ipsi Ciuitatis testantur & clamant. Certe si vos nobilitatis obseruantissimi, quales vos fingitis, dum de nostris scholis facitis mentionem, essetis; aliter filios illorum tractaretis, & tanta eos affici ignominia nunquam pateremini, aut supplices & iniuria affectos a vestro judicio repelleretis. Sed cæcum & in extin-

tinguibile in Iesuitas odium, vobis ne hoc faciatis, ligat manus.

In altero vero exemplo inquit Patronus vester: commendat Iesuita justitiam Burgrabii, quæ tamen non videtur ex parte esse ad gustum & saliuam Iesuitæ. Quid cum sua salisa Anonymus? jam mihi non tantum tot vanissima figmenta ipsius, sed vel ipsi loquendi modi tam insulsi, tamque insipidi fastidium pariunt. Porro quod dicit, Oratorem nostrum laudare justitiam Burgrabii, vel effrontem & impudentem mentiendi audaciam suam condemnat, vel se imperitissimum ab eudem esse hominem, qui nec sensum, quem verba aut narratio historiæ natura sua continent, assequitur, manifeste declarat. Quod enim verbum in tota illa oratione reperitur, quo laus & justitiæ Burgrabii commendatio, contineatur? An enim objicere injustitiam est commendare justitiam? Nonne disertis verbis & testimoniis in eo iniquitatem, vestri Burgrabii ostendit Orator, quod rogantibus nomine meo, Generosis Dominis, D. Alberto Rytwinski, Dapifero Dobrzinensi, & D. Simone Lazinski, vt justitiam administraret, ex opifice quodam, qui nostro discipulo sine vlla causa colaphum impegerat; eam administrare recusauit. Quid ergo tandem ille ad eorum postulata? o insignem justitiam, & novam in reum inquirendi rationem! Magis, inquit, conscientiæ illius credendum est, quam testibus; & sic liberum eum pronunciauit, quia culpam non fatebatur, tametsi essent testes, qui eum conuincere vellent. At cur, quæso? si opificis negantis conscientiæ credis: cur, inquam, & læsi affirmantis conscientiæ non credis? An opifex apud vos, quam ingenuus adolescens dignior fide? sed quia ille Hæreticus; hic Catholicus & quod caput est, noster discipulus erat. Cum ergo illi Domini vrgerent, ne talia Burgrabius flocci faceret, sed omnibus turbis, quæ sic exoriri facile possent, mature occurreret, & tam priuatæ quam publicæ tranquillitati pro-

spi-

spiceret. Quid hic Burgrabius? Plura, inquit, talia erunt. Cumque illi subiunxerunt, imo & Patribus ipsis fenestræ a vestris opificibus excutiuntur, & ipsi clamoribus ac sibilis, dum eunt per ciuitatem proterue, ac procaciter excipiuntur, & aliis modis indigne tractantur. Respondit ille suum illud: Plura talia erunt. Ergone inferunt illi, vultis Nobilitati iniurias facere? Absit, respondit ille, sed Scholis, qui nullum lapidem non mouebimus, vt male cœptæ peius desinant, idque omni conatu curabimus, vt si non lapidibus, saltem ferro omnis aditus ad eas præcludatur. O exulceratum odio animum! O odium inexsaturabili inuidia succensum! Itaque Domini illi, cum nihil se viderent proficere, & animum Torunensium, ira odioque obstinatum, tandem in extremo digressu hæc addiderunt: Vos videritis, inquiunt, Torunenses, quem hi vestri tanti conatus exitum sint habituri. Atque hæc omnia, vt dixi, iidem Domini mihi fideliter, post suum e curia discessum retulerunt. Haberem, & multa alia contra Torunenses, possem non pauca afferre exempla, quomodo illi nostros discipulos non leuibus, nec raris affecerunt iniuriis ac contumeliis. Sed quid opus est, cum nec ab his sese hactenus purgare potuerint.

Quarta ratio Torunensium contra nostras Scholas est: Quia, inquiunt, justitiam de vestris Scholaribus insolentibus, apud vos inuenire non possumus. Par pari vos hic reddere, Torunenses, video; Quia enim Orator noster vos incusauit, quod iustitiam ex vestris opificibus administrare nolueritis, ideo Patronus vester eandem in nos culpam transfundit, & vobis de nostris Scholaribus, iustitiam non fuisse administratam conqueritur. Sed a quo tandem postulastis illam aliquando? a me certe nunquam, cum sesqui anno illas Scholas rexerim. Deinde quisnam vnquam tales tumultus in ciuitate ex nostris discipulis excitauit, quando & quam ob causam? cur non dicitis? quis in plateis quenquã ex no-

ſtris, lapidibus appetiit? quis extra vineas, quas vos multas habetis, filium ciuis cuiusdam honeſti male tractauit? Scilicet vos iſta pateremini, aut non adminiſtratam iuſtitiam ſicco pede tranſiretis? qui etiam vobis de noſtra iuuentute licet innocentiſſima, vindictam ſumere ſoletis, & hoc recte vos facere in hoc Patrocinio veſtro gloriamini. Ita plane eſt, vt omnia vobis liceant Torunii, pro Regia veſtra poteſtate, quam profitemini, vt grauiſſimus quidam Senator dixit.

Verum alteram ſimilem huic calumniam, de noſtris ſtudioſis, bene Illuſtriſſ. Gæbicki in ſuis literis diluit, cum in ipſo primo exordio Scholarum noſtrarum Torunii, ante decem annos, ab iis tumultus in ciuitate fieri, & homines lapidibus temere peti paſſim ſpargeretis: Quæ vero, inquit ille, de contentiunculis quibusdam puerorum querebamini, tametſi leuiora videbantur; tamen ita eæ a nobis quoque compreſſæ fuerunt; vt ne haberetis quidem, quod accuſaretis, cum id a nobis, præſentibus Illuſtris DD. Palatinis, in poſtremo noſtro conuentu ſollicite percontaremur. Nunc grauiora vobis metuenda eſſe facile ſentietis, ſi diligentius reputaueritis cum animis veſtris, quot & quales in hac Societate Ieſu iniuria grauiſſime læſiſtis &c. Quid ergo tumultus, & neſcio, quas inſolentias noſtris diſcipulis Torunienſes & nunc objicitis, quos poſt diligentem inquiſitionem immunes eſſe, vos ipſi etiam inueniretis?

Sed vident Torunenſes, ſe nihil tale poſſe nobis vere objicere, ideo quærunt diuerticula, & per varios anfractus & cuniculos, quærunt tamen aliquid dicere, quo hanc ſuam calumniam aliquo modo colorent, & ſi poſſibile ſit, probabilem faciant: vnde & Patronus ipſorum in eadem re adducit exemplum illius adoleſcentis, qui a Parente Torunio Poſnaniam profugerat. Seduxerant, inquit ille, (intelligit noſtros diſcipulos) inſtinctu & ſuaſu Simonis veſtri Rectoris Ciuis vnius filium, vt Patre & Matre relicta Poſnaniam verſus clam fugeret,

quod

quod & confessi sunt, se id Rectoris iussu fecisse, vt testantur acta Torunensium. Nec vos, inquit, extricare poteritis ex ista suspicione per recognitionem istius adolescentis fugitiui, quam Posnaniæ fecit. Quia enim in faucibus vestris erat, facere coactus hoc fuit ad vestrum arbitrium. Nescio plane, plurane sint in tam pauculis lineis verba, an mendacia. Primum enim, nullus vnquam Simon fuit Rector Collegii Torunensis, maxime sub illud tempus. Ego egi tunc Rectorem ibi boni viri, dum id accidit, quid? non me noueratis? vel quo vocarer nomine nesciabatis? Odium video, ita vos iam Torunenses excæcauit, vt quid dicatis, ipsi plane nesciatis? Quod vero illum adolescentem suasu Rectoris a vobis confictі, & quem ne per somnium quidem vidistis, seductum esse affirmatis, neque nos posse ex hac suspicione extricare per recognitionem eiusdem adolescentis, age videamus, vtrum non extricemus, licet neque intricati simus. Itane vos, Torunenses, tantum vobis arrogare audetis, tantum de vobis præsumitis, vt nullius recognitiones sacramento iuramenti confirmatas, non extortas, coram honestissimis & prudentissimis Iudicibus Catholicis, & vobis præter hæresi, & contumaciam, per omnia æqualibus, legitime factas admittatis? At in manibus nostris erat ille adolescens, & quod coactus est facere, fecit? Calumnia est, Torunenses, probate hoc. Credite spectatissimis & omni fide dignissimis Ciuibus Posnaniensibus, in quorum manibus publice illa recognitio facta est, in qua illi disertissime perscribunt, ad requisitionem officiosam non alicuius e nostra Societate, sed spectabilis & integræ fidei D. Ioannis Vincleri, Viri Consularis Posnaniæ, qui & illum puerum secum Torunio, quod ab eo multum rogaretur, aduexerat, qua de causa, & quomodo ille adolescens domum paternam reliquerit, & Posnaniam venerit. Quam recognitionem in manibus tantorum Ciuium factam, & sigillo eorundem approbatam, libenter hic interserem,

rem, vt omnes vestram calumniam cognoscerent; nisi & fastidiosam prolixitatem orationis timerem, & eam vos habere, ac proinde & legere posse, scirem. Credite & Illustri D. Fabiano Pliemiencki, qui propter hoc ipsum, vnum e famulis suis hominem Nobilem Piskorski dictum, Posnaniam destinauit, vt inuentum iuuenem illum Torunium reduceret, non tamen prius, quam publica attestatione legitime coram Iudicibus fateretur, cur & cuiusnam suasu Torunio a Parentibus abierit. Fecit, vt ille fidelis totum, id, quod sibi ab hero suo fuit demandatum, & omnia ita se habere, inuenit, vt illa recognitio testatur, eum scilicet iuuenem neque suasu cuiusquam e nostra Societate, neque Domini Vincleri, aut discipulorum nostrorum monitu, e domo paterna discessisse, sed suapte sponte propter austeram & hæreticam sui Parentis disciplinam, & ob negotia, quibus illum obruebat, id fecisse. Potestisne, Torunenses, dicere, cum eandem recognitionem, is iuuenis Posnania Torunium reductus apud Illustrem D. Plemiencki confirmaret, illum etiam tunc in manibus nostris, aut vt vester Patronus ait, (quam insulse non dico) in faucibus fuisse? Atque hoc illud est, quo etiam vos Orator noster conuicit: & vestram iniustitiam ac temeritatem ad oculum omnibus ostendit, qui propter leuissimas & inanissimas suspitiones, tot homines, innocentes & graves, tam insigni iniuria afficere non dubitaueritis. Quid vero ad hoc Patronus vester? siluit, palluit, dissimulauit, neque enim tanti viri testimonio quidquam opponere potuit, vt tamen aliquid diceret, & falsitati ac mendacio, non veritati patrocinaretur, recognitionem Posnaniæ factam eleuare, & in suspitionem adducere est aggressus. At non ne eadem illa fuit Posnaniensis, quæ & coram Illustr. D. Pliemiencki est facta? Iam quod dicitis, Acta Torunensium testari, nostros discipulos palam coram Iudicio fuisse confessos, a nobis fuisse seductum, plusquam falsum est, & ipsa falsitate falsius, nullam habetis

il-

illorum recognitionem, aut si quam habetis, non illorum, sed vestra est. An non illi innocentes juuenes, postquam e vestro carcere, tanquam e teterrima sentina emerserunt, publice præsente Ministeriali & Nobilitate interrogati responderunt: se cum varie tentati & territi per vestros lictores fuissent, vt ea dicerent, quæ velletis vos, fretos testimonio suæ conscientiæ, semper sui similes extitisse, neque minis aut pollicitationibus quibusuis cessisse, in contestanda sua nostraque innocentia. De quo etiam protestatio facta est contra vos. Isti plane miseri, non iam in manibus, sed vere in faucibus fuere vestris, quibus grauissime constricti & oppressi, si quid contra suam conscientiam, & nostram suamque innocentiam dixissent, & id, quod vos ab illis extorquebatis, fassi fuissent; adhuc tamen nihil contra nos haberetis, non enim extorta, sed libera testimonia pondus & valorem habent. An non fauces erant, carceres illi teterrimi, in quibus innocentes illos iuuenes, per dies octo tanquam homines facinorosos, & publicos latrones, frigore ac inedia pene enecabatis, fætore ac squallore suffocabatis? Nec vnus carcer vobis ad torquendos miseros illos vinctos sufficiebat, sed eos in triplici carcere, ex vno in alium coniiciendo, detinuistis. Cur quando cum vestro Senatu per M. D. Plemiencki, & M. D. Ioannem Borucki Dapiferum Brzestensem esset actum, vt saltem pro captiuis illis vades aut obsides admitteretis, hanc tamen tam Illustrium virorum postulationem contempsistis? Imo tantum abest, vt hoc faceretis, vt etiam in contemptum illorum & nostræ Societatis, ac omnium Catholicorum, vnum ex illis adolescentibus in publicum carcerem intruderetis, vnde tam a nostris studiosis, quam ab omnibus aliis videri, & illos alloqui posset. At cur ita viri boni fecistis? nempe eo animo, vt quemadmodum non ego, sed quidam grauissimi viri ex Nobilitate visa re dixerunt, vt inquam, aspectus illius, Studiosos Nobiles ad turbas in ciuitate

rem, vt omnes vestram calumniam cognoscerent; nisi & fastidiosam prolixitatem orationis timerem, & eam vos habere, ac proinde & legere posse, scirem. Credite & Illustri D. Fabiano Pliemiencki, qui propter hoc ipsum, vnum e famulis suis, hominem Nobilem Piskorski dictum, Posnaniam destinauit, vt inuentum iuuenem illum Torunium reduceret, non tamen prius, quam publica attestatione legitime coram Iudicibus fateretur, cur & cuiusnam suasu Torunio a Parentibus abierit. Fecit, vt ille fidelis totum, id, quod sibi ab hero suo fuit demandatum, & omnia ita se habere, inuenit, vt illa recognitio testatur, eum scilicet iuuenem neque suasu quiusquam e nostra Societate, neque Domini Vincleri, aut discipulorum nostrorum monitu, e domo paterna discessisse, sed suapte sponte propter austeram & hæreticam sui Parentis disciplinam, & ob negotia, quibus illum obruebat, id fecisse. Potestisne, Torunenses, dicere, cum eandem recognitionem, is iuuenis Posnania Torunium reductus apud Illustrem D. Plemiencki confirmaret, illum etiam tunc in manibus nostris, aut vt vester Patronus ait, (quam insulse non dico) in faucibus fuisse? Atque hoc illud est, quo etiam vos Orator noster conuicit: & vestram iniustitiam ac temeritatem ad oculum omnibus ostendit, qui propter leuissimas & inanissimas suspitiones, tot homines, innocentes & graves, tam insigni iniuria afficere non dubitaueritis. Quid vero ad hoc Patronus vester? siluit, palluit, dissimulauit, neque enim tanti viri testimonio quidquam opponere potuit, vt tamen aliquid diceret, & falsitati ac mendacio, non veritati patrocinaretur, recognitionem Posnaniæ factam eleuare, & in suspitionem adducere est aggressus. At non ne eadem illa fuit Posnaniensis, quæ & coram Illustr. D. Pliemiencki est facta? Iam quod dicitis, Acta Torunensium testari, nostros discipulos palam coram Iudicio fuisse confessos, a nobis fuisse seductum, plusquam falsum est, & ipsa falsitate falsius, nullam habetis

il-

illorum recognitionem, aut ſi quam habetis, non illorum, ſed veſtra eſt. An non illi innocentes juuenes, poſtquam e veſtro carcere, tanquam e teterrima ſentina emerſerunt, publice præſente Miniſteriali & Nobilitate interrogati reſponderunt: ſe cum varie tentati & territi per veſtros lictores fuiſſent, vt ea dicerent, quæ velletis vos, fretos teſtimonio ſuæ conſcientiæ, ſemper ſui ſimiles extitiſſe, neque minis aut pollicitationibus quibuſuis ceſſiſſe, in conteſtanda ſua noſtraque innocentia. De quo etiam proteſtatio facta eſt contra vos. Iſti plane miſeri, non iam in manibus, ſed vere in faucibus fuere veſtris, quibus grauiſſime conſtricti & oppreſſi, ſi quid contra ſuam conſcientiam, & noſtram ſuamque innocentiam dixiſſent, & id, quod vos ab illis extorquebatis, faſſi fuiſſent; adhuc tamen nihil contra nos haberetis, non enim extorta, ſed libera teſtimonia pondus & valorem habent. An non fauces erant, carceres illi teterrimi, in quibus innocentes illos iuuenes, per dies octo tanquam homines facinoroſos, & publicos latrones, frigore ac inedia pene enecabatis, fætore ac ſquallore ſuffocabatis? Nec vnus carcer vobis ad torquendos miſeros illos vinctos ſufficiebat, ſed eos in triplici carcere, ex vno in alium coniiciendo, detinuiſtis. Cur quando cum veſtro Senatu per M. D. Plemiencki, & M. D. Ioannem Borucki Dapiferum Brzeſtenſem eſſet actum, vt ſaltem pro captiuis illis vades aut obſides admitteretis, hanc tamen tam Illuſtrium virorum poſtulationem contempſiſtis? Imo tantum abeſt, vt hoc faceretis, vt etiam in contemptum illorum & noſtræ Societatis, ac omnium Catholicorum, vnum ex illis adoleſcentibus in publicum carcerem intruderetis, vnde tam a noſtris ſtudioſis, quam ab omnibus aliis videri, & illos alloqui poſſet. At cur ita viri boni feciſtis? nempe eo animo, vt quemadmodum non ego, ſed quidam grauiſſimi viri ex Nobilitate viſa re dixerunt, vt inquam, aſpectus illius, Studioſos Nobiles ad turbas in ciuitate

ciendas concitaret, ſicque Torunenſes agendi prætextum aliquem contra noſtras Scholas haberent. O malitiam execrabilem ? O odium Diabolicum? Audent Torunenſes dicere, a nobis recognitiones falſas extorqueri, a noſtris diſcipulis tumultus excitari, quod probare non poſſunt: & non vident ſe hoc ipſum agere, quod tam manifeſte probamus.

Venio ad extremam Torunenſium obiectionem, in hoc illos monitos hic relinquens, vt diligenter videant, vtrum dum hæc cum noſtris diſcipulis faciunt crimen Plagii, non incurrant. Quid ergo dicunt illi ? Si quid graue in Ciuitate ſtudioſi veſtri, inquiunt, committerent, vt ſi aliquem vulnerarent, mutilarent aut occiderent, non punientur a vobis pœna proportionata delicto, quæ enim mihi pœna, ſi hominem, inquiunt, turbulentum, ebrioſum & homicidam, ferula puerili & excluſione Gymnaſii, ſeu prohibitione conſuetudinis cum aliis ſtudioſis puniatis? Quid? volebatis, vt gladio vel ſecuri eos percuteremus? Vobis hoc munus & Magiſtratui ſæculari relinquimus. Nobis ſatis eſt, vt cum aliquis ſtudioſorum, enorme aliquod facinus commiſerit, excludatur mox e Scholis noſtris, nec amplius noſtri Diſcipuli vel nomen ipſum retineat, ſed illico Magiſtratui ſæculari ſubiiciatur. Atque vtinam in huius modi proteruos, & inobedientes diſcipulos, quid dico diſcipulos, cum hoc nomine, vt indigni exuti ſint? potius in diſcipulorum noſtrorum corruptores, aliquando ſæcularis, animaduertat Magiſtratus. Hoc enim eſt, quod nos ſæpe dolemus, & coram Nobilitate querimur, ſæpe eos, quos ex noſtris ſcholis eiecimus, in ciuitate non ſolum manere, ſed ſub nomine ſtudioſi, multa nefanda patrare, iuuentutem noſtram corrumpere, nec inueniri eum, qui tales peſtes coërceat & puniat. Sed hoc non eſt timendum Torunii, in talem enim vos facile, quod non damnamus, imo laudamus, animaduerteretis, qui etiam innocentes, & nullius culpæ conſcios,

car-

carceribus & vinculis affligitis. Sed fucum vos facitis, cum dicitis: Quod si stricto iudicio procederent Torunenses, contra filium Nobilis patratorem alicuius sceleris, an non existimas, Nobiles, cum Ciuibus commissum iri? hoc ne fiat, cum Torunenses Nobilitatis obseruantissimi sint, & omnem vel leuiusculæ offensæ occasionem vitent, consentire nec volunt, nec possunt, vt vestrum Seminarium Torunii sit. Videte adulationem, Sycophantiam, & impudentiam. An enim non stricto iure procederetis, contra ipsos Nobiles Patres horum filiorum, si quis illorum, publicæ pacis violator esset, sicut & processistis aliquando? Non enim vos indormitis, vestris rebus. Quomodo ergo non existimatis, Nobiles tunc vobiscum commissum iri? An non ipse ego aliquoties vidi Nobiles aliquos, propter explosionem bombardæ, & euaginationem gladii, iussos stipatos lictoribus comparere coram Burgrabio vestro? quomodo tunc non timebatis Nobiles cum Ciuibus committi? quomodo verum est, vos ita Nobilitatis obseruantissimos esse, vt omnem vel leuiusculæ offensæ occasionem vitetis, qui hæc facitis? Videtis vos hic in angustias redactos, videtis, quam vera sint ea, quæ dicitis? Non Nobilitatem, vos cum ciuibus committi metuitis, sed ad nostras scholas exturbandas, omnes, quas potestis, licet vanissimas ratiunculas vndequaque corraditis. Facite vos cum Nobilitate, quod alii faciunt, est Rex, sunt Comitia, sunt Tribunalia, sunt Iudices Nobilitatis, qui iustitiam administrent: nolite quidquam priuata authoritate, nisi quando iure vobis concessum est, in Nobilitatem facere, & bene securi eritis. Quanquam & hoc de nostra iuuentute Torunensi, secure vobis possem polliceri, eam longe magis apud vos, quam alibi fore modestam. Non solum enim nos, sed vos etiam timent. Est enim apud vos disciplina, & in nostros præsertim discipulos, oculum intentum habetis. Potestis, cum vultis, omnibus occurrere turbis. In quo haud ægre laudo

vos. Neque enim meum eſt veſtris benefactis detrahere. Vtinam tantum nobiſcum conueniretis, certe nullibi modeſtiorem iuuentutem haberemus: quod ipſum etiam Sereniſſimus Rex optat & inculcat vobis. Factum, quod dignum eſt plagis, permittite illud puniri a nobis: ſi quid grauius quiſpiam promeretur, ſignificate nobis, & ſi quid tale erit, reum excluſum a nobis ex ſcholis punite, nec timete commiſſum iri Nobiles cum ciuibus; ſicut neque timetis tunc, cum in aliquem alium, qui non ſit ex noſtris diſcipulis, animaduertere decernitis.

Atque dum finem huic capiti facio, illud in mentem venit, vt illi querimoniæ Patroni veſtri ſatisfacerem, qui contra nos inuehitur, quod Magiſtratus Torunenſis & ciues, vocentur a nobis homines de triuio, canes rancidi, Pagani, & impune quidem. Magna certe contumelia & non ferenda. Quid vltra? ſiccine, inquit, omnia vobis inulta erunt? abſit, vt ſint inulta. Sed perge. Siccine quos Regia, inquit, Maieſtas fidelium ſuorum, dilectorum loco habet; (o inſignem titulum & dignitatem) vobis Suitis contra eos, ſuum inſtar grunnire licebit? (o ſcelus infandum) cauete vobis, ne duro nodo, durus ſit querendus cuneus. Sed audite etiam, Torunenſes, cur vos palam tantis contumeliis noſtram Societatem onerare non verimini? vos, inquam, qui probare non poteſtis, an ea, quæ aſſertis, a nobis in vos dicantur? cur vos omnia quæcunque collibuerit, ſine teſte, ſine loco, nulla circumſtantia, nulla probilitate in nos effutire non timetis? adeo, vt ſæpius repeti oporteat illud: Quis hoc dixit? quando & vbi? Quis nobis iuſtitiam adminiſtrabit de vobis? qui nos toties non priuatim ſolum, ſed publice etiam in proteſtationibus, in variis chartis, atque in hoc ipſo libello vocatis, relegatos ex Gallia, precariam in Polonia poſſeſſionem nactos: conuictos grauiſſimorum ſcelerum: canum more oblatrantes: & ſuum more grunnientes: homines in-

infames: turbulentos, pacis publicæ inimicos, rerum alienarum raptores? & quidnam ad contumeliam nostram omisistis? An non sumus nati in Polonia? An non hic educati? An non præcipuam Poloniæ Nobilitatis sobolem, vt de aliis regnis nihil dicam, in nostra Societate habemus? Audetne hic vester tenebrio, & temulentus e famosa prodiens helluo popina, tot Illustrium Senatorum, ac præcipue Nobilitatis filios, profugos & e Gallia relegatos appellare? Næ tantam iniuriam Torunenses vlcisceremur, nisi nos Christianæ pietatis, & nostri instituti ratio auocaret. Quid de precaria possessione nostra dicitis, qui nostros Maiores summa Regum Poloniæ, totiusque Reipubl. voluntate in hoc Regnum introductos, scitis? Quid grauissimorum conuictos scelerum? quid homines turbulentos appellatis? Probate hoc, Torunenses, & si non potestis, os calumniosum compescite. Atque dum hæc omnia sine fronte contra nos dicitis, siccine vt vestra vtar phrasi, & sermone contra nos directo. Siccine, inquam, omnia vobis inulta erunt? Siccine quos Regia Maiestas filiorum vel Patrum dilectissimorum & innocentissimorum, & honestissimorum loco, habet & veneratur: vobis, Torunenses, ciuibus, opificibus, laicis, hæreticis, contra nos garrire (neque enim vos suum instar grunnire, vt vos contumeliose in nos dixistis, dicere volo) licebit? Sed dum vos ad titulos, quos vobis a Serenissimo Rege perhonorifice tribui, gloriamini confugitis, audite, quid de nostra Societate idem Serenissimus Rex dicat, scio, non ad palatum vestrum id futurum, sed audite tamen. Siquidem & nos vestra audiuimus. Meministis bene, quid ante duos annos circiter, cum nos apud ipsum variis calumniis Varsauiæ onerassetis, vobis responderit; non quidem tunc, neque enim vos dignos responsione iudicauit, sed postea per suum Commissarium M. D. Sczepanski Succamerarium Maideburgensem, hoc illi inter cætera luculentissimum nostræ innocentiæ testi-

stimonium, in scriptis dando, quod perferret ad vestram Ciuitatem. Verba optimi Regis sunt. Summa nos capit admiratio, quod homines Deo deuotos, dicatosque, quorum virtus & integritas toti Regno, ac vniuerso propemodum orbi conspicua est, quorum inculpatam vitam nos & miramur & adamamus, tam execrabili prosequamini odio, planeque de medio sublatos, vt colligere licet, cupiatis. Quapropter quoniam ex nostra voluntate, omniumque ordinum consensu vnanimi, in ea vrbe nostra, suis muneribus laudabiliter sanctèque vacent, cupimus omnino maiorem illis exhiberi beneuolentiam, idque pro certo persuasum habeant, nos illorum iniuriam non aliter, vt nostram accepturos, vindicaturosque. Hactenus Serenissimus Rex pro nobis. Quod tale vos habetis Regium testimonium, Torunenses? Quia vero vobis Fidelium & dilectorum titulum ponit, magnum quid. Non est, quod vobis multum de eo applaudatis. An non enim is titulus communis est vobiscum omnibus Ciuitatibus Regi subditis? imo etiam iis, qui aliquando sunt infideles: Certe ego non vnam vidi citationem Regiam, in qua fideles & dilecti vocabamini, & tamen de infidelitate, & quod Regiam vobis Torunii vsurparetis potestatem, ad tribunal ipsius citabamini. Neque enim illico sequitur, vos esse fideles & Regi dilectos, si vobis talem in suis literis attribuat titulum. Sicuti si quis Senator aut Princeps ad vos scribendo, seruum se vestrum, dum nomen subscribit, & vos Dominos, in titulo literarum appellet: non sequitur iam illum esse vestrum seruum, & vos illius Dominos. Hæc breuiter de hac vestra querimonia & de scholis nostris, Torunenses, accipite. Vobis fortasse non breuiter dictum videbitur; sed certe ita faciendum erat, vt si vobis & euidentibus rationibus, & sufficientibus responsionibus, æquitas fundationis nostri Collegii ostendatur, vobisque obstruatur os, tandem aliquando a querimoniis & calumniis quiescatis.

Con-

Conclusio cum Apostrophe ad Torunenses.

Vigesimus iam circumagitur annus, Torunenses, vt nos ab ipso plane ingressus nostri in vestram ciuitatem exordio, variis criminationibus impetere, calumniis & conuitiis proscindere, nomen nostrum per totum Regnum & extra, passim ac impune traducere, illudque indies maioribus & grauioribus iniuriis onerare ac prope pessundare, non cessatis. Quieuimus hactenus inter iniurias, siluimus inter contumelias, inter probra sustinuimus, inter damna dissimulauimus, accusati non accusauimus, traducti non traduximus: & vt cum Apostolo loquar, Spectaculum vobis facti fuimus, operantesque manibus nostris, sumus maledicti, & benediximus, persecutionem passi & sustinuimus, blasphemati & obsecrauimus, tanquam purgamenta huius mundi (apud vos) facti sumus, omnium (Ciuium vestrorum) peripsema vsque adhuc; adeo, vt vere illud Dauidicum in vos conueniat: Exacuerunt, vt gladium, linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, vt sagittent in ocultis immaculatum: in nos vero illud Hieremiæ, facti sumus in derisum omni populo, canticum eorum tota die, imo tot annis continuis. Neque enim toto hoc tempore, quod sciam ego, quispiam e nostra Societate ad vestras respondit calumnias, aut accusationes & criminationes refutauit, licet id nonnulli ex amicis nostris, rei indignitate permoti, vltro præstiterint. Quia vero hæc patientia nostra diuturna, taciturnitas & modestia, non tantum vos, vt a calumniis vobis temperaretis, non repressit; verum etiam magis irritauit, insolentioresque ac audentiores contra nos effecit; ideo exemplo Apostoli, qui etiam pro sua iniuria fecit; ne aut iuste, vt sceleratus pati videretur, aut fideles adhuc infirmi scandalizarentur; iam vobis post tot iniurias respondere, vestras criminationes non ex aliqua animi ægritudine aut odio refellere, nos ipsos a calumniis no-

stro ipsorum nomine purgare, ne plane bonum nostrum nomen, quod iuxta sapientem, melius est, quam diuitiæ multæ, negligere, quod nimis crudele esse D. affirmat Augustinus, videamur. Hæc vero, meis licet imparibus humeris, est imposita prouincia, eo, quod vobiscum duobus ferme annis non ita pridem manserim, & Collegium illud Rector gubernarim: ac proinde quid inter nos & vos intercedat negotii, vter nostrum iniuriam faciat aut patiatur, vt rerum gnarus, multaque expertus, & testis oculatus, ad omnia, quæ obiecistis, melius respondere possem. Submisi ergo brachia oneri haud inuitus, & bonum nomen Societatis nostræ, optimæ Parentis meæ, vt filium decet, a calumniis vindicandum defendendumque suscepi: præsertim quod sponte currens, non tam nostrorum, quam quorundam Illustrium Virorum nostri amantium, stimulis in id ipsum sum incitatus, & impulsus: qui tam graues nostras iniurias, tam diuturnas ac malitiosas impugnationes, ægerrimo ferentes animo, toties mihi illud Tullianum inculcant: Quousque tandem silebitis, & vestrum bonis omnibus acceptum nomen, per omnia Regna passim violari proscindique patiemini? Quam diu hæc improborum hominum impune sese iactabit & efferet audacia? nihilne vos communis vestræ Societatis fama, quæ indies magis ac magis laceratur, ad silentii & taciturnitatis importunæ, fræna rumpenda mouet? at certe nostra moueat, qui vos nobis, liberisque nostris in Magistros Ducesque salutis elegimus. Non potest Magistri Ducisque honor bonumque nomen conuelli, quin fama discipuli ac militis, eodem labefactata motu concidat. Sicut enim, vt optime Salomon: Gloria Patris, filius sapiens, ita dedecus filii, Pater sine honore. Agite ergo, vestra enim gloria noster honor est, & vestrum dedecus, nostra infamia est. Hæc illi sæpius mihi, quorum ego iustissimis desideriis magis, quam meæ voluntati parendum putaui. Iam enim omnes vide-

demus, Torunenses, vestram nescio, quam in nobis calumniandis audaciam indies augmentum sumere, & maledicæ voluntati, dentes ad rodendum nostram famam, maiores ac maiores succrescere, vt iam plane non tacendum sit. En iam iterum hoc vestrum Panpseudion (de quo ego literas P. Rectoris Collegii Torunensis, eo ipso die, quo hunc scribebam Epilogum, accepi) adhuc responso non accepto recuditis, & nostro vulgari idiomate translatum prælo mandatis; & passim inter rudes æque ac peritos promiscue spargitis. In quo etiam libro præter calumnias, quæ in Latino continentur, tanta styli mordacitate, tanta verborum obscænitate, talibus aulicísmis, tam fædis atque adeo e medio lupanari scortatorumque sentina petitis, vtimini, vt profligatissimos ac perditissimos illos esse, necesse sit, quibus illa conueniant, quæ nobis vos, Torunenses, obiicitis: de quorum innocentia ac integritate, Serenissimus Rex, & vniuersum Regnum longe aliud habet iudicium. Nec satis est, quin & vnum ex iis iam recusis exemplar, ante nostras Scholas, nouo addito scommate, nescio, qua audacia, proiecistis, & calamo hunc pasquillum in auersa facie chartæ calumniose scripsistis. Lege, perlege, & lauda Iesuita, Torunium vita, si tibi mala vita. Quid hoc, Torunenses? quæ ludibria? quæ scommata? quæ conuitia? quid contra nos machinamini? vitam nobis vos erepturos promittitis? vestram prius in tuto collocate, & tunc primum de nostra cogitabitis. Quid nos vnquam tale in vos peccauimus? in cuiusnam Ciuis vestri domum tales pasquillos & scommata proiecimus? Silendumne ergo erat nobis inter tantas iniurias? Certe plerique viri Principes, qui & authores mihi erant, vt hanc Apologeticam scriberem responsionem, nobis vehementer persuadebant, vt litem vobis de Turpiloquio intenderemus, & vos coram Iudice aut Rege ipso, omnes eas calumnias Iuridice probare, quas de nobis in vestro Panpseudio sparsistis, cogeremus, quod sane vobis præsta-

stare esset difficillimum, imo impossibile. Quid enim? an non, si vobis ad Regium Tribunal diem diceremus, comparere deberetis? at quomodo, quæso, non dico iam illas domesticas criminationes, nos per fraudem & contra iura in possessionem Domus Parochialis, Scholæ & Ecclesiæ Torunensis inuolasse, iuuentutem ad nocendum Euangelicis incitare, & ad omne scelus in nostris Scholis eam informare, nos confœderato milite esse perniciosiores, precario nactos stationem in Polonia, more canum contra Confœderationem blaterare, Comitia etiam, more canum angulos obambulantes, perturbare, & infinita alia? quomodo, inquam, non iam hæc domestica, sed illa externa, de Gallis, de Venetis, de Anglis, de Italis probaretis! quomodo, nos palam in Concionibus, homines facinorosos ad Regum cædes incitare, in Confessionibus idem suadere, atque etiam in eodem Sacramento administrando, impudice nos gerere, mentiri, docere, stabiliretis. Nos equidem pro ea, quam in vos habemus obseruantia, & pro nostra modestia tam duram vobiscum ingredi viam noluimus, sed illam mitiorem. Vobis Torunenses etiam atque etiam videndum est, an recte vestræ incolumitati & quieti prospiciatis, cum tantis nos calumniis onerare non desistitis, & tam dure tamque procaciter homines Religiosos, & Deo dicatos tractatis. Erit enim tempus quo, si in vestro proposito contumaciter perrexeritis, vel nos ipsi, vel viri Principes huius Regni amici nostri, affines; vel demum ipse Illustrissimus Episcopus noster Pastor, aut ipse Serenissimus Rex, quorum est, innocentes, ac sibi subiectos ab iniuria tueri, hanc causam in se assument: & vos nolitis, velitis, coram Iudicio respondere, singula, quæ obiecistis, legitime probare, quod vobis durissimum erit, adigent, & pœna calumniatoribus debita mulctabunt, & tunc vos palinodiam canere, & toties suffundi cogemini. Quod si hæc adhuc non expauescitis, est vindex innocentium, & vltor malorum Deus.

Ve-

Veniens veniet & non tardabit, cito faciet iudicium & iustitiam, & eos, qui pupillam oculi sui tangunt, ac se persequuntur, exterminabit. Qui enim tangit nos, tangit pupillam oculi Dei, & qui nos persequitur, Deum persequitur, ipsa teste æterna veritate. Vereor sane quam Catastrophen, ne luctuosam aliquam & grauem, hæc tota vestra Tragædia sit habitura. Sed Deus meliora, neque enim nos quidquam mali imprecamur, qui ex mandato Saluatoris nostri, inimicos etiam strictius amare, & pro persequentibus nos, orare didicimus. Quod superest, Torunenses, si rebus vestris prospicitis, si Numen Diuinum vobis propitium habere vultis, si Regem, totumque Senatum in vos, maiori quodam studio & beneuolentia propensum, si pacem & tranquillitatem desideratis, nolite contra apertam veritatem pugnare, nolite innocentes calumniis lacessere, & per totum Regnum iniuste traducere. Si quid contra nos habetis, vel amice nobiscum expostulate, vel iudicio agite: non sumus homines barbari, & qui nulli Magistratui pareamus: si quid tale in nobis inuentum fuerit, quod Iudices iudicabunt, faciemus, cedemus: a calumniis vero, & traductionibus liberi simus, non enim decet hoc caritatem Christianam. Sed neque nos tantopere, hæc maledicta extimescimus, qui grauiora pati exemplo Ducis nostri, cui nos deuouimus, & sumus parati, & desideramus. Sed vobis, Torunenses, pro caritate, qua vos amplectimur, metuimus, ne aliquando vel Regis, vel saltem vindicis Dei dextram, quam nemo effugit, aut potest effugere, sentiatis. Nobis quidem iniuriam passis reponitur corona iustitiæ, quam nobis reddet in illa die iustus Iudex, sed vobis iniuriam facientibus & potentibus potentia tormenta (quod Deus auertat) parantur. Sed nos omnia nobis meliora de vobis pollicemur. Exterminentur illi, qui vos etiam nolentes, & nihil minus, quam hoc cogitantes, contra nos instigant & vrgent: & quæcunque ipsi in nos effutiuerint,

rint, aut ſcripſerint, totum in veſtrum caput redundare faciunt, nomenque veſtrum lacerant. Vobis autem omnibus, nos gratiam ac miſericordiam, lumenque cœleſte, a Deo Opt. Max. a quo omne bonum profectum eſt, & a D. N. Ieſu Chriſto; reditumque ad eius Eccleſiam, atque omnem felicitatem precamur, & optamus, vtque eam conſequamini, diuinam ipſi Maieſtatem, ſupplices exoramus & precamur.

EPITOME DESCRIPTIONIS SVECIÆ, GOTHIÆ, FENNINGIÆ, ET SVBIECTARVM PROVINCIARVM. ACCVRATIVS QVAM VNQVAM ANTEHAC EDITÆ.

Illuſtriſſimo Comiti ac Domino,

Dn. Petro Brahe, Comiti in Wiſingzborg, Lib. Baroni in Rydboholm & Lindholmen, &c.

Regnorum Sueciæ-Gothiæque Drotzeto Magno, Senatori ſupremo, Regiique Parlamenti Holmenſis Præſidi; Generali Magni Ducatus Fenningiæ, Alandiæ & Bothniæ Orientalis Gubernatori; Weſtmanniæ, Montanorum & DaleKarliæ Judici Prouinciali; Regiæque Aboenſis Academiæ Cancellario Magnificentiſſimo; Domino atque Patrono meo Gratioſiſſimo S.

Iniunxit mihi Illuſtr. T. Excelſitas, vt accuratam, quantum fieri poſſet, Patriæ Deſcriptionem lucidarem: quod ipſum etſi ſæpius antea meditatus; quippe cum ægerrime tulerim aliorum regnorum ac rerumpubl. ſat exquiſitas Deſcriptiones extare, Imperium autem Sueo-Gothicum vix primis lineamentis adhuc ſatis exacte adumbratum nedum ſufficienter expreſſum in-

inueniri: Tanto tamen conatui me longe imparem judicaui, cùm non modo antiquæ & recentioris historiæ accuratissimam cognitionem requirat, verum etiam omnium in tanto Imperio locorum, morum atque consuetudinum ocularem inspectionem, quæ vix vni homini contingere potest, diuturnam itidem rerum experientiam & intimam Status notitiam; Adeoque quod difficilimum est, præsertim in hoc Imperii angulo ab Archiuo Regni longe semoto, de singulis Urbibus, Provinciis, Territoriis atque familiis Illustribus certa & euidentia documenta habere. Diu igitur cunctatus tantæ moli me subtrahere, eamque in aptioris alicuius humeros rejicere serio optaui; Verum vrgente clementer Illustri T. Excelsitate sæpius propositum, aliisque viris doctis ac cordatis non tantum assentientibus, sed & suadentibus ac vigorem aspirantibus, animum recollegi, & hoc quicquid est opusculi in nomine SacroSanctæ Triados, eiusque gloriam, S.R.M. beneplacitum, dulcissimæ Patriæ & Patriotarum decus atque honorem, vtinam fausto omine! aggressus sum. Præuideo equidem haud paucis hosce labores arrisuros, nec pauciores fortassis Momos ac Zoilos habituros: Cum ita comparatum sit, præsertim apud nos, vt quisquis aliquid magni tentaverit, mox omnium non modo oculos, sed & invidiam in se convertat. Quapropter, ut contra malevolorum insultus tutior essem, constitueram suasu Illustr. T. Excelsitatis, hanc Patriæ aliqualem Descriptionem, Patriæ Parenti incomparabili Sereniss. ac Potentiss. Reginæ CHRISTINÆ AVGVSTÆ, Reginæ ac Dominæ meæ omnium Clementissimæ, humilima devotione inscribere ac dedicare. Sed cum in prima hac delineatione multa adhuc, propter supradictas caussas, desiderari, & ulteriorem limam requirere, facile augurarer; ideoque de pleniori & exactiori opere olim, Deo dante, exhibendo cogitare cæperam: Illud S. R. M. cujus hic Regna, Provinciæ, Urbes, Majores, Ministri,

ſtri, geſta & ſimilia, paſſim deſcribuntur, omnino deberi exiſtimavi. Hoc vero, tanquam rudimentum, Illuſtriſſ. T. Excellentiæ, cujus juſſu & authoritate illud incæpi ſimul & continuavi, non immerito humiliter dedico atque offero. Accipe igitur Illuſtriſſ. Comes, Domine gratioſiſſime, pro immenſis in me beneficiis, hoc levidenſe munuſculum; Idque contra invidorum morſus & calumnias clementer defende ac fortiter tuere. Quod uti facturum ſupplex confido; Ita Illuſtriſſ. T. Excellentiæ vitam longævam, valetudinem proſperam & felicem in rebus agendis ſucceſſum animitus voveo. Jugiter manſurus

Illuſtriſſimæ T. Excellentiæ Humill. atque Officioſiſſ.

Dab. ABOÆ, 21 Jun. 1650.

MICHAEL O. WEXIONIVS,
Jur. & Polit. Prof. P.

Clementi, Gratioſo, Benevolo & Candido Lectori S. P.

Quisquis es, Candide Lector, ratione gradus & eminentiæ convenienter ſalutande, hunc meum laborem in Dei gloriam, Patriæ decus, hujusque amantium beneplacitum & miniſteria directum benigne interpreteris oro & obteſtor. S. R. M. pro calidiſſimo ſuo in Patriam, ejusque honoribus & emolumentis velificantes, affectu Clementiſſime non improbaturam humilime confido. Illuſtres vero regni Proceres aliosque ordinis Equeſtris humiliter & officioſe rogatos velim, ne vitio mihi vertant, ſi omnia majorum decora & familias concernentia hic non inveniantur. Quod quidem hac vice pagellarum brevitas & documentorum, quæ ad manus fuere paucitas prorſus impoſſibile effecit. Pleniorem informationem nactus, officio meo, adjuvante Deo, minime ſum defuturus; nec cuiquam juſtam conquerendi anſam relicturus. Admodum reverendi itidem Epiſco-

ſcopi, religionis in patria columnæ, perofficioſe mihi orandi ſunt, ut ex ſuis tabulatis & archivis, ea, quæ ad præſentis operis complementum facere poſſunt, benigne communicare non graventur: Et ea, quæ hic poſita, in dexteriorem partem interpretari. Nec minus Nobiliſſimos ac Conſultiſſimos Urbium Præſides & Conſules, cæterosque monumentis alicujus momenti inſtructos, in ea, quæ ad Patriæ ornamentum inſeri queunt, conferre haud dedignentur, debita cum veneratione rogatos habeo. Omnes denique ac ſingulos Patriæ amantes patriotas, & quibus decus ejusdem curæ cordique eſt, ſummo ſtudio exoratos cupio, ut hoſce conatus apud ſe & alios candide interpretentur.

Deplorandum equidem eſt, priorum temporum injuria ſæpius contigiſſe, utinam idem adhuc dum non eveniat! ut non modo, ſi quis virtute, opibus, meritis, gratia Principis emineat, multorum invidiæ exponatur, qui eundem prorſus evertere conantur: Verum etiam, ſi quis aliquid magni audeat, pro favore livorem, pro patrocinio internecionem, pro benigna cenſura & applauſu riſus & cavillationes inveniat. Quod non minima ſed vel præcipua hactenus fuit cauſa, cur tam pauci etiam in hoc ſtudii genere aliquid feliciter tentarint. Sed meliora ſpero. Faventem Lectorem Deo omnipotenti commendans. Id ſaltem moneo; Quicquid hic poſitum, ex certis documentis, fida αὐτόπτων relatione, propriave experientia deſumptum eſſe ſciat; valeatque.

INDEX

Librorum & Capitum hujus Operis.

LIB. I. De Chorographica Deſcript.

4.

LIB.

LIB. II. De Antiquitate & Origine Gentis Sueo-Gothicæ & Fennicæ.

LIB. III. De Linguis.

LIB. IV. De Genio & Moribus.

2. De Ubsalia, *Ubsala.*
3. De Norcopia, *NærKœping.*
4. De Gotheburgo, *Gœtheborg.*
5. De Calmaria, *Calmare.*
6. De Aboa, *Abo.*
7. De Wiburgo, *Wiborg.*
8. De Nycopia, *Nykœping.*
9. De Westerwikio, *Westervvyk.*
10. De Gewalia, *Gævvel.*
11. De Wisbya, *Wysby.*
12. De Falonia, *Fahlun.*
13. De Arosia, *Westeraas.*
14. De Arbogia, *Arbogha.*
15. De Oerobrogia, *Oerobroo.*
16. De Junecopia, *Junekœping.*
17. De Kopia, *Kœping.*
18. De Helsingforsio, *Helsingforsi*
19. De Hudwikswaldio, *Hudvvykswald.*
20. De Wasa, *Wasa.*
21. De Lidcopia, *Lidkœping.*
22. De Mariæstadio, *Mariestadh.*
23. De Carlstadio, *Carlstadh.*
24. De Lincopia, *Linkœping.*
25. De Stregnesio, *Strangnaas.*
26. De Hernœsandia, *Hernœsand.*
27. De Uhlaburgo, *Uhlaborg.*
28. De Torsilia, *Torsilia.*
29. De Boarhosia, *Borhaas.*
30. De Wanersburgo, *Wanersborg.*
31. De Enekopia, *Enekœping.*
32. De Sahla, *Sala.*
33. De Sigtunia, *Sigtuna.*
34. De Oeregrundia *Oeregrund.*
35. De Telgio Boreali, *NorreTelge.*
36. De Hedenmora, *Hedemora.*
37. De Lindesosio, *Lindessaas.*

38. De Nohra, *Nora.*
39. De Askeſundio, *Askeſund.*
40. De Scaris, *Skara.*
41. De Wexionia, *Waxioe.*
42. De Bogeſundio, *Bogeſund.*
43. De Suderkopia, *Sœderkœping.*
44. De Skeningia, *Skeninge.*
45. De Telgio Auſtrali, *SœdreTelge.*
46. De Ekeſiogia, *Ekeſiœ.*
47. De Wadſtena, *VVadſtena.*
48. Hio, *Hio.*
49. De Skedwikio, *Skedvvy*, vulgo *Skœfde.*
50. De Biœrneburgo, (al. Arctopoli) *Biœrneborg.*
51. De Raumo, *Raumo.*
52. De Tornœ, *Tornœ.*
53. De Chriſtinæ-Portu, *Chriſtine-Hampn.*
54. De Sundſwaldio, *Sundſvvald.*
55. De Auſtrali-Portu, *SœderHampn.*
56. De Borgo, *Borgo.*
57. De Nova Carleby, *NyeCarleby.*
58. De Carleby antiqua, *Gamble Carleby.*
59. De Uhmo, *Uhmo.*
60. De Pitho, *Pitho.*
61. De Lulio, *Lulo.*
62. De Neo-Stadio, *Nyſtadh.*
63. De Ekeneſio, *Ekenaas.*
64. De Philipſtadio, *Philipſtadh.*
65. He Fahlincopia, *Fahlkœping.*
66. De Alingſoſia, *Alingzaas.*
67. De Winimerbya, *VVimmerby.*
68. De Throſá, *Throſa.*
69. De *Oeſthammar.*
70. De *Aehmala.*
71. De *Sæther.*
72. De *Mariæfredh.*
73. De Urbibus quibusdam antiquis deſolatis.

LIB. VIII. De Familiis Illuſtribus.

LIB. IX. De Regibus Sueo-Gothicis.

25. Adolphus.
26. Algothus.
27. Ericus 2.
28. Lindormus.
29. Alaricus & Geſtblindus æmuli.
30. Ericus Diſertus 3.
31. Göthricus.
32. Haldanus.
33. Philmerus.
34. Nordianus.
35. Sivardus & Carolus 3. æmuli.
36. Ericus 4.
37. Haldanus 2. Suec. & Unguinus Goth. R.
38. Regnaldus & Siwaldus.
39. Amundus I.
40. Hacho ſeu Haquinus Suec. & Sivardus G.
41. Ingo I.
42. Nearchus.
43. Frotho.
44. Urbarus & Fiolmus & Suercherus I.
45. Oſtanus & Valander.
46. Attilus 3. Visburus & Domalder.
47. Dignerus & Domarus.
48. Dagerus.
49. Alaricus.
50. Ingemarus.
51. Ingellus I.
52. Germundus.
53. Haquinus *Ring*.
54. Egillus *Wandelkraka*.
55. Gotharus 2.
56. Faſto.
57. Gudmundus.
58. Adelus.
59. Oſtanus 2.
60. Ingemarus 2.

61. Biörno 2. & Holſtanus I.
62. Ragvaldus 2.
63. Swartmannus.
64. Tordo 2.
65. Rodolphus.
66. Hathinus.
67. Attilus 4.
68. Tordo 3.
69. Aglothus 2.
70. Oſtanus 3.
71. Arthus.
72. Haquinus 3.
73. Carolus 4.
74. Carolus 5.
75. Birgerus.
76. Ericus 5.
77. Tordo ſeu Torillus.
78. Biörno 3.
79. Alaricus 3.
80. Biörno 4.
81. Bratemundus.
82. Siwardus, alias *Frö*.
83. Herothus.
84. Carolus 6.
85. Biörno 5.
86. Ingellus 2.
87. Olaus *Trätelia*
88. Ingellus 3.
89. Ericus 6. *Waderhatt*.
90. Ericus 7. *Segerſall*.
91. Ericus 8. al. *Stenckil Hin milde*.
92. Olaus 2. *SkottKonung*.
93. Amundus 2. Carbonarius, *Kolbrannare*.
94. Amundus 3. *Slemme*.
95. Haquinus 3. Rufus.
96. Stenehillus 2.

97.

97. Ingo 3.
98. Halstanus 2.
99. Philippus.
100. Ingo 4. Rag valdus 3. & Magnus I.
101. Suercherus 2.
102. Ericus 9. cognomine Sanctus.
103. Carolus 7.
104. Canutus.
105. Suercherus 3. Junior.
106. Ericus 10.
107. Johannes I.
108. Ericus 11. *Laspe.*
109. Waldemarus.
110. Magnus 2. *Ladulaas.*
111. Birgerus 2.
112. Magnus 3. & Ericus 12.
113. Albertus Mechelburgensis.
114. Margareta.
115. Ericus Pomeranus, ejus nom. 18.
116. Christopherus.
117. Carolus 8. Canuti filius.
118. Christiernus I. & Steno *Sture* senior.
119. Johannes II. Svanto & Steno *St.* junior.
120. Christiernus 2.
121. Gustavus I.
122. Ericus 14.
123. Johannes III.
124. Sigismundus.
125. Carolus.
126. GUSTAVUS II. ADOLPHUS M.
127, CHRISTINA.

LIB. X. De Religione, ejus mutationibus, & Statu Ecclesiastico.

CAP. 1. De Antiquiss. Suec. & Goth. Religione.
2. De Prima Religionis mutatione & paganismo.

3. De Secunda Mutatione & Christianæ Religionis introductione. Ubi etiam de Pontificis Legatis & Cœnobiis.
4. De Tertia Mutatione & Evangelica Religione.
5. De Episcopis & Archiepiscopis Ubsalensibus.
6. De Lincopensibus Episcopis.
7. De Scarensibus Episcopis.
8. De Stregnensibus Episcopis.
9. De Arosiensibus Episcopis.
10. De Wexionensibus Episcopis.
11. De Aboënsibus Episcopis.
12. De Wiburgensibus Episcopis.
13. De Revaliens. Episcopis.
14. De Superintendentibus.
15. De Moderna Administratione Ecclesiast.
16. De Scholis, Academiis & Gymnasiis.

Isti Decem Libri in Academia Aboënsi publicæ ventilationi expositi fuere his Respondentibus.

1. M. Georgio Elingio, Sudermanno.
2. Dn. Petro Warelio, O-Gotho.
3. Dn. Erico J. Justandro, Adoënsi-F.
4. Dn. Petro Andr. Wangstelio, West.
5. Dn. Erico Claudii Torschenn, Suderm.
6. Dn. Gustavo Andr. Æimeleo, Fenno.
7. Dn. Benjamine M. Tolia, W-Car.
8. Dn. Johanne Stierna de Bolmsnääs, Nobil. Smoland.
9. Dn. Gabriele G. Thauvonio, Fenno.
10. Dn. Laurentio And. Forlundio, Westmanno.

LI-

LIBER I.

De Chorographia Sueciæ, Gothiæ, Fenningiæque & Subjectarum Provinciarum.

CAPUT I.

De Limitibus Imp. Sueo-Gothici in genere.

Sveciæ-Gothiæque Regna, cum adjectis Provinciis, ab ortu Moſcovia atque Polonia, meridiem verſus Balthico mari & Dania, ad occidentem Oceano & Norvegia, a boreali latere Lapponia clauduntur. Hæc antiquitas cum Norvegia inſulam eſſe credidit. Nec fruſtra. Quippe flumen per *Kiemitrask*, extremitatem ſinus Bothnici illabens, a fonte *Hirwi Joki* per *Kola Jerffwi* in glaciale mare exundantis, vix dimidio miliari diſtat. Neque ultra duo miliaria, caput lacus *Kyrki Jerwi*, per *Pojerwitrask*, Albo Mari juncti, a fluvio Bothnicum infra *Kiemi*, ad ortum, influente abeſt. Et lacus fluminaque per *Vlotrask* in Bothnicum ſinum ruentia, citra dorſum regionis (*Maanſelke*) ut album mare ad *Kiemi* ingreſſa ultra, haud procul ab invicem ſcaturiunt. Tantillum Scandinaviæ ab inſula differt. Nec magis Fenningia. Fennico enim ſinui, flumine *Nievva* lacus Ladoga jungitur: Ut huic per *Svveri* Onega, cujus extrema a *Seis Jervvi*, qui per *Telekina* & fluentum *Soroka* albo miſcetur mari, vix unius miliaris intervallo abjacent.

CAP. II. De Antiqua Regnorum Sueo-Gothicorum diviſione.

Regna Scandinaviæ, quæ hodieque Sueo-Gothiæ Corona unita tenet, olim plura numerabantur. I. SVECIÆ, preſſe dictæ, a Dalekarlorum Albi Suec. (*Elff*) ad ſylvas *Kalmarden* inter gr. 58. & 61. jacens. II. GOTHIÆ, ab

ab iisdem ſylvis ad fretum balthicum, inter gr. 55. & 59. extenſum. III. WERMIORUM, Gothia, Norvegia, Suecia, & Helſingia, inter gr. 58. & 62. comprehenſum. IV. HELSINGIUM, ultra flumen *Elff*, ſeu Dalekarlum, ad Laponiam usque inter gr. 60 & 64. porrectum. V. FENNINGIÆ, Bothnico & Fennico finibus inter gr. 59. & 66. concluſum. Quibus alii Angermanniæ, Sudermanniæ, Biarmiæ, Finmarchiæ, Skydfinniæ & Jemptiæ regna accenſent, ut undenarium numerum compleant. Singulis quidem ſuos olim fuiſſe regulos conſtat. Skydfinnos vero ſuis etiam propriis quondam paruiſſe, ut contra antiquos jam non nego: Ita hodie alios non eſſe, quam quoſvis aquilonares ſuper lignis (*Skydor*) currentes, certo ſcio.

CAP. III. De Suecia, ſtricte dicta, & territoriis in genere.

SUeciæ Regnum, quaſi centrum eſt imp. TRES DUCATUS Uplandiæ, Sudermanniæ, Wesmanniæ, & Comitatum Nerikiæ continens. Mare balth. Gothiam, Wermiam, Dalekarliam & Geſtrikiam interjacet. Sive a *Svvedia*, i. e. Sylvas exciſas comburere: (Sic enim ab initio excultum, etiamnum colitur.) Sive a *Sæder*, quod Norvegico & Helſingico auſtralius ſit; ſive potius a primo fundatore, SVENONEQVE *SvvensRyke* dicatur. Propria a multis retro ſeculis INSIGNIA, TRES CORONAS habuiſſe, antiquæ monetæ, diplomata, monimenta ſaxis inciſa, aliaque documenta evincunt: Quæ uberior deſcriptio monſtrat. Dividuntur ſingulæ provinciæ, ſint Ducatus, ſint Comitatus, in ſua dominia ſeu TERRITORIA, quondam *Hundari*, dicta. Centeni enim ex plebe Comites, conſilium ſimul & auctoritas aderant (Regi ſc.) ut Tacit. ait. Poſtea *Hæreder* appellantur, a *Hær*, exercitus; & *Oede* poſſeſſio, proprietas, divitiæ. Singula quippe territoria ſub duce territoriali, *Hæredz Hœffdinge*, ſuos exercitus eduxerant. Qui a provin-

vinciali, *Laghmader*, (judices enim simul fuerunt, ut jam sunt) tanquam generaliori Duce regebantur. Estque TERRITORIUM, tractus, (terra spacium, aut Dominium) seu Pagorum & Villarum societas, peculiari jurisdictione armata & distincta. Singula nempe territoria arva habent publica, *Hæredzalmenning*; Curiam, *Tingstadh*: Sigillum territorii, *HæredzSignete*; fiscum & archivum, *HæredzKista*; Carceremque publicum & supplicii locum. Neque ex alieno territorio quenquam in jus trahere, ordinarie, fas est. Singula insuper territoria plures Ecclesias & parochias comprehendunt.

CAP. IV. De Uplandia.

UPLANDIA, vel a situ, quod cæteris Sueciæ Provinciis excelsior sit; (*Upsvvea*) sive ab UBBONE, a quo & antiqua Deorum, Regum & Musarum sedes Ubsalia, denominationem habet. Insigne tenet Aureum pomum supernotata cruce deaurata. Ab ortu mari balthico, ad meridiem nobili lacu *Maler*; ad occidentem flumine *Savvo*; ad septentrionem Dalekarlo limitatur. Regio frugum fertilitate præstantissima; & horreum Sueciæ, cœlo fruitur temperatissimo, pluvias tempestive alternante, (agricolæ *Tradesmusten* vocant) Agros camposque planissimos late pandit. Lacus, præter mare & *Maler*, ad latera, præcipui sunt: *Harbostæ*, *Temnen*, *Jarken*, *Stræmaren*, *Treehærningen*, *Fysingen*. Fluvii rigant, *Tiærpa*, *Oerbya*, *Allunda*, *Savvea*, *Sala*, aliisque. Fontes innumeri, celebriores, S. Erici Ubsaliæ; S. Sigfridi ad *Svvingarn* & *CarlsKalla*, in Roslagia. Silvæ pauciores, inter quas *Nosten* &c. Dividitur Uplandia in Tres Partes, quondam distinctis Regibus claras, teste Sturlesonio in vita Ingelli Regis Upf. quæ Folklandiæ dicuntur; *Tiehundrat*, i. e. decem Centuriarum: *Otthundrat*, i. e. Octo Centuriarum. Et *Fierdhundrat*, i. e. Quatuor Centuriarum. Prima, quæ borealior, fertilitate eminens, *UpsalaOede*, i. e. Ubsalenses divitiæ quondam dicta est. Innu-

numera ſunt in hoc Ducatu Regum atque Magnatum palatia & habitationes amœniſſimæ. E multis paucæ *Wanegarn*, *Ekolſund*, quendam regiæ. *Lindholmen*, *Ridboholm*, *Wyk*, *Saalſtadh*, *Fræſaker*, *Tuna*, *Diursholm*, *Penningby*, *Carlberg*, *Roſenberg*, *Bogſund*, *Steninge*, *Walſtanaas*, *Runſa*, *Skoo*, *Grœnſœ*, *Staket*, olim Epiſcop. ſedes. *Eckholmen*, *Arnœ*; *Broogard*, *Kasby*, *Haga* &c. *Aſpenas*, *Skeboholm*, antiquitate clara, *Biœrnœ*, *Utel* &c. Hic quoque COMITATUS *Ortala*. Ubi egregiæ ferri mineræ coluntur. Nec non ad *Oeſterby*, *Læſta*, *Forsmark* & *Waslandzbruk*. Eſt Arx antiqua *Oerbyslaet*. Urbes & Oppida præcipua ſunt Holmia, Metropolis; Ubſala, Sigtuna, *Enekœping*, *Oregrund*, *NorrTalge* & *Oeſthammar*. De quibus plura deinceps.

TERRITORIA XXXII.

Trœgde	*Tyerps*	*Sivvhundratz*	H.
Aeſundz	*Weslandz*	*Walentuna*	
Laghundz	*Frœdzakers*	*Lyhundratz*	
Haghundz	*Olandz*	*Solentuna*	
Simetuna	*H.Rasbo*	*H.*Broo	
Torſtuna	*Waxſala*	*Farentuna*	
Wala	*Erlinghundratz*		
Frœtuna	*Habo*	*Broo*	Skepz.Lagh.
Ullakers	*Senninghundratz*	*Frœtuna*	
Balingz	*Longhundratz*	*Aekers*	
Norunda	*Nerdinghundratz*	*Dannerydz*	
Dannemorabergſlagh			

Long. Ulpandiæ eſt circiter 23. mil. Lat. 18.

CAP. V. De Sudermannia.

SUDERMANNIÆ, ab auſtrali ſitu dictæ, Inſigne eſt Gryphus niger, expanſis alis in aureo campo. Ab ortu mari, ad meridiem *Kalmard*, occaſum verſus Nerikia, ad aquilonem *Maler* conterminatur. Regni olim titulo clara, ſub R. Gramo, qui unus ferme Ingelli R.

Ubsal. insidias evasit. Frumentaria itidem regio est, agrorum fertilitate & piscationis ubertate abundans. Nec metallicis mineris ad Dunker, juleta *Suvartuna*, *Tunabergzslago* destituitur. Tres habet partes; 1. *Tæren*, quam *Maler* in sinum maris ad Telgas immissus, insulam facit: Aliæque minores non paucæ in mari circumstant. 2. Rekarna, ad Strengnesium, frumenti bonitate & copia præstat. 3. Commune nomen retinet. Lacus; præter mare, *Maler* & *Hielmer*, qui regionem cingunt, potiores sunt *Oeliar*, *VVingakerslæ*, *Langhalsen*, *Ronvvyk*, *Bagen*, *Lyksdam*, *Yngern*, *Sillen*, &c. Flumina; *Trosaa* & amnis Nycopensis in mare, ut Torsiliensis in *Maler*, ruentes. Minora sunt longe plura. Sylvæ, non adeo magnæ, *Akersheed*, *Dunckersheedh*, *Biærnlumdaheedh*, *Silleskogh*. Fontes celebriores *Rannekalla*, Nycopensium ædes hortosque rigans; *RagnillaKalla* Telgis, & Fons ad *Ludgo*, cui ingens lapis runicus astat. Palatia illustrium præcipua sunt; Regia *Grypsholm*, *Hærningzholm*, *VVybyholm*, *Tænnelsæ*, *Siæsa*, *Tullegarn*, *Falnaas*, *Elfslæ*, *hæringe*, *Sundbyholm*, *Laghmansæ*, *Tærna*, *Aekeræ*, *Haneberg*, *Juleta*, *Tackhammar*, *Malsaker* &c. Urbes & Oppida; *Nykæping*, *Strengnas*, *Torsilia*, *SæderTalge*, *Mariæfred*, Æschilis *Tuna* & *Trosa*.

TERRITORIA X.

Oknebo	*Heredt*	*VVillatingz*	*H.*	*Oestre*	*Rekarna*
Daghe		*Ræhne*		*VVæstre*	
Aekers		*Jænakers*			
Selebro		*Uppunda*			

Long. Suderm. est 29. miliar. Lat. 16.

CAP. VI. De Nerikia.

NERIKIA, sive *Nederryke*, *Norryke*, aut *Narryke* a situ, sive potius *NareRyke*, a divitiis dicatur; Olim quoque peculiarem Regem habuit, (*Sporsnaller* ab Ingello Ubsaliæ concrematum) ad orientem Sudermanniæ, ad meridiem Ostgothiæ, ad occasum Westgothiæ & Wer-

miæ,

miæ, ad ſeptentrionem Weſmanniæ jungitur. Inſigne habens duas in candida planitie transverſim poſitas ſagittas, quatuor purpureis roſis exornatas. Soli tenuitatem, minerum abundantia, incolarum induſtriæ juncta abunde compenſat. Lacus, poſt *Hielmer*, Sudermanniæ communem, habet *Tofften*, *Torſten*, *Biœrken*, *Sandaſiœn*, *Teen*, *Multen*, *VVybyſiœn*, *Moſiſiœn*, *Quiſmar*, Fluvios, *Troſa*, *Hasleƒors*, & ad *Maloeſa* &c. Sylva hic eſt, Famoſa *Kaglan*, in cujus medio limpidus Fons fluit. Inter Aulas Nobilium hic præcipuas ſunt *Goekzholm*, *Kagleholm*, *Hielmersberg*, *Eſpelunda*, *Ekeby*, &c. Urbem cum arce habet *Oerebroo*: & Oppidum *Askerſund*.

TERRITORIA ſunt IX.

Askers	*Hardmo*	*Oerebroo*	
Sraliesta	*H. Grimſtens*	*H. Glanshammarz*	*Haredt*
Kumbia	*Edzbargz*	*Sundbo*	

Situs hujus Comitatus, ad rotunditatem accedens, in circuitu mil. circiter 25. tenet.

CAP. VII. De Weſtmannia.

WESTMANNIA (*VVesmanland*) a ſitu ad occidentem nomen traxit. Cui ad orientalem plagam Uplandia, ad auſtrum Sudermannia & Nerikia, ad occidentem Wermelandia; ad ſeptentr. Dalekarlia contermina eſt. Inſigne habet tres montes, quinque flammas in candido ſpacio evibrantes. Quibus inexhauſta metallorum abundantia in argenti, ferri, chalybis, plumbi ac ſulphuris fodinis indigitatur. Quorum elaborationem non ſylvæ, non flumina magis quam incolarum induſtria deſtituunt. Lacum *Maler* communem habet; *Hallaren*, *Flattieboſtoen*, aliosque proprios. Flumina, poſt *Svvarta*, quam plurima. Montes *Salbarg*, *Bisbarg*, aliosque innumeros. Hic Regiæ *VVasby*, *Stræmsholm*, *Ulffſund*, *Oeſtuno*; Illuſtrium ſedes *Engzöö*, *Tydö*, *Mulhammar*, *Lindoe*, *Froeſſaker*, *Aggarn*, *VVykbuſa*, *Hesle*, *Ged-*

Geddeholm, *Kuſta*, *VValſta*, *Groenoe*, &c. Oppida, Aroſia, Arbogia, *Koeping*, *Sabla*, *Lindeſaas* & *Nobra*.

TERRITORIA IIX.

Snævvingz	*Tiurbo*	*Ytre*	
Tuhundretz	*H. Norbo*	*H.*	*Bergzlagh.*
Siende	*Aekerbo*	*Oeſſte*	

Long. Weſtmann. mil. 17. Lat. 14.

Hæc de Sueciæ Regno preſſe dicto.

CAP. VIII. De Gothiæ Regno in genere.

GOTHIAM, ſive a bonitate, ſive a Diis, i. e. potentibus, ſive a fundatore dictam, peculiare Regnum, domi & foris potentiſſimum fuiſſe conſtat. Unde Gothos in alias terras exiiſſe patriæ leges evincunt, hiſtoriæque confirmant. Inſignia habet Leonem ſuper tres aquas reflexa cervice ſalientem. Ad ortum & meridiem mare balthicum Daniamque, veluti ad occidentem oceanum; ad aquilonem Sueciam ſpectat. Sylvis ac lucis omnis ferme regio conſperſa eſt; Soli fertilitate, Cœli clementia aërisque ſalubritate nulli aquilonarium cedens. Piſcatura commoditatibus, navigatione & mercimoniis, aucupiis, venationibus, pecudumque copia; lactis, mellis, glandium, fagorum, minerum, aliarumque rerum uſibus & oblectationibus humanis ſervientium abundantia cuivis antecellit. Noxiis vel animantibus minus infeſtata. Tres inſignes Ducatus, Oſtrogothiam, Smolandiam & Weſtrogothiam, cum adjacentibus Provinciis ac Inſulis, complectitur.

In Long. ultra 60 mil. numerans: In Lat. plus 32.

CAP. IX. De Oſtgothia & Gotlandia.

Proxima Sueciæ OSTGOTHIA, Nomen a ſitu ad orientem accepit; Orientale latus mari, auſtrale impedita Sylva *Halavvid*, occidentale lacu *VVatter*, aquilonare nemore *Kalmard* munitum habens. Inſigne

monstrat Leonem inauratum, super 3. aquas in campo dimidio aurato. Inque ortivam, *Oestangstang*; & occiduam, *VVastastang* dividitur. Illa prius sibi insigne vendicat; hæc Draconem volantem, rosis caput & pedes, alvum stella ornatum. Regio maxime campestris & plana; Arva hortosque colit fructuosissimos; Hordeum secale, triticum, pisa, fabas bonitate juxta ac copia insigni, variosque arborum fructus abunde proferens. Granarium Gothiæ merito appellanda. Nec mineris in *Gogard*, *Hallestadh* & *Aetvved* caret. Lacus habet *Roxen*, *Aesunden*, *Glaan*, *Orlongen*, *Jernlunden*, *Somen*; & sinum maris *Bravvykan*, flumen *Motala*, e *VVatter* ortum, quod 16. minora recipit, colligentem. Sunt & fluvii *Stang*. *Moelebya*, *Rimfors*, *Cappelsa*, *Finspang*, &c. Sylvæ *Norskogh* & *Gogarskogh*. Montes *Pukabarg*, *Aemebarg* & *Katelbarg*, ubi fons ahenum repræsentans. Nobiles item fontes sunt *RagnillaKalla* & *Oerkalla*. Illustrium sedes magnifica; Arces *Steghborgh* & *Braborg*; *Turefors*, *Brokind*, *Hendeloe*, *Saby*, *Idingstadh*, *Loeffstadh*, *Grensholm*, *&c.* Urbes & Oppida, Norcopia, Lincopia, Sudercopia, Skeningia, Wastenum.

TERRITORIA XVII. sunt

Bierkindz		*Hammerkindz*		*Brabo*	
Oestkindz		*Aekerboo*		*Lysingz*	
Loeningz	H.	*VValkeboo*	H.	*Daals*	H.
Bankekindz		*Gulborgz*		*Goestringz*	
Skarkindz		*VVyfolkz*		*Aska*	
Hanekindz		*Hallestabergzslag*			

Long. Ostgoth. est mil. 21. Lat. 15.

GOTLANDIA, a Gothis, rates ibi colligentib. olim novas sedes quæsituris denominata. Insigne Agnus cruce vexillifera, liliaque duabus columnis insessa habens: Insula est balthici maris, 14. ab Ostgothia milliarib. distans. Ut quondam Lincopensi Episcopo, ita & Re-

Regib. Sueciæ subjecta. A vicino Dano aliquandiu detenta, ut nuper a Rege & Senatu ejus Regni irrevocabiliter restituta, cuivis notum, & in ampliori descriptione plenius deducitur. Terra pinorum, abietumque navium & ædificiorum usibus aptissimorum, juniperium, ferax; Pecora numero & magnitudine commendata alit; Et marmor Gothlandicum (*Gotlandzsteen*) copiose emittit. Tres habet partes; Borealem, australem & intermediam; Urbem Wisbyam cum arce.

TERRITORIA 21. quæ Chronicon Gothlandiæ pag. 5. recenset.

CAP. X. De Smolandia & Oelandia.

SMOLANDIA, (alias meridionalis seu Australis Gothia,) vel a *Smock*, i. e. bonus vel a parvis regionibus: *VVarnsLand*, *Tyoharylagsagu*, *Moere*, *Tiust*, *Asboland*, quas complectitur, dicta. Illa enim a *Smala*, ut recens ita nimis inepta est denominatio: Cum nec omnis Smolandia hac phrasi utatur, nec sola pecoribus abundet. Ad ortum mari, ad meridiem Blekingia & Scania, ad occidentem Hollandia & Westgothia; uti & ad Boream Ostgothia, in medio H*alavved*, terminatur. Insigne est Leo capite erecto, intensoque arcu & imposita sagitta minitans. Glebam fertilissimam, licet arctiores agros, colit. Omnisque generis animantibus, hujus Zonæ, & feris nobilioribus, piscibus, lardo, carne, caseo, butyro abundat. Quercubus & fagis, præ aliis, & piscatura dives. Lacus habet, partem & *VVatter* & Somens, Ostgothis communis; Item *Sabysioen*, *Linderassioen*, *Rotnen*, *Salen*, *Hesnen*, *Moeklen*, *Bolmen*, *VVydesteern*, *Tofften*, Helgesioen, Koeoest & innumeros minores. Amnes, *Nissa* & *Laga*; de quibus Suetice dicitur; *The taga mangen Man aff daga*. Est flumen ad *Torsaas*, quod pons *Broemsebro* sternit. *Helgea*, *Forsea*, *Arbya*, *Lungbya* & complures. Montes præ numero numerari nequeunt: Etsi multis in locis egregia etiam sit planicies. Nec tantum e montibus ferrum & chalybs

lybs effoditur: Sed etiam in fundis lacuum & paludum, optimæ ferri mineræ inveniuntur, ex quibus levi labore, minimoque sumptu optimum ferrum conficitur. Fontibus regio scatet; celebres sunt S. Sigfridi aliique. Arces munitissimæ sunt Calmariensis, Iunecopensis & olim Chronebergensis. Sedes illustrium sunt Comitatus *VVisingzborg*, ubi & Arx magnifica, cui in triangulo respondent palatia *Brahuus* & *VVestana*, Comitatus *Soedremoere*; Baronatus *Berqvvara*; *Berqvvara* antiqua, *Langoe*, *Tofta*, *Bolmsnas*, K*alunda*, *Asa*, H*oereda*, aliæque quamplurimæ. Urbes & Oppida; Calmaria, *VVastervvyk*, Iunecopia, Wexionia, *Ekestoe*, & *VVimmerby*.

TERRITORIA Smolandiæ hæc sunt:

In Episcopatu Wexionensi, decem Territoriorum legiferatus (*Tyo* H*aredz Laghsaghu.*)

Sunnerbo	H.	*VVastre*	H	*Norvvidinge*	H*aredt*
Oeßboo		*Oestre*		*Albo*	
VVasbo		*Upvvidinge*		K*innevvaldz*	
		K*onunge*		& *Tvveta*	

Ad Lincopensem Episcopum nunc spectant.

Tiustbo	H.	*Norre-VVidbo*	H.	*VVista*	H*aredt*
TunaLans		*Soedre-VVidbo*		*Savvede*	
K*inde*		*Moo*		*Asbolandz*	
Ydre					

Ad Calmariensem Superintendentiam spectant;

Amboerdz	H.	*Norra*	*Moere* H*areder*.	Cum Oelandia.	
Stranda		*Soedre*			

OELANDIA, quod nomen dictat, insula est balthici maris, eaque omnium amœnissima: dimidio tantum miliari Calmaria distans. Cui Insigne Cervus deauratus, clypeo coronatus. Quod hujus animalis leporumque copia apprime regio ista nobilitetur. Soli fertilitate parem vix habet, hordeumque dat bonitate præcellens. Equos parvos, at robustos valdeque dociles alit. Herbas saluberrimas, unde lac & butyrum, non medicinæ minus

nus, quam alimenti loco est. Lapides etiam vicinis Gotlandicis haud viliores dat borealis pars, sylvis gaudens: australis neutrum habet. Arce munitur *Borckholm*.

Et TERRITORIA habet 8.

Aekerbo		*Runesteens*		*Hulterstadh*	
Foerbo	H.	*Moekleby*	H.		Heredt
Slattbo		*Aelgutzrums*		*Grasgiardz*	

Long. Oeland. est mil. 18. Lat. alibi 3. alibi 2. alibi vix 1.

CAP. XI. De Westrogothia & Hallandia.

WESTGOTHIA, quod occidentalior sit GOTHIÆ Ducatus, dicta. Ab ortu *VVatter*, ad austrum Smolandia, ad occidentem Hallandia & Oceano, ad septentrionem Norvegia, Dalia & lacu *VVaner*, circumscribitur. Insignia ferens Leonem dimidium inauratum, dimidium cœruleum, in simili planitie, inter duas stellas salientem. Hic, non secus atque in vicina Smolandia, læta pascua & immensi armentorum greges, quod Köpingenses, Arosianæ aliæque nundina & regiones variæ testantur: Quæ boum & pecudum ingenti copia hinc missa, quotannis sublevantur. Casei etiam Westgothici magnitudine & præstantia celebres sunt: ne parmensibus quidem, nedum texensibus cedentes. Aquis supradictis, quæ omnium maximæ, navibus assuetis, lacus adjungit *Strokn en*, *Lonen*, *Alsungen*, *Samsioen*, *Oelsioen*, *Faien*, *Oeresioen*, *Oemsen*, *Mioer*, *Aspen*, *Savven*, &c. Flumina; Goth-elba horribili lapsu *TrateHattan*, famosa, *Tyda*, *Lyda*, *Noos*, aliaque minora quamplurima. Sylvæ notabiliores sunt, *Tivvedh*, *Fagremo*, *Eesvvagen*, *Rysvved*, *Kindeskogh*, *Galevvedh*, *Mollaskog*, *Narungskog*, *Stoepan*, *Langaskog*, *Hoekzas*, &c. Montes celebres: *Kindekulla*, hortis clarus; *Hundberg*, cujus verticem lacus & fluvii rigant, molarum usibus idonei. *Hall*, Arx naturalis; *Mysseberg*; *Billingen*, *Aelleberg* &c. Fontes non ignobiles multi; qualis S. Helenæ, Sacello inlustris & S. Olai &c. Arces Regiæ, *Elgzborg*, *Gulborg*, & palatia Magnatum, sunt

Leckoeoe; (*Oemseborg* vix rudera apparent) *Oersteen*, *Larioe*, *Steensholm*, *Oeyeryd*, *Biurum*, *Froedzlunda*, *Fasteryd*, *Stola*, *Uddetorp*, *Saby*, *Forstena*, *Hialloe*, *Nygard*, *Attorp*, *Sioetorp*, *Fardal*. *Hoensatter*, & perplurima alia. Urbes & Municipia, Gotheburgum, *Lidkoeping*, *Mariestadh*, *Scara*, *VVannersborg*, *Bogsund*, *Hio*, *Skoedvvedh*, *Falkoeping*, *Ahlingsaas*.

TERRITORIA 29.

Wertes	*Bioerke*	*Aeaß*
Redvvaegs	*Wæna*	*VVyns*
Kindz	*Aesa*	*Gaseno*
Marks	*Wista*	*Kollins*
Bollebygdz	*Kallans*	*Laska*
Askems	*Kinne*	*Barna*
Saefvvedals	*Kukindz*	*Skaningz*
Waetle	*Gudhems*	*VValla*
Ahla	*Wilska*	*VVaßbo*
Flundra H.	*Froekindz* H.	Haeredt.

Quæ antiquæ Westgothorum leges paulo aliter recensent: additis tribus, *Moo*, *Widhundae* & *Hysingz Hareder*.

Long. Westgoth. inter Junecop. & *Elßborg* est mil. 29.

Lat. inter *Kylabroo* & *Gulspang* 38.

Episcopatus Westgothiæ duo sunt, (præter Superintendentiam Mariæstadensem) Scarensis & Gotheburgensis. Huic nunc Hallandia subjacet.

HALLANDIA Gothiæ provincia est, inter Smolandiam, Scaniam, Oceanum, & Westgothiam 22. mil. in long. porrecta: Cujus latitudo 5. mil. vix excedit; nisi quod australior pars paulo latior. Glebam habet satis fertilem: Navigatione autem & mercimoniis maxime ditescit. Nomarchias 8. Koldingensis memorat. Oppida novi 5. Halmstadium, Wardbergam, Lagaholmiam, (non procul ab ostio Lagæ amnis) Falchenburgum & *Kongzbacka*. Arces munitas Vardberg & Lagaholm. Flumina vero, quotquot aliquo numero habet, e Smolan-

lan-

landia & Westgothia descendunt. Paruit aliquandiu Danorum Regi. Sueo-Gothicæ autem Coronæ olim etiam subjectam fuisse ex Cap. 11. tit. de jure Reg. ill. provinc. Suec. manifestum est. Et novissima transactione ad eandem hypothecæ titulo, in ann. 30. ne interea pactis fraus fiat, rediit. Quo tempore elapso, hæc ipsa, vel æquivalens regio, Suecicæ Coronæ a Danis in perpetuum cedetur. Prout Cessionis literæ a R. Regnique Danici Senatoribus subscriptæ, publicatæ & typis excusæ, universo orbi palam faciunt. Hæc de Gothico Regno, ejusque Ducatibus, insulis majoribus & provinciis Coronæ Suecicæ unitis.

CAP. XII. De Wermiorum Regno in genere.

Wermiam, vulgo Wermelandiam, sive a *Waern*, quasi præsidium, sive a *Waener*, cui adjacet, quasi *Waeners-Land*, sive a lacu *Waermelen*, sive a colore denominatam; REGNI titulo quondam fuisse conspicuam, Saxo, Meursius, aliique testantur; Olonem Daniæ Regem VVermiorum R. OLAI filium Esam duxisse commemorantes. Cui Regno Dalia, VVermelandia, stricte dicta, Dalekarlia, VVesterdalia & Oesterdalia accensentur.

CAP. XIII. De Wermelandia in specie; & Dalia.

Wermelandia, nunc Comitatus est, ad ortum VVestmanniam & Nerikiam, ad meridiem lacum *Waner*, ad occidentem Norvegiam, ab septentrione Dalekarliam habens. Cujus insigne, olim Gulio in planicie candida; Hodie, Aquila expansis alis & pedibus. Terra, ad austrum planior ac feracior, ad aquilonem montibus, sylvis, paludibus & aquis obsita. Unde frugum inopia; piscatione, venatione & minerum abundantia rependitur. Sylvæ celebriores, *Letestigen*, *Bodarna*, *Soedermo*, *Glaffwen*, *Carlskoga*, &c. Lacus, *Wermelen*, *Skageren*, *Leesioe*, *Fixen*, *Glaasfierden*, *Yngern*, ubi piscis *Roeding*, soli *Waetter* communis, capitur. *Fluvii*; *LeetElff*,

Gulspaeng, *Saesan*, *Joessefors*, *&c.* Aulæ *Agnhammar*, *Hyg-netorp*, (ubi regium Vivarium) *Saeby &c.* Oppida Caro-lostadium: *Philipstadh* & Christinæ *Hampn.*

TERRITORIA.

Oestre Syslet	*Wisnums*	H.	*Waestre Syslet*	*Gilbaergz*	*Haeredt.*
	Grums			*Jusses*	
	Naeaeß			*Frysdals*	
	Kylß			*Elffvvedals*	
	Waese			*Nordmarkens*	

Alii paulo aliter enumerant *Oelmeharadt & Bergzlaget* addentes.

DALIA, quasi VVallensis regio, quondam regni VVermelandici COMITATUS, etiamnum VVermiæ provincia est, ad meridiem annexa: Insigne, Rubicundus Taurus, in planitie candida. Pecorum quippe pastu boumque magnitudine vicinæ VVestgothiæ non cedit. Sylvas, *Torskoga*, aliasque continet. Lacus, *Haestefiord*, *Elnesioe*, *Wyksioe*, *Lelaeng*, *Svvellaeng*, *&c.* Flumina, *Fraennefors*, *Raenkestroem*, *Daalbya*, *Degera. &c.* Oppidulum *Braette* habuit, nunc VVennersburgum translatum, & Castrum *Daaleborg.* In territoria non dispescitur; Sed in communi *DaalsLand* appellatur.

Tot. VVerm. Long. mil. 34. Lat. 51.

CAP. XIV. De Dalekarlia.

DALEKARLIA, item a convallibus dicta, Ducatus est amplissimus, cujus orientale latus Helsingia & Gestrikia, australe VVesmannia & VVermia, occidentale Hennemarkia Norvegiæ, ut boreale Norvegici montes claudunt. Insignia, duæ in crucis morem locatæ sagittæ, cum aurea Corona, in candido campo. Terra sterilior frumenti, sed metallorum feracissima. Flumina habet; *DalaElffvvan*, orientalem & occidentalem; *Oera*, *Wanan* aliaque. Lacus; Ingentem *Selian*, *Ronn*, *Svverdsioe*, *Aeffvvansioe*, *Warpan*, *Tansen*, *Grycken*, *Roo*, *&*

Rael-

Raellesioen &c. Montes, inexhausto æris fundo, *Kaepperbaerget*, *Garpebaerket*, *Loefaesen*, & complures in *Soederbaerket*, alibique argenteis mineris plenos. Nobilium palatia, ultra Dalekarlum, seu gr. 60. nec hic, nec in Helsing. regno, nec in orientali Bothnia hactenus ulla. Oppida, hic sunt *Fahlun* & *Hedemora*.

TERRITORIA Populosissima [*Oestre* / VV*aestre*] *Dalarna*.

Long. 29. lat. 23. mil. Nunc Helsingiæ Regnum succedit.

CAP. XV. De Helsingorum Regno in genere.

HELSINGICI Regni antiquitatem & potentiam, multa domi forisque commendant: *Helsingoer* (vulgo Helsenora) & Helsingburgum ad porthmum Danicum: Coloniæque orientem versus in Nylandiam & cætera maritima deductæ. Proprias olim Literas, Reges & leges, hodieque extantes, habuerunt. Ab ortu Bothnico sinu, ad meridiem Uplandia & VVesmannia, Occidentem versus Dalekarlia & Norwegia, & aquilonem Lapponia conclusum: In genere *Norlanden* dicitur. Agris, pascuis, piscatione, venationibus & aucupiis dives: Gestrikiam, Helsingiam (presse dictam) Medelpadiam, Angermanniam, Iemptiam & Bothniam occidentalem continet. Ab agricolis & mercatoribus, cum clericis, militibus & justitiæ administratoribus (inter quos nulli hic genere illustres) inhabitatur. In territoria non secatur; navigiorum tamen societatum, (*SkipzLagh*) antiquæ ll. meminerunt: Sed singulis Comitatibus, singuli judices, Prætor & Lænsmannus, justitiæ, tranquillitatis publicæ & viarum rationem ineunt.

In Long. 73. mil. in Lat. 90. numerat.

Sed de singulis provinciis aliquid dicendum.

CAP. XVI. De Gestrikia.

GESTRIKIA, *Gastrijkland*, ab hospitalitate dicta videtur, Comitatus est, Insigne habens Alcem inter 9. globulos in scuto candido. Ortum mare, meridiem flumen *Elff*, occidentem Dalekarlia, septentrionem Helsingia claudit. Præterquam fruges mediocres, ferri etiam mineras fert. Mercesque suas ad vicinos Cuprimontanos, edax genus, magno cum lucro devehit. Lacus *Hammarsioen* est; & Fluvius *HasundaElff*. Oppidum maritimum, non ignobile, habet Gevaliam.

Regio in Long. mil. 12. in Lat. fere totidem tenet.

CAP. XVII. De Helsingia in specie.

Comitatus Helsingiæ, Insigne habet deauratum caprum in aureo campo. Inter Mare, Gestrikiam, Dalekarliam, & Medelpadiam positus. Olim *Sundhedo* vocabatur. An vero modernum nomen a *ThorHelsing*, (ut Norveg. Chron. asserit) an hic potius a regione; Illa ab *Halß*, vel *Halsa*, i. e. salubritate acceperit, nunc in medio relinquo. Solum insuper fruges, linum & pascua ubertim profert. Unde linteamina, butyrum & caseus, magna incolis lucra ferunt. Nec parva etiam piscationes & venationes. Inter celebriores Sylvas sunt *Blaksas*, *Bœleskogen*, *Oedemarden*. Lacus, *Orr*, *Barvvijken*, *Dill*, *&c.* Fluv. *Liusna*, *Wöxna*, *Kyla*, *Tonna*. Oppida, *Hudvvyksvvald*, *&* *Sœderhampn*.

Long. est fere mil. 27. Lat. 16.

CAP. XVIII. De Medelpadia & Iemptia.

MEDELPADIA Comitatus, a medio, inter ingentia flumina *NiurundzElff* & *IndalsElff*, situ nomen sortita videtur; Et Tres argentei coloris torrentes insigne ostentat. Mare ortum, Helsingiam meridiem, Norvegiam & Jemptiam occidentem, atque Angermanniam boream versus habet. Confini Helsingiæ, qua soli conditionem, non absimilis. Sylvis tamen & montibus frequen-

quentior, unde venationum & aucupiorum commoditates augentur. Oppidum est ibi *Sundzvvald*.

Huic regioni ad çorum contermina est JEMPTIA, a quodam *Katil Jempte* huc profugo dicta, (ut habet Chron. Norveg.) Quæ ceu Angermanniæ, Helsingiæque ad ortivam plagam, Daliæ ad austrum jungitur; Ita montibus Norvegicis (*Fiaellen*, K*iœl*) a Norvegia, occasum versus disterminatur. Insignia gerit, Duos Leones promissa juba, Norvegiæ insignia tollentes, cui a tergo Vir arcu & sagitta minatur. Frugum, maxime autem pecorum dives; Venationibus, rangiferis & alcibus rem vehementer auget. Inque paræcias quatuordecim dividitur. Aliquando dubii juris fuit. Helsingorum Regi olim paruisse testis est Saxo Lib. 5. Suec. R. subjectam c. 22. K*œp*. *B*. *St*. *L*. evincit. Aliquamdiu tenuit eam R. Norvegiæ. Proxima autem pacificatione Sueo-Danica ad *Brœmsebroo* 13. Aug. 1645. Intra pristinos terminos, a natura positos, in perpetuum, revocata est.

Medelpadia cum Jemptia Long. est mil. 39. Lat. 19.

CAP. XIX. *De Angermannia.*

ANGERMANNIA, nisi a pœnitudine, ab *Angari*, quod vicinis fennis severum notat, vel a flumine Angermanno dicta videtur. Comitatus est insignia usurpans, Tres Salmones cum reti, in solo cæruleo. Ad ortum brumalem Bothnicum mare, ad meridiem Medelpadiam, ad occid: Iemptiam, ad boream Lapponiam spectat. Sylvis, montibus ac rupibus abundat. Ubi vero planicies, gleba est fertilisima, ut stercorationem rarius requirat, etsi quotannis conseratur. Tempestates tamen & frigas spem agricolarum sæpe intercipiunt. Mons est celebris ac editissimus, Skula; Sylvam adjacentem denominans. Fluvius, Angermannus, aliique. Oppidum H*ernoesand*.

Long. est mil. 21. lat. 20. circiter.

CAP.

CAP. XX. De Bothnia occidentali.

BOTHNIA, a sinu Bothnico, quondam *DumsHaaff* nunc *Botnon* (fundus) dicta; Cui utrinque ad orientem & occidentem adjacet: Indeque alia Orientalis, *Oesterbotn*; alia occidentalis, *Waesterboten* appellatur. Hæc Comitatus est, cui insigne, Rangifer excelsis cornibus. Inter Lapponiam & mare, ultra Angermanniam porrecta. Illud ad ortum, hanc ad austrum, istam ad occasum & aquilonem respicit. Minus montosa Angermannia; ob arenas tamen cœlique rigorem, non magis fertilis. Piscationibus Salmonum, aliisque, aquarum & sylvarum commoditatibus variis, omnis facile defectus suppletur. Pellibus autem preciosis ante alias regiones est insignis. Lacus habet, *Buretraesk*, *Arne-Ierffvvi*, *Haesesiöe*. Flumina, salmonum captura maxime nobilitata, *Umae*, *Pytaeslodh*, *Lulo*, *Elff*, *Kalis*, *Taerniae*, Aliaque minora ut *Windele*, *BureElff*, *Byskea*, &c. Emporia, occidentalis Bothniæ sunt *Taernio*, *Uhmo*, *Pitho*, *Lulo*.

Extenditurque secus mare, ad mil. 42.

Et hæc 4. Regna Sueo-Gothica communiter lingua utuntur; Quæ nunc sub nomine Sueciæ & Gothiæ (dum huic wermelandia, ut illi Dalia & Helsingia annumerantur) vulgo comprehendi solent.

CAP. XXI. De Lapponia.

VLtra Bothniam LAPPONIA est, Regio amplissima & septentrionalium extrema. Incipit *Umalapmark*, paulo ultra gr. 64. Et ad gr. 71. extenditur, quæ Suecicæ ditionis est, ut notavit Pontan: ex Buræo. Ipsoque mari glaciali alluitur. Parent ex oceani accolis R. Norvegiæ; Maris albi Mosco: mediterranei & australiores ad Coronam Sueciæ pertinent. Insigne gentis est, Homo sylvestris, instar fauni, caput & verenda ramis obvelatus, clavam veterum gigantum more gestans. Regio sylvis, montibus, paludibus, lacubus, fluminibusque tota referta, frugum impatiens. Pabula tamen alicubi sat copio-

sa

sa non desunt. Carnes ferinæ & pisces siccati pro Pane sunt. Ingentes hic aquæ, *Hornasvvan*, *Storeasvvan*, *Tornetrask*, *Enaratrask*, aliæque maxima ista flumina per Bothniam in mare emittentes. Lappi Suec: R. tributarii in quinque Præfecturas, ex fluminibus denominatas, dispescuntur.

Uma / *Pijta* / *Lula*	*Lapmark*	*Torne* / *Kiemi*	*Lapmark*

Long. plus 100. mil. lat. ultra 90.
Sed nunc ad Fenningiam.

CAP. XXII. *De Fenningiæ Regno in genere.*

FENNINGIA (quam & olim peculiares habuisse Reges historiæ memorant, & ad Wistulam se dilatasse testis est Ptolem.) imperio Sueo-Gothico incorporata, hodie Magnus Ducatus audit. Sinus maris balthici, Venedicum (fennicum) ac Bothnicum, ipsamque Laponiam interjacens. Insigne habet, Leonem Coronatum, dextro pede strictum gladium vibrantem, sinistro acinacem conculcantem: 9. rosis ornatum. Dicitur regio incolis *Svvomi & Svvomima*, sive a *Svvomu* (squamis) sive a *Svvoo*; paludibus: utrisque enim abundat: Sive a R. Sumbli, (Non dicam a Semo, cujus posteritate inhabitari creditur: quippe ex Asia veniente.) Pure latinis, ut Plinio, Fenningia; gens Tacito Fenni dicuntur. (In triviis autem Finlandi & Finlandia adhuc nimis frequenter audiuntur.) Suetice *Finland*, sive a *Fyn*, sive a *Fiende*: Utriusque enim ratio in promptu: sive a *Finna*, quod in angulo inventa sit. Terra non modo sylvis, montibus, rupibus, fluviis, paludibus, lacubus, verum etiam pratis, fontibus, agris, lucisque amœnissimis ac fertilissimis referta. Tanta profecto hic glebæ ubertas, tantaque solis efficacia, quantam inexpertus vix unquam credet; Ex una tonna 15. terram reddere. Vena-

nationes, aucupia & piſcaturæ ſunt abundiſſimæ, unde quotannis immenſa ſalitorum piſcium copia in Sueciam lucroſe divenditur. Pinus, abietes, betulæ, juniperi ingentes paſſim ſylvas faciunt. Fagus nullæ; Quercus raræ; ſunt tamen hic in maritimis; ubi ſorbi, pomi, coryli, frutices S. Johannis & ſimiles; porrum, allium, roſæ, variæque nobiliores herbæ injuſſæ ſuccreſcunt. Tenet MAGNVS Ducatus nunc Principatus ſeu Ducatus minores; Fenningiæ, ſpecialiter dictæ; Tawaſtiæ, Careliæ utriusque: COMITATVS Cajaniæ ſeu Bothniæ; Nylandiæ, Alandiæ & Sawolaxiæ. Qui coronæ immediate ſubjiciuntur.

Long. Magni Ducatus eſt mil. 97. Lat. 79. circiter.

CAP. XXIII. De Orientali Bothnia, alias Cajania.

Helſingicum Regnum Cajania, (vulgo *Oeſterbothn*) excipit, ut poſitus, ab antiquo, terminus ad flumen *Ula* deſignat. Nunc orientalis Bothnia ab occidentali paulo ultra fluvium *KiemiElff* ſeparatur. Habet Cajania ad ortum Sawolaxiam & Tawaſtiam, ad meridiem Fenningiam (preſſe dictam,) ad arcton Lapponiam & fines Moſcowiticos in dorſo terræ, *Maanſalke*. Unde Moſcoviticæ aquæ verſus ortum æſtivum mare album, Cajanicæ ad occiduam partem in Bothnicum ſinum fluunt. Nominis derivatio non patet, niſi a *Kaino*, i. e. verecundus dicatur. Incolæ Suecorum ſoboles, eorum etiam maxima ex parte lingua utuntur. Sex Muſtelæ Inſigne ſunt. Fundus minime ſterilis; Fruges ad incolarum ſufficientiam producens: niſi inclementior tempeſtas intervenerit. Ex paſcuis & ſylvis immenſa butyri & picis liquidæ copia lucro eſt. Nec minor piſcium, præcipue luciorum & Salmonum. Lacus ſunt *Ulatrask*, *Pyhajerffvvi*, *Reißjerffvvi*, *Leſtjerffvvi*, *Ali Jervvi*; Fluvii, *KiemiElff*, *SimoElff*, *Jioſlodh*, *UlaElff*, *Sika Jocki*, *Pyha Jocki*, *Kala Jocki*, *Lochtoa*, *G. Carlebya*, *N. Carlebya*, *Wœroa* &c. Oppida, *Waſa*, Pen: *Muſtaſar*, *NyCarleby*, *G. Carleby*. Arces, *Cajaneborg & Ulaborg*.

Longitudo Cajaniæ eſt mil. 28. Lat. circiter 60.

CAP. XXIV. *De Fenningia presse dicta, & Insulis Alcandicis.*

FENNINGIA, quingentos jam annos continue Suecis obnoxia, ad orientem Tawaſtia & Nylandia, ad meridiem & occiduam plagam Mari, ad aquilonem Cajania, partim & Tawaſtia cingitur; in meridionalem & ſeptentrionalem, flumine Aura *Joki*, Metropolim ABOAM ſecante, diviſa. Quam poſteriorem (*Norſinland*) rapidum flumen *Kyroſlod* terminat: reliqua duo latera Tarwaſtia & mare ipſum attingunt. Inſigne Fenning. Sept. Urſus erectus, dextro pede auratum tenens enſem, binis in ſolo medio deaurato ſtellis ornatus. Subdividitur hic Ducatus in Satagundias (Centurias: *Sata* enim Fenn. 100. notat.) Superiorem & inferiorem: Quæ alias ad Territorium *Cumo*, *KumogardzLahn* revocantur, ab antiqua Regia *Kumogard*, denominatum; quem ingens flumen Salmonum aliorumque piſcium captura celebre radit atque denominat. Et duo inſuper Territoria, *Wievvo* & *Miasko* complectitur. Pluribus rigatur fluviis; K*umoElff*, *Evvroa*, *Lappoa*, *Nykyrkiea*, *Leimi Joki*; *Nouſiſa*, *Wirmoa*, *Maskoa*, *&c.* qui omnes in mare ruunt. Inter magnatum palatia & ſedes maxime eximias ſunt; *Saris*, *Anoila*, K*iulaholm*,*Kankas*, *Lakiis*, *Nynas*, Oppida ſunt *Biœrneborg*, Raumo & Neoſtadium, Waſaborgenſis comitatus caput. Oppidulum *NadenDaal* (lat. Vallis gratiæ) olim illuſtri cœnobio notum; nunc artificioſa tibialium textura.

Meridionalis Fenningiæ, *Sœdrefinland*, Inſignia, Aurata Galea, corona duobus cæruleis vexillis, cum deaurata cruce, in ſimili ſolo. Territoria hujus duo ſunt, *Pykis & Haliko*; Omnis generis piſcatura, frumenti, lupuli, aliarumque rerum proventu abundantia. Hic jacet Baronatus K*imieœ*. Ubi marmor cæditur columnas templi arcis Holmenſis, aliasque exornans. Aliæ quoque Nobilium ſedes frequentes, ut *Aeminne*, *Runegard*, *Qvvidia*,

dia, *Brinkala*, *Atu*, *VVorentacka*, *Karkneß*, aliæque permultæ. Hic Magni Ducatus metropolis est ABOA, cum arce. Kustöensis arcis vix rudera apparent.

Long. Fenning. mil. 29. lat. 28.

AEOLANDIA, mari velut amnibus intersecta, inter Sueciam Fenningiamque posita, quamvis huic vicinior, Suecos tamen incolas habet. Insigne Duas damas inter 9. rosas. Compluresque insulas comprehendit. Piscatura, avium palustrium capturæ, & ovis (hic vere Solini Oonæ:) nec non navigatione incolæ sustentantur. Ex lignationibus & calce cocta non pauci etiam lucrum quærunt. Alcibus leporibusque abundant, regiæ venationi reservatis. Damæ & lupi rarissimi sunt. Arce Castelholm hic Comitatus munitur.

Cujus Long. mil. fere 7. cum æquali latitudine.

CAP. XXV. De Tavvastia.

TAWASTIA, Fenn. *Hamenma*, quasi *Heimo*, i. e. affinis dicta, Ducatus est mediterraneus, ante annos 400. Suecicæ Coronæ adjectus. Cujus insigne, Lynx tribus superne stellis, inferne rosis, in rubicundo solo decoratus. Ad ortum Sawolaxiam & Careliam, a meridie Nylandiam, ad circium Fenningiam Septentrionalem; ad septentrionem Cajaniam habens. Terra segetum ferax; Ubi frigus non præpedit. Et cespites subjectis lignis incinerati (*Kytæ* vocant) dum conseruntur, immensa hordei, lini raparumque vis provenit. Aquæ piscosæ magnæ & multæ; Lacus, *Peiende*, *Rantalambi*, ex cujus fundo ferreæ mineræ (*Ranta* fenn. ferrum est) extrahuntur; *Ruodzilain*, *Holola*, *Nasi Jervvi*, *Longelma Jervvi*, *Kojervvi*, *Ranta Jervvi*, *&c.* Fluvii, *Tamerkoski*, *Orhivvesi &c.* *Kymen* e *Peiende* effusus Nylandos & Carelios adit, utrosque & hanc regionem limitans (a quo regia olim *Kymenegard* & præfectura *Kymenegardz Lahn* dicitur;) tandem in mare 4. meatibus erumpit. Arx est Tawasthwo; fen. *Hamenlinna*, a D. Bergero *Jerl* victore,

re, An. Chr. 1250. excitata. In qua Toparcha residet.

TERR. V.

Sexmaki		*Oeffre*		
Hattula	*Haredt*			*Haredt*
Hauho		*Nedra*		

Long. mil. 27. Lat. ultra 33.

CAP. XXVI. De Savvolaxia.

SAWOLAXIÆ, itidem a mari ſemotæ, dulcibus ubique aquis ſeſe inſinuantibus interſectæ (quaſi a fumigante ſinu dictæ.) Inſigne eſt Arcus deauratus, ſagitta impoſita minitans, in fuſca planitie. Ad orientem Kexholmenſi ditione, ad meridiem Carelia, ad occidentem Tawaſtia, ad boream Lappia Moſcovitica, intervenientibus aquis & montibus, continuatur. Sinibus & fretis aquarum innumeris diviſa, quæ ferme per *Woxen* in *Ladoga* exonerantur. Sylvas & ceſpites cum accendunt incolæ, omnes anguli & ſinus fumo replentur, unde dicta videtur. Quorum ſementi incredibilis optimi frumenti copia reſpondet. Nec frigoris hic tanta vis. Arx eſt munitiſſima *Nyslat*, Fennice *UſtLinna*; circumfluis aquis, ponteque ferreis catenis adductili firmata. Inque majorem & minorem Sawolaxiam dividitur.

Illa,	*Pellosniemi*	Hæc *Pumaia*	
	Wæſulax, *al.*	*Seminge*	
Parœcias	S. Michaelis	*Randaſalmi*	continet.
	Jokais	*Copio*	
	Piexſema	*Idaſalmi*	

Confeſſ. fidei Ubſal. aliter recenſet, Parochias pro Territoriis ponens.

In Long. ultra 20. mil. in Lat. non minus 40. habet.

CAP. XXVII. De Nylandia.

NYLANDIA, olim a Fennis habitata, qui Suecis & Helſingis ceſſerunt: unde nova regio dicitur. Inſi-

gne fert, Cymbam deauratam inter duo flumina. Ad ortum æstivum Carelia, ad austrum mare, ad aphricum Fenningia meridionalis, ad septentrionem Tawastia, terminus est. Glebam habet uberem, venationes, aucupia & piscationes opimas. Mineras quoque ferreas, quæ in *Ansko & Swarta* coluntur. Inter Fenningiam & Nylandiam, cui etiam accensetur, positus est COMITATVS RASBORGENSIS (*Raaborgz Lähn*) Lacus, præter sinus maris, *Lohianselka & Ena Jerwi*, varii sunt. Fluvii, *Wanda*, *Simo Elff &c.* Oppida; *Helsingfors*, *Borgo & Eknas*, loco amœnissimo positum. Nobilium vero prædia complura. *Girknas*, *Swidia*, *Gennerby*, *Siuundby*, *Graffbacka*, *Brædtorp*, *Belsta*, *Oeffwerby*, *Abborrafors*, *&c.*

Long. Nyland. est mil. 30. Lat. vix. 10.

CAP. XXVIII. *De Carelia.*

CARELIA Fenningiæ nunc, imo Scanziæ, ad ortum regio extrema, a *Karja*, i. e. pecudibus, queis terræ genius favet, dicta putatur. Insigne habet Bina in solo puniceo brachia, alterum acinace, alterum gladio, coronæ in medio positæ, minitantia. Ab ortu ingenti lacu *Ladoga* & Moscoviæ finibus; ad austrum fl. *Niewa* & mari, ad aphricum fl. *Kymene*, ad boream & septentrionem Tawastia atque Sawolaxia late circumdatur. Agrorum cultura frugi; Piscationibus, aucupiis & pecuaria prænobilis. Dividitur communiter in Careliam Fennicam, cui dictum Insigne competit: Et Kexholmicam; Huic Arx triplici muro firmata, cum duabus superne rosis tribuitur. Hæc urbem habet arcemque munitissimam Kekshölm (a *Kaki*, i. e. cuculus, & *Salmi*, fretum) ubi insignis Salmonum captura. Itemque castrum *Taipal*. Solum autem fertilissimum; Rubinos etiam Kexholmicos ad Kidila gignens. Tractus vero Eurepæ fœcunditate & amœnitate excellit. Aquæ Careliæ notabiles multæ, ingens lacus *Lapwesi*; Unde rapidum flumen *Woxen*, per grandisonum lapsum *Imatra* in *Ladoga* irrumpit.

Ad-

Adde *Seja*, *Högfors*, *Kalliokoski*, *Systerback* (olim imperii terminus) & *Unders Jocki &c.* Lacus, *Jeskjerwi*, *Kopra-Jerwi*, *Immalajerwi &c.* Nobilium sedes claræ, *Yxpa*, *Niemis*, *Kawentholm*, *Strömsnäs*, *Kaistillax*, *Kelkala*, *Pytterlax*, *Sawiniem*. Careliæ Fennicæ caput est Wiburgum, antiqua urbs & celebris, cum Arce invictissima. Emporia minora, *Lapvvest* nundinis celebre; *Mala & Wakelax*.

Wiburgensi Castellano parent; Præfectura *Kymenegard* (*Kymenegardzlahn*) & Territoria *Lapvvast*, *Jeskis*, *Eurepa & Stranda Hæreder*. Quæ iterum in Confess. Ubsal. aliter enumerantur, quibusdam ex his exclusis & Parochiis substitutis. Carelia Russica, seu ruthenica, Kexholmensi Gubernatori, & cum ea Narvensis præfectura obedit.

Long. Carel. est mil. 56. lat. ultra 35.

Et hæc de quinque Regnis quondam suis Regibus distinctis, nunc sub CARONA & Imp. Sueo-Goth. unitis. Quæ potissimam Scanziæ faciem complent; quatenus fluviis *Piins Joki & Povvenas*, non multum disjunctis, orientem versus clauditur.

CAP. XXIX. De Ingria, (vulgo Ingermannia.)

Ultra Scandinaviam Ingriæ Dominatus accessit; Qui ab ortu fl. *Laba*, Russia; ad meridiem eadem Russia & fl. *Luga*; ad occasum Narva & mari; ad boream fl. Niewa & lacu *Ladoga* a Carelia dislimitatur. Narvæ cujus Gubernatori nunc subest, Insigne duæ portæ, totidem globis candentibus, hastis vexillisque cancellatim positis exornatæ. Solum Ingria habet longe fertilissimum; aucupiis & venationibus non minus dives: Præsertim alcium bis quotannis flumen Nieva, ultro citroque catervatim tranantium. Hic in ostio Lacus *Ladoga*, Arx invictissima, muris immensæ crassitiei *Nöteborg*, Fenn. *Pachkensari*; In insula nucis formam repræsentante, quam loco amœno, insulæ minores, avium plenæ circumstant. Ab altera parte jama non procul a *Luga*

fl. ad rivum jamensem munit; e regione fl. Oppidulum a Ruthenis S. R. Mti. Sueciæ subjectis incolitur. Ad fl. Narvam est Arx firmissima Narva & *Ivvangorod*, huic suburbium, Narva Russica adjacet. Non procul a mari est Arx Coporio. Amnes hic, præter ante dictas, *Nosia*, *Emia*, *Thena*, *Isora*, *Kipensko*, *Liga*. Hic Baronatus *Duderoff*, & prædium Gyllenhielmianum *Carlberg*.

Regio in Pogostas dividitur; ut *Lopesko-Jervvosalsko-Isersko-Orlingsko Grisenski-Jastrobinski-Pogosi &c.*

Long. Ing. est mil. 36. Lat. 19.

CAP. XXX. De Æsthia seu Esthonia; alias Livonia Septentrionali.

ÆSTHIA (forte ab Æsis, i.e. Asianis, literat. inserta dicitur: Quippe hos & fennos, lingua conjunctos, ex Asia venisse verosimile) DUCATUS est amplissimus, ab ortu fl. *Narvva*, & ingenti lacu *Peipis* Ingria; a meridie australiore Livonia, (nunc presse ita dicta) ab occidente maris sinu Livonico, ut ab aquilone Fennico disterminatur. Ejus insige tres Leones cærulei; Fundum habet fœcundum, venationes, piscationesque copiosissimas; In lacu eximiæ magnitudinis Peipis, quem attingit, aliisque fluminibus & rivis, quibus multis rigatur. *Pyhaloki*, *Purtesback*, *Padasjoki*, Navast. *Semskebæck &c.* Sylvæ densissimæ, ut *Wiriskvval*, non procul a *Kolta & Kijda* Illustriss. De La Guard. Domibus. Dividitur tota hæc regio in Alentakiam, Wiriam, Hariam, Wikiam, Jerviam & Odenpoam provincias. Alentakia Ingriæ proxima, arces habet Nervam & Nysiat; urbem cognominem *Narvvam*; unde olim Narvensi Ducatui nomen. Wiriæ, arces *Wasenborg & Tolsburg* 15 mil. Narva, totidemque Revalia distantem; Nec non Borcholm: quondam Revaliensis Episcopi arcem. Haria, secus mare, 16. mil. longa, 8. lata, cum Wirlandia Ducatus æstimatur; Cujus Metropolis Revalia, Urbs celebris, cum arce munitissima. Wikia, quondam Episcopi Habsalensis,

ſis, 14. mil. long. 12. lat. mari adjacens. Ejus Oppidum cum præcipua arce Habſal; Item *Lehal & Lode.* (Ficzkel & Felin a Moſco dirutæ fuerunt: Ut *Werder*, quondam munitiſſima, a Crucigeris) Arx PERNAU adhuc ſatis firma. In mari adjacent inſulæ, *Oeſel, Dagœ, Ormſœ, Odensholm, Ragœ*, major & minor, *Nargœ, Ulffœ, Wrangœ, Oeſel, Oſilia*, quæ magnitudine excellit, olim Ozelenſis Epiſcopi, arces duas, *Arnsburg & Sonneborg*, cum oppidulis habet; quas Regi Daniæ a crucigeris proditas, Deſcript. Livon. meminit. Idioma, Suecorum colonias eſſe teſtatur. Et nuperrima pacificatione ad Sueciæ Coronam etiam iſtæ arces, in perpetuum rediere. Hæc de maritimis. Mediterraneæ Æſthiæ provinciæ, ſunt JERWIA, ubi arx fortiſſima *Wittenſteen*; Et *Oberpalen*, quæ illuſt. quondam Heroi Dn. *Hermanno Wrangel* ob ingentia merita; Ut *Lais* Generoſ. Dn. *Henrico Flemming* ceſſerat. Et Odenpoa (ubi etiam Æſthnica dialectus uſitata) Lacum *Worzerum & Peipum* interjacens. Urbem habet quondam Epiſcopalem, nunc regia Academia inſignem, DORPATUM ad Embeckam; item arces Verbek, Ringen &c. Sed hunc tractum alii Livoniæ, preſſius dictæ, malunt annumerari. Rigenſi enim Gubern. ſubjacet.

CAP. XXXI. De Livonia, ſtricte dicta.

LIVONIA, *Liffland*; ſive a *Lieb*; Suet. *Liuff*; i. e. gratus & amabilis; ſive a *Lijff*, id eſt, vita dicatur; Quod regio ſit jucunda & vitæ neceſſaria ubertim proferens, ut ab Æſthia diſtinguitur, *Lettio* ſeu *Leitland* dicitur, ad ortum lacu *Peipus*, Pskorskiſſera & Ruſſiæ finibus; ad meridiem flumine Dvina; ad occidentem mari; ad aquilonem Æſthonia terminatur. Regio Siliginis, & frumenti adeo dives, ut transmarinis etiam populis ubertim ſuccurrat. Lacus, præter *Peipis & Worzi Jerwi*, habet Lubbanum, Labbeum, *Weis Jervvi* alioſque minores. Flumina, *Dvvinam*, e Siberia Ruſſiæ ortum; Cui

Metropolis Livoniæ, celeberrima RIGA adjacet: minora; *Waidavua*, *Peddes*, *Ossa*, *Pirdra*, *Indica*, *Dubenau*, *Ugra* & *Evvest* &c. Arces, Oppida & præfectura Lettiæ, seu Rigensis provinciæ sunt, *Dunamund*, locus natura munitissimus, teloniis ad ostia Duinæ persolvendis dicatus. Kircholm arx, *Trkul*, nunc desolata; *Lenvvard*; Ascherad, Moscua, olim duriter excipiens: *Kakenhusen*, olim Rigensis Archiepiscopi primaria arx, & civitas munitissima; Selburg, Creusburg, Duneborg. Sunt & alia Arces & Oppida, ut Wenden, *Nitavv*, *Seisvvegen*, *Georgenburk*, *Lemborg*, *Royten*, *Lucen*, *Luden*, *Nevvenhul*, *Segevvolt*, olim ordinis arx & civitas) *Wolmer* urbs & castrum, ubi prælust. D. Ammiralius CAROLUS Gyldenhielm olim captivus; Ex his tamen nonnullæ nunc solo æquatæ sunt. Smilten quondam Arx Archiep. a Mosco desolata. Comitatus de *Thurn*. Illust. & Nobilium arces etiam sunt Nochrosen, *Rosenberg*, *Pebalg*, *Scuien*, *Rappin*, *Mayan*, *Rierkiel*, *Nabbe*, *Elner*, *Bersen*, quarum Domini Sueciæ Coronæ parent. Cui Livonia hac occasione accessit. Esthoniæ superiori seculo graviter a Mosco pressa cum auxilium CAROLUS V. Rom. Imp. ferre nequiret: Hujus consensu ad Suec. R. ERICUM XIV. itum est. Cujus defensioni Revalia cum sua ditione, dato Sacramento, sese commisit. Cæteras Æsthiæ provincias urbes & arces e Moscorum manibus Sveci extorserunt. Omnique prætensioni Moschus novissima pacificatione renunciavit. Livoniæ loca a Polono occupata R. GUSTAVI ADOLPHI M. armis cessere. Tenet Lettia ac Livonia, stricte dicta, in Long. mil. 34. in Lat. 32. Totius vero Livoniæ Long. inter Narvam & Rigam est mil. circiter 50. Latitudo inter mare & Dodina ferme totidem.

Et hæc fuit brevissima Regnorum, Ducatuum, Principatuum, Comitatuum, Dominiorum, provinciarum, atque ditionum, imperio Sueo-Gothico, cum ab initio addictarum, tum deinceps adjectarum delineatio. Quæ nuper in pacificatione Germanica accessere, Ducatus

Bre-

Bremensis, Verdensis & Pomeraniæ; Principatus Rugiæ, Dominatusque Wismariæ &c. apud Atlantem & passim descripta satisque nota sunt. Nunc succincta etiam Hydrographia subjungetur.

CAP. XXXII. *De Hydrographia, Sueo-Gothica.*

Sueciæ-Gothiæque Regna & incorporatas provincias supra enumeratas, mari ferme circumdari, innumeris secari fluminibus & ceu venis distingui, lacubusque tanquam margaritis passim, & unionibus ornari constat. Inter celebriores tamen sunt, qui sequuntur. 1. In Suecia *Maler*, quodam *Loger* dictus. Lacus omnium amœnissimus, insulis ac sinibus totus distinctus. Plurimas urbes alluens, magnatumque aulas circum & in se continens. Unde non tantum varii generis piscatura, sed & navigationis commoditate, & multijugarum mercium transvectionibus est nobilitatus. Jacet inter Uplandiam, Sudermanniam & Westmanniam, quibus singulis pars aliqua debetur; priores tamen potiores sunt. Insulæ notabiliores, ut a Metropoli Holmensi ordiar, quam duobus in mare ostiis exoneratus amplectitur. Cui ponte annexa insula minor *Ridderhölmen*, (olim *Gramunkaholm*.) Et mox ad eorum alia, *Munkelegret*, monachorum olim recreationi serviens, nunc ponte etiam urbi juncta, amplissimisque ædificiis instructa. Nec procul est insula *Drotningholm*; pulchra arce illustris. Cui alia vicina tribus templis insignis. Item *Lovvœn*, *Ekrœn*, *Munstœn*, ut & antiquæ urbis *Biærkœ* rudera. *Alznœ*, *Sovartsiœlandet*, *Arnœ*, quæ singulæ templum habent. Et tortuosus sinus *Ekolen*, parochiam *Sko* ferme cingens, olim cœnobio, nunc illustri Wrangeliorum sede nobilem. Velut *Hatuna*, priscorum Regum recreationibus dicata, & Sigtuna olim Regum sedes & regni metropolis, brachio ad *Wadsunda* extenso ferme circumdantur. Ad Sudermann: spectant insulæ, *Fogdœ*, *OeffraSela & Ytra*, *Malsœ*, *Toster*, aliæque minores.

Aularum numerum hæc brevitas non capit. Hic Regiæ *Grijpsholm* & *Swartsiæ*. Westmanniam respicit *Tydæen*, olim Troliorum, nunc Oxenstiernorum sedes, cujus palatia magnificentia paria vix habent. Est insula *Engsæ*, nunc Sparriorum, olim Possorum, supra communia illustrium privilegia, peculiari immunitate, a multis retro seculis gaudens; aliæque complures. Sunt in hoc lacu freta & æquora passim satis lata; *Ekolen*, ali *Bondekroken*, *Habersfiælen* & *Sigtunafiælen*, *Skarvven*, ubi clavis Sigtunæ, *Skakzfiælen*, *Giærvvalen*, *Skaffringen*, *Lastafiælen*; *Biærkfiælen*, *Præstfiælen*, *Granfiælen Torsiliafiælen*, *Galten*; Quæ sinus plurimi connectunt, ut *Flætsund*, *Stæksund*, *Kolsund*, *Qvvicksund* &c. Summa hujus lacus long. inter Holmiam & *Vlffsund* est mil. 17. lat. inter Ubsal. & Telgia 11.

2. *Hielmer* lacus non exiguus, licet priori impar, insulis aliquot conspicuus, Sudermanniæ & Nerikiæ servit. Long. ejus inter port. Oerebr. *Skepbæck* & *Hynvvadh*, alias *Silffdalen* per fretum *Hielmersund* est 9. mil. Latit. non ubique eadem, maxima 4. mil. est. Et ante aliquot annos fossa in amnem Arbogensem ducta Melero conjungebatur. Et in lacu *Skagen* Nerikia Westgothia & Wermia concurrunt.

3. Maximus Gothiæ lacus est *VVæner*, in long. miliaria 25. in lat. 16. habens. Westgothiam & Wermelandiam, ut supra memoratum, interjacet. Duoque corda, inter *Lekæ* & *Luræ* cohærentia repræsentat; Quo in loco latitudo vix 5. mil. excedit. Inter insulas hujus nobilissima est *Lackæ*, Arce per quam munita, regiisque palatiis & nunc Comitatu De La Gardiorum insignis; qui circum insulam etiam in continenti protenditur. Minores & notabiles *Yrnæ*, *Bodand*, *Balsteen*, *Hammoræ*, *Arnæ*, *Silffvveræ*, *Asparn*, *Onsæ*, *Dillæ*, *Brenæ*, *Torsiæ*, *Kalsæyar*, aliæque complures. Tot autem quot *Meler* non habet; sed æquora latiora. Flumina in hunc lacum infunduntur 24. majora, minoribus non numeratis; Qui omnes

omnes per unicum exonerantur, amnium scilicet regem Gothelbam, horribili cataracta *Trullhattan* notam, cujus strepitus longissime auditur: Ubi ab excelsa rupe, 3. vel 4. infra ostia *VVaner* miliaribus, tanto cum impetu ruit, ut crassissimi etiam mali, cum flumine descendentes, frangantur & comminuantur. Quod superest navigationi, machinisque fabrilibus & molendinis apprime inservit, donec divisus duobus brachiis, insulam *Hisingen* amplectens, oceano infra Gotheburgum misceatur.

4. Ab hoc lacu versus ortum brumalem octo miliaribus distat *Water*; ut situ ita magnitudine, in Gothia, lacui *Waner* proximus, figura oblonga, 21. mil. longus 6. latus. Hic Ostgothiam & Smolandiam a Westgothia dividit: Insula *Wisingzæ*, Regum olim mansionibus, quod arcium rudera cum aliis monumentis adhuc testantur, locique securitate, & nunc BRAHÆORUM COMITATU, (utriusque in continente se expandente) Arce eximia celebri, valde insignis. Amœnitas insulæ magna est; ut lacus natura mirabilis. Varia ibi aliæ antiquitatis vestigia. Ad Gilbertum Magnum a Catillo *Runske* magistro, in specu ligatum, (ut habet Ol. M. l. 3. c. 20.) ingressus adhuc monstratur. Et fabulam omni fundamento non carere, similia exempla apud Sax. lib. 1. 3. & 8. (Si qua ipsi fides) confirmant. Hic brevi murmure præmisso, inopina glacierum ruptura, fere in momento fit: ut rheda in altum vectus, cymbula inter glaciei fragmenta exceptus, littora anhelus nonnunquam repetat. Ol. M. l. 1. c. 27. & l. 19. c. 17. Narrationemque verissimam esse, vel hodiernum αὐτόπται attestantur. Aquæ hic sunt limpidissimæ, ut obolus in fundo, etsi maxime profundo, appareat; Ol. M. l. 2. c. 19. Quæ viridem colorem referunt. Ac nescio, qui horrore quodam, præ Baltho etiam vel oceano (comperta narro) navigantes concutiant. Neque unquam hostiles turmas admisisse leguntur aut memorantur. Unde tanta insulæ securitas.

Nec minus miranda limpidissimi fluminis *Mótala*, hinc orti, per Ostrogothiam ruentis & in mare balth. illabentis natura: Quod ingruente notabili casu vel mutatione in regno cursum, alias rapidissimum, sepius stiterat. Sic A. Ch. 1292. ante R. Valdem. perniciosissimas cum fratribus discordias, Benedicti Fenn. P:pis & Linc. Episcopi; Nec non Anundi Stregnensis Episcopi obitum. Et A. 1038. fere in exitu Celsiss. P:pis Catharinæ, Sereniss. P:p. D. Joh. Casimiri, Com. Palat. &c. Conjugis; Gustavi M. Sororis; idem annis repressus est, notante Baaz. lib. 8. c. 14. Contigit item anno insequente, paulo ante festum nat. Chr. Et nuperius etiam cursus miraculose inhibitus. Mutationes autem magnas, eximiis victoriis, novis pacificationibus & imperii accrementis experti sumus & indies, divina affulgente benignitate, experimur. Brevitas omnia persequi vetat.

5. Istis lacubus minores, in Gothia, at non tacendi, sunt; *Somen*, ad Smolandos, partim ad Ostrogothos pertinens in sylva *Holavvid*, situs: multis insulis clarus. Cujus & Ol. M. meminit. l. 1. c. 25. in fine. *Bolmen*, 5. mil. long. Templum & ecclesiam non vulgarem *Bœlmisæ*, Territ. *Wasbœ*, in Smolandia continens. *Salen & Aesnen* in *Albo Hæredt*, 6. mil. long. ubi mineræ istæ ferreæ inveniuntur. Lacus *Moklen*; & *Kæsin* in *Sunnerbo*, consimiles mineras habet. *Helgastœn* in *Norvvinga Hæredt*, arcem quondam Episcopalem ½. mil. Wexionia, in parva insula habuit; Cujus fortissimos muros adhuc spectare licet. Et quis omnes notabiles aquas paucis enumerarit?

6. Lacus Dalekarlorum inter cæteros maximus *Selian*, qui ultra 7. mil. extenditur. *Ronnen* 5. Wermelandiæ aquas enumerare velle, perinde est ac si arenas quis conetur. Ad borealiores igitur & Fennicas me convertam.

CAP. XXXIII. De Hydrographia Fennica.

Vt nunc ingentem lacum Lappiæ *Enaratrask*, sub ipso fere polo situm, taceam; qui innumeras continet in-

insulas, collibus in pyramidum morem assurgentes, sed hominum habitationibus insuetas. Ejus accolæ in *Enaraby*, ibi quotannis piscantes, Sueciæ coronæ tributa pendunt. Long. ultra 16. mil. lat. paulò contractior.

Nec multo minor est lacus *Vlatrask*, cujus long. 15. mil. superat, lat. 6. Insula in medio 5. mil. longa, 3. lata; decem lacuum aquas, infra arcem Cajaneborg recipit: Quas omnes ad oppidum *Vlo*, in Bothnicum sinum transmittit.

2. Fennicorum lacuum maximus est *Pejende* in Tawastia, qui ut oblonga figura lacui *Watter*, quodammodo similis, ita magnitudine non impar. Nam ultra 19. mil. extenditur; & insuper lacui *Rantalambi* & *Pielavvesi* amnibus per totidem milliaria a septentrione, & vicissim cum lacu *Holola & Rözilain* ad meridiem continuatur. Per quem postremum ingens fluvius *Kymen* in mare fennicum descendit.

3. Sunt & alii Tawastiæ & Sawolaxiæ lacus immanes, stagna & sinus, quorum finem nulla oculorum acies metiatur. Ingens lacus, ne mare dixerim, *Lapvvesitrask*, ex ipsa Lappia, unde nomen deductum videtur, ultra 60. miliaria continuatur, passim tamen per Sawolaxiam arvorum culturis interstinctum, Sylvis ac pratis, satamænam faciem ostendentibus.

Distant *Lapvvest* littora australiora Wiburgi 7 mil. ubi ortum versus præpes & rapidum flumen *VVoxen* emittitur; Quod milliare circiter ab ostio, portentosum aquarum præcipitium habet, sagittæ instar inter cautes ejaculantium, vel potius ut maximorum montium se devolventium: est hujus lapsus long. ulm. fere 300. lat. 40.) Tantus hic tamque confragosus sonus, ut equi & jumenta nullis calcaribus, nullis scuticis ad propius accedendum adigi queant. Terra sub pedibus, arbores in littore tremunt. Nec sine vertigine diutius contueri; nec astantis vocem utcunque stentoreo conatu in aurem missam excipere fas est. Insulam habet, in qua accolæ

colæ superioribus bellis adversus Moschorum insultus aliquamdiu tuti; diutius futuri, si ausi fuissent. Hostis vero fidei se concredentes crudeliter mactati sunt.

Ceptum erat ante aliquod tempus aquas *Lapvvest* in sinum maris ultra Wiburgum protensum derivare, quod ingentes fossæ testantur. Et successisset; cum diminutione tamen aquarum ad Kexholm. An vero sine detrimento viciniæ Wiburgensis, quæ depressior; nisi cataractis flumen stringeretur, Geodetæ dijudicent.

4. Ut extremus ita maximus Scanziæ, imo & Europæ lacus est *Ladoga*, Long. ultra 35. lat. 19. mil. continens. Figura ferme ovali, Salmonum aliorumque piscium captura mire abundans. Et cum solis *Lapvvest*, phocas communes habens. Pars ejus quinta circiter Moscho relicta; cætera tota Suecicæ corona cessit.

Hi sunt lacus Fenn. majores, cum supra enumeratis. Nec flumina hic minus fatidica est observare. An. Chr. 1596. in Tawastia *VVihavvua*, *VValkiakoski*, *Sarsankaski*, *& Tamberkoski*; circa festum Luciæ quatriduum stantes transitum præbuerunt, & supellectilem, olim demersam, in fundo denudarunt. Eademque occasione de *Aemakoski*, ahenum & ferreus vectis extracti sunt. Nec multo post rusticorum Bothniensium, Satagundorum, Rautalambensium, Jämpsensium, & Sawolaxensium seditio, occasionem præbente intolerabili militum sævitia, coorta est.

Sequenti anno 1597. triduum a 5. Novembr. iterum restiterunt *Caharilancaski*, *Carkekoski*, *Loimankoski* in Satagundia; Item *VVihavvua & VValkiakoski* in Tawastia, cum Dux CAROLVS, (postea R.) rusticorum necem ultus, Aboam victor ingressus esset. Pariter etiam 1598. 3. Decemb. fl. in Eurajoki triduo stetisse memoratur.

Et nunc ante quadriennium rapidum flumen *Kyrofors*, in Decembri, nulla frigoris vehementia urgente, octiduum fere stetit, idemque de *Aemakoski*, fertur.

Nec insolens aquarum motus aut cessatio infelicis sem-

ſemper ominis eſt. Aliud quippe experientia loquitur. Intumuere flumina, an. 1612. ut in medio foro tam Ubſaliæ quam hic cymbæ natarent, & pons 12. ulnis altior dejectus. At inſequutum eſt feliciſſimum ac victorioſiſſimum imperium R. GUSTAVI MAGNI.

Et nunc aquæ altius tolluntur. Superiori anno ad occidentem Gothicus Weſtgoth. albis, obice poſito, non ſine accolarum damno, exſurrexit. Ortum verſus Dwina proximo vere inſolenter ſeſe exaltans, Rigenſibus haud parum moleſtiæ creavit. Et *Maler* & *VVater* in regni meditullio, cum aliis quam plurimis lacubus & fluviis ſolito capita altius extulerunt. Quaſi ad diadema regio capiti imponendum ſimul feſtinantes ſeque in altum levantes. Quod ut tandem feliciter ſuccedat, cuncti ſupradictis limitibus circumſcripti, cum candidis quibusque vicinis, fœderatis & amicis, unanimiter & animitus comprecantur.

APPENDIX.

Portus & notabiliora quædam ſinus Bothnici & Fennici loca paucis perſtringens.

Holmia velut a Regni centro ſolventi & per clavem urbis Holmenſis, *VVaxholmen*, exeunti atque ad boream in extrema ſinus Bothnici tendenti aperitur *Furuſund*, 9. mil. diſtans.

	Cappelskar	2 mil.	
	Simpenas	4 mil.	
	VVaddœn	8 mil.	
	Oppid. *Oeregrund*	4 mil.	
Hinc	*Oerskar*	5 mil.	Ubi *Færadzudden &*
ad	*Kaſekalffvvarna*	20 mil.	*Halmas* vitanda.
	Præſtegrunde	6 mil.	
	Agœn, al. *Mormagan*	6 mil.	Unde (ut &ab inſu-
	Bolſœœn	4 mil.	ſula *Store Jungfrwn*)
	Jettesholman	3 mil.	vel tantillum aufer-

re.

	Bramæn	6 mil.	re vel in propinquo
	Ostholman	4 mil.	portum nominare,
	Opp. *Hernœsand*	8 mil.	vulgo superstitiose
	Lunglaffvvan	3. mil.	religionem habens.
	Baarsta	6 mil.	
	Ulffœn	4 mil.	Hic *Qvverken* insu-
	Sk*agen*	6 mil.	sæ in Bothnico sinu
	Huden	8 mil.	inter *Uma* & *VVasa*
	Fyraggen & (*Holmœn*)	10 mil.	compendiosum hy-
	Ratan	4 mil.	eme iter præbent.
	Læffanger	8 mil.	
	Biureklubben	4 mil.	
	Pitebergzsund	12 mil.	Hic extremum
	Bastuholman	4 mil.	bothnici sinus.
	Lulohamnholm	8 mil.	Nunc Aboam ver-
	Tornia	20 mil.	sus littus legen-
	Kiemi	3 mil.	dum.
	(Portus dimid. mil. ab ostio fluminis distat.)		
Hinc ad	K*nivvaniemi*	7 mil.	Commodissimus
	Jie	5 mil.	portus.
	VVirpiniemi	2 mil.	Idoneus portus; at
	Ula	3 mil.	ingressu periculoso.
	Kr*aseli* öö	1 mil.	*Holstinmatala* cave.
	Sandhampn	5 mil.	*Stöletto* saxaque læ-
	Sala	6 mil.	tentia varia ti-
			menda.
	Caukoi, *i Pyha Joki*	4 mil.	*Lapaluoto* & *Karkon-*
	Pujoi, ad *Lochto*	10 mil.	*lachti* portus.
	Helsinger	12 mil.	*Tyroinkarin* &c. sco-
	Tuorisoi	4 mil.	pulus.
	Joudzinia	4 mil.	4. mil. de *Kolajoki*,
	Miæsund	4 mil.	scopulus *Kalla*, 3.
	K*vveskar* ad *VVasa*	3 mil.	mil. a continente.
	Ristikari	1 mil.	Optimus portus.
	VVariœlachti	4 mil.	Ubi (*Pohianmeri*)
	*Gryist*k*ar*	8 mil.	bothnici maris fi-
	Kr*ek* ad *Nerpis*	4 mil.	nem volunt.

Hinc ad	*Ræssiæ* ad *Biörnborg*	16 mil.	Initium freti Rau-
	Ladusker	4 mil.	moensis
	Pihlasto al. *Nurmes*	4 mil.	E regione opp. Rau-mo.
	Löke	8 mil.	huc recta de *Waxio*,
	Lehmankurckn	4 mil.	cum ventus favet;
	Palvvasund	3 mil.	Trans fretum Rau-
	Abo	5 mil.	moënse navigatur.

In Fennicum ulterius sinum, orientem versus naviganti, ut scopuli periculosissimi ita & portus tutissimi atque amœnissimi innumerabiles objiciuntur. Inter hos sunt; *Jungfruvsund*, 6. mil. Hinc dimid. mil. *Styremansbarg*; Ubi gubernator seu pilota, navim Danicam regere coactus, adversus scopulum direxit, ipse de puppi in adjacentem petram exsiliens, salvus evasit, hoste pereunte.

Hinc ad	*Hangœvdd*	6 mil.	--Portus insignis arcis instar munitus; Regum & magnatum insignibus innumeris, cautibus artificiose incisus, conspicuus.
	Baresund	10 mil.	
	Porkala vdd	5 mil.	
	Sandhampn prope *Helsingfors*	6 mil.	
	Paling insula est	8 mil.	
	Kusarla	12 mil.	
	Pirkepois	8 mil.	
	VVijborg	10 mil.	

Si ultra tendas in tractus Eurepæ, Ingriæ, Æsthiæ & Livoniæ, planitiora littora absque scopulis se offerunt.

De *Pitkepois* ad *Myenskantz* 30 mil. numerantur.
Inter *Paling* & *Narvven*, 30 mil.
Inter *Hangoe* & *Ravvel*, 20 mil.
Inter *Porkala* & *Ravvel*, vix 10 mil.
Inter *Hangoe* & Rigam, 25 mil.

Sed ulterius ire pagella non sinit.

Bre-

Breviter cursus recta Aboam Holmia hic est.

Hinc ad	Ad *Furnsund*	9 miliaria
	Tiokoe	3 mil.
	Flisoe, in Alandia,	12 mil.
	Sattunga	3 mil.
	Corpostroem	9 mil.
	Aboam	6 mil.

Vulgus tamen paulo aliter hæc numerat; Sic

	Holmia ad *VVaxholm* & *Steksund*	3 mil.
Hinc ad	*Furnsund*	7 mil.
	Kallhampn, alias *Feyan*	3 mil.
	Nyan	10 mil.
	Roedan	2 mil.
	Landzudden	1 mil.
	Groenehampn (trans *Deelen*, al. *Lumparen*)	unum & dimid. mil.
	Flisoe	dimid. mil.
	Sattunga	4 mil.
	(Trans *VVattuskiffi*) *Jungfruusker*	4 mil.
	Berghampn	2 mil.
	Rimito Kramp	5 mil.
	Aboam	3 mil.

In hisce & circumpositis maris finibus varii generis pisces abunde capiuntur; ut lucii, percæ, oculatæ, gobii, mustelæ, apuæ, cothi, angvillæ, cobites, murenæ, mugiles, &c. Nonnunquam etiam sturius sive accipenser, quamvis rarius, hic in nassam incidit. Capitones copiose: ultra tamen Nylandiæ fines & in Carelia rariores sunt. Esox sive Salmo in Bothnico quam Fennico sinu melior est. Arengarum vero (Suetice *Stroeming*) incredibilis copia quotannis excipitur; quibus incolæ jusculo elixis, frixis sive assatis, vel alias coctis vescuntur, vulgus muria conditas, sine apparatu, boni consulit. Nonnullis etiam locis arengæ capiuntur bonitate &

& magnitudine halecibus ſcanicis vel ſcoticis non cedentes, Sed de hiſce alibi plura.

Holmia in altum navigaturo, nobiles aperiuntur portus *Dalahampn* 8 mil.
Sma & *Stoere Dalarna*
Elgznabben 14 mil.
Extremi ſunt *Sandehampn* & *Harhamra*.
Landzort, extremum continentis, 18 mil. Holmia diſtat. Portus *Sandoehampn* 9 mil.

Hinc	Aboam	36	numerant.
	Helſingforſium	56	
	Wiburgum	80	
	Ad *Nyskantz*	94 mil.	
	Narvam	73	
	Revaliam	44	
	Rigam	63	
Inter *Landzort* & *VVijsby*		14	
	Sundium	87	
	Wiſmariam	27	
	Calmariam	30 mil.	

Reliqui ad ortivam plagam & meridionalem portus ac notabiliora loca ex mappis, & Naturarum informationibus notentur. Quæ etiam in majori opere, DEO fortunante, plenius inſerentur.

Totius has terras & aquas tegat Arbiter Orbis;
Hos populos cœli Conditor usque regat!

Finis Libri Primi.

LIBER II.

De Antiquitate & Origine Gentis Sueo-Gothicæ & Fennicæ.

CAP. I. De Antiquitate in genere.

Vt omnem antiquitatis memoriam negligere barbarum; ita omni documentorum filo deſtiturum, in im-

imperſcrutabilem priſci ævi abyſſum ſe præcipitare, vanum eſt. Sin gentis origo certa demonſtrari nequit; Antiquitas jam demonſtrata videtur. Quo enim brevior ætas eo citius ad principia recurritur. Et vel familia, cujus caput ignoratur, de antiquitate tuta eſt. Haſce tamen terras ſuperiori Libro enumeratas jam diu, ante plures annorum myriades, excultas fuiſſe, & a Sueo-Gothis & Fennis inſeſſas multa arguunt. Indigenæ enim ſunt, neque aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixti; Ut Tacitus loquitur, atque ex ſequentibus conſtabit. Et cur fidem, quam ſibi volunt haberi Germani, a Tuiſcone ſuam originem arceſſentes, (ab aliis alii) Suecis Gothisque annalium documentis, exoticorum teſtimoniis, aliisque rationibus nixis detrahant?

CAP. II. De Antiquitate ex annalibus.

Annales CXL. Suecorum Gothorumque Reges internos, (præter LXXXVII. Gothorum externos) recenſent; quos in longæviori ætate multa expleviſſe ſecula indubium. Nec vicinorum Norvegiæ & Daniæ Hiſtoriæ illos tacent. De gentis autem antiquitate & origine magis creditur ipſi genti & vicinis quam remotis atque externis: Ut Myrſillus annotavit. Suntque iſta de Regibus priſcis ex antiquorum Scaldrorum Poëſi, quod unum olim annalium genus, petita; quorum, ingenio & fide probatis, munus erat geſta verſibus comprehendere. Tales e multis fuere, quos Meſſen. in retorſ. Cap. 3. recenſet; *Otter*, *Gitzur Svvarte*, *Sigvvater*, *Thord*, *Jochul Borderſon*, *Fin*, *Elvvinder*, *Skaldeſpilder*, *Jorund Skaltmer*, *Thorarin Lofftunga*, *Baulvverker*, *Arij Torgilſon*, *Einar Skulaſon*, *Brynjolff*, *Thiodolffvver*, *Berſi*, *Jarl*, *Biarni*, *Gulbrand*, *Arnor Jarla*, *Guttarm*, *Svvivvard*, *Skapti*, *Stepo Skaptiſon* & *Thormod.* Nec non quos Chron. Norveg. Suecorum Regum Scaldros ſeu Poëtas enumerat. Utpote *Bragde hin gamble*, i. e. *Brahe* ſeu *Bragde* ſenior, qui duorum ſucceſſive Regum conſiliarius & hiſtoricus fuit: *Grunde*, *Prute*,

Er-

Erpurd lutande, i. e. incurvus; Cui ob ingeniosum R. Satir-*Hunde* Epitaphium, homicidii pœna condonata fuit; *Kalfur Thrænske*, *Reffur Kuske*, *Ormar O Fromme*, *Olvvald* I. & Olvaldus II. *Avvalde*, *Flein Skald*, *Rægnvvalder*, *Alfur Jarl* Minor, *Ulfur Sulojari*, *Thorvvalder Jaltason*, *Gunlangur Ormstunga*, i. e. Serpentis lingua; *Raffn Onnunderson*, *Gisfor Svvarte*, *Sigvvard Skald*, *Thorarson*, Marcus *Sagiason Lagman*, *Einar Skulason*, *Haldor Sqvvaldre*, *Halbiorn Hale*, *Torstein Torbioernson*, *Sumarlijde Skald*, *Thorgier Danaskald*, *Grane Halbioernson*, *Oluffur Thordson*, *Einar Skulason*, *Haldor Sqvvaldre*; Talis, haud postremi nominis fuit antiquus Philosophus *Hidilvur*, ante multa secula de præsenti Seciæ statu luculentissime vaticinatus; & similes. Conf. Locc. de antiq. Sueo-Goth. Ex quibus & id genus aliis, cum Sturleson. in Chron Norv. tum ipse Johan. Mag. suorum annalium & historiarum fundamenta se mutuasse in limine fatentur.

CAP. III. De Antiquitate Sueo-Gothicæ gentis ex domesticis historiis.

Quod si quæ historia tot ac tam multos testes habet, ut refelli minime possit, tametsi videtur incredibilis, magnum præ se fert veritatis argumentum, ait Bod. c. 4. meth. hist. jam domestici historiographi antiquitatem gentis asserunt. D. Ericus Olai, quondam Ubsalensis canonicus; Johannes Magnus, olim Ubsal. Archi-Episcopus (Sacerdotes vero, penes quos publica fides est annalium, in historiis potissimum probandos, ex Metasthene Bod. cit. loco innuit; idemque & Josepho visum;) Ex quibus ille habeat sua fundamenta vide in frontispicio & proœmio ejusdem. Prælust. D. Johannes *Skytte*, L. Baro & Regni Senator &c. D. Johannes Messenius, Historiographus Regius. D. Jonas Magni Wex. olim Profess. Ubsalensis, nunc Scarensis Episcopus. D. Laurentius Paulinus, olim Ubsal. Archi-Episcopus. Olaus M. Elect. Ubsal. Gislo Jacobi. Petrus P. Ubsal. Historicus;

& D. Johannes Loccenius: Ut alios minorum gentium taceam. Ecquis tot tantorumque luminum, ex archivis; majorum relatione, aliisque documentis stipatorum fidem elevare; & nugatorum somniis posthabere non erubescat? Ut Juris hic Historiam taceam, ex qua IIm. Sueo-Goth. antiquitas f. l. apparebit, gentis antiquitatem præsupponens.

CAP. IV. *De exterorum testimoniis.*

Nec desunt insuper exoticorum antiquitatem Sueo-Gothorum confirmantium testimonia. Præter Isidorum, qui in Chron. Goth. Gothorum antiquissimum esse Regnum certum esse ait. Procop. etiam Lib. 1. de bello Vandalico: Gothicæ gentes multæ quidem, & aliæ prius fuere, quam nunc. Omnium autem maximæ & potissimæ Gothi, & Vandili, & Visigothi, & Gepides &c. Quos e Scandinavia seu septentrione exivisse notum. Sic Cromerus; gentes e septentrione ad meridiem sæpius migrasse notavit, ut Gothos, Vandalos, Longobardos. Item Paul. Warnef. l. 1. c. 2. Winilos, i. e. Longobardos hinc venisse asserit. Plurima hujus rei testimonia studiose congessit Messen. in retors. ex P. Trecense, Paul. Oros. Herm. Sched. Jacobo Bergomensi, aliisque. Nec non Danorum, ut maxime vicinorum, documentis, antiquitas, & origo apertius adstruitur; Erico Pom. & Ryth. Chron. ann. Chr. 1495. impresso. Cujus verba vide in spec. Mess. c. 2. Ego Humelus &c. Suffragatur hisce B. Hieron. cui Papias consentit, istis verbis, Gothi de Gog filio Japhet orti sunt. Proinde Joh. M. cerebri figmenta, & quæ nullus unquam ante eum scripserit, afferre, falso minus æqui interpretes quidam criminantur. Sive autem ex Magogo, sive Gomero Japheti filio (quod Euseb. Carion aliique statuunt) Sueo-Gothorum primordia petantur: Gentem tamen aquilonarium antiquissimam esse manifestum est, utpote ex qua aliæ gentes antiquitate claræ exierunt. Gothos & Longobar-

bardos e Scandia primitius egressos, a multis sufficienter ostensum est. Et Philip. Nic. Lib. 2. de reb. Germ. gent. Francorum primordia examinans ex Strab. & Hieron. eos ad Rhenum descendisse (i. e. ab aquilone venisse, non in Frisino littore natos asserit. Varios etiam hujus cardinis populos ex Strab. & Plin. enumerat, Æsthones, Frencos, Vennones, Salios, quos nec Tacitus tacet. Hos vero idem Phil. ex Suecia oriundos innuit, dum originem eorum ad fl. Salam (Ubsaliam perluens) assignat, inquiens: Salios a Sala amne Scanorum (Scandianorum, rectius, aut Suecorum dixisset) profectos, se Francis conjunxisse puto. Senones ingenti agmine ab ultimis terrarum oris, cum media vastassent, ad interitum urbis Romanæ properasse Florus testatur. Quos ex Sueonibus prodiisse loci ratio & nominis communio suadet. Sueones enim & Senones, levi vocis flexura distant; quæ exoticis familiaris, ut observavit Hadr. Jun. Hist. Batt. c. 21. Et Senones Suevos solum, quod nunc Berlin. & Brandeb. tenuisse Chytr. ex Ptolem. affirmat. Huc quadrat illud Taciti; Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum Semnones memorat. Fides antiquitatis, religione firmatur. Stato tempore in sylvam, auguriis patrum & prisca formidine sacram, &c. quam lucum Ubsalensem fuisse ex Adamo Bremensi constat. Ut infra de relig. patebit. Vandalos quoque a Daliis Scand. populis Hadr. Jun. derivat. Plinius Ascanzios, Scanzia egressos, circa Mœtida statuit. Unde & Ascanios seu Germanos prodiisse alienum non est. Helvetios certe ex Suecis ortos propria ipsorum confessio & nomen Svizeri firmat. Hinc Bod. in Meth. Hist. Quid Helvetii? qui cum a Suecis originem traxerint, non modo se ipsos, sed & tot finitimos populos, tyrannide oppressos, in libertatem vindicarunt. Austriæ P:pes sæpe fregerunt; Germanis maximas clades intulerunt, Imperii Germanici non minimam partem occuparunt; denique tantum armis ac viribus profecerunt, ut P:pum

 cen-

censores ac magistri vocentur. Et idem cap. 2. indubitanter e Scandia egressos asserit: Gothos, Francos, Vandalos, Hunnos, Herulos, Longobardos, Anglos, Normannos, a quibus, ait, res maximæ gestæ sunt, & imperia florentissima constituta, in Gallia, Britannia, Hispania & Italia. Tametsi enim Hispani & Britanni vetustate nobiles sint, non tamen rebus gestis ita claruerunt, ut illi &c. Hæc ille. Sic quoque Pontan. Chorogr. Dan. Nobilissima hæc fortissimaque gentium Gothorum natio, cum exinde Germaniam, Galliam, Hispaniam, Italiamque sibi dicto audientem fecerit, haud immerito est dicere solitus Carolus V. teste Lev. Lemn. universam totius Europæ nobilitatem e Scandia & Gothiæ tractibus fuisse proseminatam. Testantur idem alii. Et Imp. ipse in creditivo secretioris consiliarii sui Nic. Perenotti ad Suecos An. 1543. scripsit: Et nos de gente Gothorum sumus. Sed ut ad antiquissimas egressiones respiciam: Memorabilis est Herod. narratio, millenis ante Darium Schytis bella inferentem annis, circa Israëlis ex Ægypto exitum, florente jam tum Babylone & Asiatico imperio, Schytas primum Duce Tergitao ex Europa in Asiam commigrasse. Emigrationes olim & nuperius hinc factas constat, unde Scandia non immerito vagina gentium & officina populorum passim audit. Desinam in hoc Lazii Libr. 10. de migr. gent. Qui Getas Gothis miscet, quamvis alios Sarmatas, alios Germanos Getas faciat; Primam eorum sedem in Balthici maris insulis collocat; has quippe Scandia egressi mox occuparunt. Secundam in Germania ad Vistulam amnem; Tertiam in Transylvania & Dacia, circa Ann. Christi 376. Quartam in Thracia; Quintam in Pannonia & Mæsia; Sextam in Illyria; donec Septimo quater in Italiam; ac inde in Galliam & Hispaniam transmigrarint. Confer Verdenh. Resp. Hansf. part. 3. c. 24. Populus igitur a quo tot, & ante tot secula emigra-


grationes factæ, totque alii populi satis antiqui oriundi, quomodo non antiquitate antecellet? Repetunt autem & nostrates quidam & Germani Chronographi (inter quos Joh. Alsted. Initia Sueo-Gothici, ab eodem tempore, quo conditum est Schytiæ Regnum, a Magogo sz, A. M. 1745. Abbas Ursberg. Con. a Liectenaw, in Chron. absolutiss. cujus fidem & diligentiam Melancht. in præfatione collaudat; Scandianorum antiquitatem in genere asserit: Gothos inde permitus egressos affirmans. Alb. vero Crantzius in Chron. Sued. l. 1. c. 2. Testem laudat, qui confidenter asseverare non dubitat Gothos ex Scandinavia 1460. ante N. Chr. Annis egressos fuisse. Et Bertius rer. germ. l. 2. c. 16. Sed & lingua ipsos (Suecos intellige) arguit esse Germanos; (sic ait, ut Tacito assentiatur) antiqua & nullis exterarum gentium invasionibus victoriisque vitiata. Ac si de origine certandum sit, videri possunt potius ab his Germani, quam ipsi dicti a Germanis &c. & paulo post: NULLA vero hodie EST INTER CHRISTIANOS GENS, quæ certiora habet, altioraque suæ antiquitatis DOCUMENTA. Et Philip. Cluver. (Utut Suecorum ac Gothorum rebus non semper satis æquus) Germ. Antiq. l. 3. c. 41. in fine, sic concludit: Atque hæc sunt duo illa vetustissima simul vastissimaque & absolutissima totius Europæ Regna SVEONUM atque SITONUM; quæ ad CIƆIƆC. jam annos, ex quo in Romanorum pervenerint notitiam, perpetuo eodem tenore duraverunt. Quanto vero temporum spatio ante Romanorum notitiam in tanta corpora tantamque firmitudinem coaluerint, incertum est. In Geograph. autem introd. l. 3. c. 21. diserte inquit: SVEDIA continuata certaque serie ANTIQUISSIMUM IN ORBE TERRARUM REGNUM, quod semper Sviones sive Sveones incoluere. Quid pluribus aut manifestioribus opus est testimoniis?

 CAP.

CAP. V. De aliis argumentis & rationibus, quibus gentis antiquitas adstruitur.

Invictam probatissimorum Historicorum authoritatem, rationum quædam momenta subsequantur. 1. Præterquam quod sup. ex antiquis carminibus & Poëtis argumentum desumptum, non leve ex prisca literatura & literis runicis desumi potest, quæ lapidibus etiam & saxis, ante plurima retro secula, insculpta inveniuntur; immo tantæ antiquitatis, ut a multis seculis vetustate corrosæ legi nequiverint. Ubi olim nomina Regum, & emigrationes inscias, quis negare ausit? Ut immerito quærat Cluv. quis Gothorum emigrationem ante bell. Trojan. annotaverit. Et Gothos propriis literis caruisse, invita veritate, nimis audacter asserat. Similia quippe monumenta infinita passim extant, præsertim in Uplandia, ubi in villa *Loestadh*, parœciæ *Baling* tale Epitaphium legitur: In honorem Gerderi & Uterici filiorum suorum, in Græcia defunctorum, hunc lapidem Fastwi erigendum curavit. Item: Ego Uffo pro Patria certans triginta duos occidi Pugiles; & tandem a Rolvone pugile occisus hic requiesco. In Parochia *Tibi* Gothicis literis hæc lapidi incisa: In memoriam HUMELI filii sui in Lombardia mortui, hoc saxum Gudficus suscitavit. Item; Domitor violentorum ac defensor oppressorum, cicatricibus & senectute plenus, gladio accinctus hic situs sum Ingolphus. Tale etiam illud: Cum alii bellicis rebus gloriam quærerent, Ego Halstanus paci operam navans laudem merui immortalem &c. Reperiuntur & post Christianismum ejus generis Epitaphia erecta. Quale hoc: Postquam Dæmonum fallacia seductus erraveram, ad Christianorum Deum conversus morior; Et hic sepultus judicium ejus expecto. Et alterum: Relicta idolorum cultura mortuus, & in Christi fide vivus, sub hoc lapide requiesco Holmstanus. Plura ex hoc Joh. Buræi monumentis petantur. Hic in tanta syno-

ſynopſis brevitate unicum ex originali exemplum ſufficiat. Lapis hic infra adumbratus reperitur ad *Wijk* in parochia *Hammarby* Uplandiæ.



Verba hæc sunt: *Olaff. ach. Gunilr. litu. reisa. Stin. iftir. Guna: Sun. sin. oc. Kitil. lit iftir. Brodur. sin. Vbe. risti. Runä.* Id est:

OLaus & Gunhildis, Gunnoni filio; Et Catillus fratri suo, lapidem erigi curaverunt. Ubbo Runas, seu literas, descripsit.

Ejus generis innumera passim monumenta reperiuntur, quæ extrahenda & explicanda, Antiquariorum industriæ relinquo.

2. Idem aries quo Schytæ contra Ægyptios apud Just. l. 2. antiquitatem evincunt & hic militat: Si ignis prima possessio rerum &c. Et postea: Quod si omnes quondam terræ submersæ profundo fuerunt (id verissimum ex sacris constat;) Profecto editissimam quamque partem decurrentibus aquis primo detectam; &c. Et quanto prior quæque pars terrarum siccata sit, tanto prius animalia generare cœpisse. Porro septentrionem omnibus terris editiorem patet; cum aqua etiam marinæ, ab aquilone ad meridiem fluant, ut doctis pariter & nautis observatum est. Bod. in meth. Hist. Aquarum motu a septentrione versus meridiem magno fertur impetu. Et C. Barlæus in oratione in aug. Colleg. Amsterod. ait: Est & ille motus in scholis decantatus, quo a septentrione in austrum mare movetur: Qui in mediterraneo cernitur, ubi Mæotis per Bosphorum Cimmerium in pontum Euxinum fluit, Euxinus per Bosphorum Thracium in Propontidem, Propontis in Hellespontum & Ægæum.

3. Attingo salsem Bodin. discursum Meth. hist. c. 5. ex Pic. Mirand. aliisque priscis: Qui cognoverit proprietatem Aquilonis, intelliget, cur Deus mundum judicabit per ignem. Atque hæc vetus non modo Pici, sed etiam Heracliti, ut ait Plutarchus, & Hebræorum opinio; qui mundum aliquando deflagraturum, ignesque non e Cœlo delapsuros, ut putat Magianus, sed ex intimis terræ visceribus erupturos confirmant. Hoc autem incendium ad septentrionem non ad austrum fieri necef-

cessum est, cum hic aquæ illic terræ globus promineat; qui conceptus ignes alit. Hæc ille. Conflagratio quidem instar fulguris veniet, teste Salvatore: Alicubi tamen incipere, alibi finiri non absonum. Et prius siccata & inhabitata, prius accendi. Ut in hoc quoque orbis rerum & circulus appareat. Ita Philip. Nic. de Antiqv. Aquilonem mundi januam appellitat; & hinc verbi divini lucernam prodiisse asserit. Hinc quoque sponsum, prælucentibus flammis, ad judicium venturum sine vanitate conjicitur. Cordati candide judicent.

4. Planius est illud Taciti: Quis Asia, aut Africa, aut Italia relicta Germaniam peterat? Informem terris, asperam cœlo, tristem cultu aspectuque nisi patria sit? Quod pariter pro Scanzia (Gothia, Svec. & Norveg.) facit. Quis enim relicta Germania, Gallia vel Italia Scandinaviam peteret? Informem terris (primo intuitu & respective) asperam cœlo, tristem cultu aspectuque nisi si patria sit? Populos igitur hinc prodiisse, non exinde huc inundasse concluditur; quod & experientia firmat. Nam vel hodie primum adnavigantes, excelsæ rupes, ardua saxa terrent: Qui quam læta pascua uberesque venæ intra lateant, ignorant. Neque ullus huc navigaret, nisi terram prius incolis cultam esse accepisset.

5. Commodiorem quoque ab aquilone austrum versus tam hominum quam aliorum viventium esse propagationem experientia docet. Et vel rustici noverunt boves, oves, siliginem, triticum, pisa &c. solem versus, ut hinc ex fenningia in ulteriorem Sueciam aut Gothiam translata felicius crescere. Inde vero huc transplantata, brevi degenerare. Aut igitur primi mortalium per se intellexerunt, aut divino monitu didicerunt, septentrionalia loca primitus excolenda, ut universus orbis habitatoribus eo citius impleretur: Cum ab aquilone meridiem versus propagatio fit facilior, naturæque magis congrua. Ut de eo nihil dicam, quod

ge-

genus hic citius multiplicetur, majorque hominum fæcunditas, ob fortiorem internum calorem, existat.

6. Nec debilius illud Taciti, cujus authoritati plerique assurgunt: Quia nec terra olim sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quærebant. Si classibus advehebantur, non utique ex Borussia vel Dantisco, quod vult Cluv. nec alia cum Italia continente, unde commodum terrestre iter, venerunt, ut quidam nugantur: Sed ex Scandinavia, ut Jornandes verius asserit, solventes Vandaliam, cæteraque ulteriora loca occuparunt. Non enim minus facile erat, primitus hinc exire, quam postmodum, sive vi impulsos, sive sponte, ad interiora concedere, ut Cluverius, contra veram historicorum assertionem, divinat.

7. Nec levius ex eodem Tacit. ducitur arg. Qui Germaniam nullis suo tempore adhuc urbibus habitatam fuisse, diserte attestatur. Svionum autem Civitates ipso in Oceano viris, armis, classibusque (jam tum) valuisse asserit. At Suecos Gothosque diu ante clarissimas urbes, Bircam, Sigtuniam, Wisbyam, Skeningiam, Scaras & antiquissimam Ubsaliam habuisse constat; Aliaque vetusta nobilium oppidorum nomina priscis historiis memorata passim occurrunt. Quod gentis antiquitatem satis arguit. SVECI proinde ac GOTHI (olim Getæ & Schytæ dicti, ut linguæ & morum communio arguit;) Nulli inter Christianos genti antiquitate concedunt. Ut Bertius & Cluv., post alios, clare asseruerunt.

CAP. VI. De Fennorum atque Æsthiorum antiquitate ex historiis exoticis.

Fennorum nationes, quibus nunc Tawasti, Sawolaxi, Careli & Æsthii aliisque continentur, etiamnum latissime patent. Quarum antiquitatem & originem eruere, tanto operosius est, quanto minus de iisdem prisco ævo literarum monumentis proditum invenitur. Ex iis tamen, quæ annotata sunt, hasce quoque gentes inter

ter

ter antiquissimas esse satis evincitur. Et vel unius Taciti testimonium hic suffecerit, qui decimo sexto ab hinc seculo scripserat. (Neque enim ipsi Germani antiquiorem scriptorem habent.) Hic in libro de moribus Germanorum vicinorumque populorum, iteratis vicibus gentis hujus mentionem injecit. Modo Fennorum nationes, modo Fennos, modo quæ Fennis vita & (tum temporis) mores commemorans. Gentem autem ipsam diu ante floruisse indubium, cum tunc etiam Romanis ejus claritudo innotuerit. Unde & hac exclamatione idem Tacit. librum finivit. Securi adversus homines, (Fenni) securi adversus Deos, rem difficillimam assequuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit. Ptolemæo φίννοι dicuntur in descriptione Sarmatiæ. Iornandi etiam Scretofennæ, & Finnathæ. Procopio & Paulo Diacono Scritofinni. Neque Plinio gens aut regio eorum plane ignota fuit. Cum sic lib. 4. c. 13. scribat: Nec minor opinione Fenningia, ad Vistulam usque fluvium a Sarmatis, Venedis, Scyris (forte Scytis leg.) Hirris tradunt. Harria adhuc nota est Æsthiæ pars; uti & Alentakia, Wikia ac Wiria. Unde omnes Æsthii & Livoni Fennis, Synecdochice, *Wiroi* vocantur: Et Livonia Wiroima. Iornand. sub descript. Vinid. gent. Viridariorum meminit. Æsthiorum etiam nomen & gens Tacito haud incognita; prout d. l. patet. Ubi Æsthiorum gentes describit. Iornandes in Gothicis Estos & Hæstos nominat: pacatumque hominum genus appellat. Horum etiam mentionem injecit Cassiod. lib. 5. Epist. 11. ubi Epistolam annectit Hæstis a Theodorico R. Goth. in Italia, scriptam. Prout Cluv. ant. Germ. l. 3. c. 44. & Lips. in not. ad Tacit. de mor. germ. etiam annotarunt. De Æstis quoque Eginhardus, in vita Caroli, ad australe, codani sinus, littus incolentibus agit. Qui olim non modo omnem Livoniam, sed & Borussiam tenerunt. Unde & Succinum Regi Goth. Theodorico per legatos dono miserunt, ut ex Cassiod. patet. Præterquam quod Tacit. Æstiorum gentes

tes succinum legere innuat. Ex hisce paucis Fennorum nationes, Æstiorumque gentes non modo antiquas, sed ante plurima etiam secula in exteris notas ac celebres fuisse liquido constat.

CAP. VII. De Testimoniis domesticis.

Quoniam rerum Fennicarum, & status ante Christianismum, ne apex hic in Fenningia scriptus inveniatur; nisi quæ Saxo, Joh. M. & sequaces eorum, aliique vicini, tanquam quæ aut domi aut præ foribus gesta, literis prodiderunt: Illi igitur nobis hoc etiam loco domestici erunt. Ubi non obscura, a primis & remotissimis seculis, Fennorum mentio injicitur. Mox enim in historia 18. vi Suec. Regis Sigtrugi, & 5. tit. Dan. R. Grami, Fennorum Regis *Sumbli* nomen occurrit; Qui Regis Suec. filiam pulcherrimam *Gro* sibi desponsarat. At à Gramo subdole abducta fuit. Nec non, ut Meursius commemorat, *Sumbli* deinceps filia superinducta. Hæc tertio abhinc millenario gesta; ut Chronologi supputant. Neque enim nunc urgebo, quod Joh. M. Siggonem Suec. R. 5tum, Semiramidi Babylonicæ, ut fertur, contemporaneum, Urbem Sigtoniam, ad lacum *Maler*, præsidium contra Estios, Fennosque erexisse asserat. Et Regis cujusdam Fenn. Frosthonis filiam Skialviam cum fratre Lagone, a R. Suec. Agnero captam refert Sturleson: quem sequitur Messen. in Sueopent. Biarmensium, extremi Finniæ populi, in Hist. Uffonis R. Suec. & Hadingi Dan. Pontan. & Meurs. meminerunt. Et Saxo lib. 5. Echteri Biarmiæ & Ihengilli Finmarchiæ Regum meminit: qui Frothonis Daniæ Regis imperium spreverunt. Cujus filiam Osuram pugil Sueticus Arngrinus auctoritate Erici Suec. R. in conjugem impetravit: cum Biarmiæ R. Echterum, & Finmarchiæ R. Thengillum occidisset; Eorumque thesauros ad Suec. Regem transtulisset. Ut Eric. Ubs. Hist. lib. 1. circa initium refert: quæ jam ante 16. secula, & quod excurrit, contigerunt. Ferniot-

niottus quoque Fenningiæ R. ante Othini Asiatici tempora celebratur. Ex quibus gentis antiquitas haud obscure elucet.

CAP. VIII. De Origine Fennorum.

Origo non æque manifesta. Adami posteros esse Fennos, & Noachi nepotes, gradibus non adeo remotis, indubium. Per quem vero filiorum juncti pariter non liquet. Chami progenies non sunt, cui Africa in terrarum distributione cesserat: Ubi Fenni nunquam habitasse leguntur. A Semo (antiquiss. Sacerdoti Chaldæo Beroso, Samo) unde sapientissimi populi deducti, ut ait Reusn. Fennos etiam ortos haud absurdum. Ei enim non oriens modo sed & dimidium septentrionis ad orientem conversum obtigit, ut post alios Cluv. notavit. Quo loci Tanais, Asiæ & Europæ limes, *WanaElff*, (*Quisl*) tractusque circumjacens *Wanaheim*, Gothice olim dicebatur, ut quinto ab hinc seculo Snor. Sturl. scriptum reliquit. (An etiam hinc regnum Vannianum, de quo Tac. ann. l. 12. & Plin. l. 4. c. 12? haud temere negaverim.) Ex hisce *Waner* sive *Waner*, Vandalos, Venedos & Vendos appellatos haud absonum: Indeque prolatis finibus, ex accolis, mare & sinum Venedicum (nunc Fennicum) dictum, teste Ptolem. Uti & Cluv. germ. antiq. l. 3. c. 44. asserit. Quinimo ulteriores Carelii se invicem adhuc *Wenno* salutant. Et regio quam olim Fenni tenuere, nunc a Mosco insessa, Fennis *VVanaja* dicitur. Indeque Tacitus lat. Fennos haud incommode appellavit. Alii tamen Japhetigenas esse volunt, a Magogo ortos; quam commode ipsi viderint. Moribus certe & lingua, immane quantum distent. Quod si tamen a Japheto deducere placet; forte commodius a 4to ejusdem filio Samothe, cujus Beros. meminit, & celtarum colonias anno 155. a Diluv. fundasse lib.6. ait. Neque quemquam illa ætate isto sapientiorum fuisse, ac propterea Samothes dictus. Cuivis tamen prudenti li-

liberum hic esto judicium. Sive autem a Iaphet orti, sive a Samo (ut & hic vaticinium impleretur: Iaphet in tentoriis Sem habitabit; quod jam diu fieri notum.) Fennos tamen antiquæ originis, & perparum a primis mortalium, post exsiccatas diluvii aquas, abesse ex supradictis constat. Quacunque tandem ratione in hæc loca devenerint. Quod harum duarum alterutra via factum fuisse necesse est. Nimirum; Aut & illi indigenæ sunt, id est: A prima populorum divisione in his extremis finibus, e parvis initiis pedetentim propagati. Quod & nomen, si ex Hebræo est, indicat: פִּנָּה Phinna enim angulum seu extremitatem notat; E radice פָּנָה Phana, amovit. Et פְּנִים Phenim, intra seu intimum significat. Sicut פְּנִימָה Phennima, intrinsecus sive intro. Quod in extremos arctoi orbis angulos semoti habitent. Aut expeditione suscepta, sive sponte, sive pulsi, huc penetrarunt; Quod neque ab Hebræa radice abhorret: הִפְנָה Hiphna, siquidem, inter alias, etiam expedire est. Sin autem posterius verum; Utique ex Asiæ finibus eosdem venisse tenendum: Et Sarmatis potius, quam Germanis adscribendos. De quo Tacit. frustra dubitavit. Rectius Solinus c. 23. Fennos a Germanis excludit. Nec Mela Germanicum nomen ultra Vistulam profert, lib. 3. c. 3. Linguæ etenim morumque summa diversitas neque a Germanis, neque Suecis, Danis, Norvegis, aut Polonis oriundos esse evincit. Ex Asia igitur advenerunt. Ubi etiam inter mare & Obdora (præterquam quod & alibi) reliquiæ Fennorum inveniuntur, *Samojeda*, quasi *Suomajetti*, id est, Fennus reliquit. Hæc paucis de Fennorum origine. De quibus ita Philippus Cluverius German. Antiq. lib. 3. c. 45. Ultimi omnium in Germania (quamvis male) recensentur auctori nostro (Tacito) FENNI: quorum nomen genusque antiqua sede etiam nunc manet, dicuntur quippe sibi atque conterminis Sueonibus *Finner*. Quod ta-

tamen prius fallit. Sibi ipsis enim *Suomalaiset* (in singulari *Suomalainen*) dicuntur. Unde & hosce Sembos esse, quorum antiquæ historiæ passim meminerunt, verosimile est. Exteri namque *Suomi* audientes, Sembi facile expresserunt.

CAP. IX. *De Caussis durationis Regnorum & Populorum septentrionalium.*

Tanta, tantoque annorum decursu continuata horum populorum & Regnorum duratio, si cui incredibilis videatur; inter alias, hasce ejusdem caussas agnoscere poterit. 1. Divinam providentiam, quæ coram mundo contempta mire conservat; sæpe etiam exaltat. 2. Situs locorum, ubi mare, cautes, sylvæ, paludes pro muro sunt, externos hostes avertentes: Ne vel facile irrumpant, nedum incolas exscindant. 3. Aëris salubritas. 4. Gentis fœcunditas. Quæ tot emigrationibus & excursionibus etiam suffecit. 5. Genius terræ, necessaria suppeditans, superflua, & tantum ad delicias facientia, denegans. Ut enim luxus magna imperia perdidit: Ita temperantia hæc aquilonaria regna servavit. 6. Concordia & unio Gothorum ac Suecorum: Horumque & Fennorum. Qui si, ut olim a Germanis Borussiam & Livoniam invadentibus; Ruthenis Novogordicum Regnum & Careliam occupantibus; Itemque a Suecis, tertium latus, premerentur; Jam pridem gens plane extirpata fuisset. Sub umbone autem Suecorum, maxima ex parte cingentium, tutum adepti perfugium, non aliter ac sub indigena & naturali Rege, florent augenturque. 7. Forma imperii & moderatum regimen; Legesque ad naturam populi accommodatæ. De quibus postea, suo loco, commodius dicetur. 8. Genius populi, duram domi vitam dapibus atque deliciis in exoticis præferentis. 9. Et tandem justissima sedium occupatio. In vacua quippe, primis mundi temporibus, venerunt: Quæ naturaliter occupanti cedunt. Ideoque & hæc lo-

ca, a libero populo in libero solo occupata, tam diu tuto & quiete tenuerunt ac immoti possiderunt. Aliter quam Gothi exeuntes & aliena invadentes. Quorum foris stabile nomen non extitit: Ut loquitur textus capitis 1. Jur. prov. Suec. tit. de Reg.

CAP. X. *Conclusionem hujus Libri continens.*

Atque hæc de vetustissimarum gentium septentrionalium antiquitate & origine; Ubi Suecos cum Gothis, sub eodem capite, conjunxi: Unam quippe gentem esse, lingua moresque demonstrant. Getas autem & Gothos eosdem fuisse, præter alios, erudite docuit optime meritus D. Joh. Loccen. Antiq. Sueo-Goth. l. 1. c. 1. Nostrates *Göthar* scripserunt. Ubi exterorum, literam *ô* ignorantium, alii o, alii e, ex quibus *ö* conflatur, substituerunt. Unde hoc nominis, Gothus & Geta, divortium. De Fennorum quoque Æstiorumque antiquitate & origine simul egi, quod & hi, cum interjacentibus, ejusdem primordii esse videantur. Prout ex lingua moribusque in sequentibus constabit. (An vero Plinii Essedones lib. 4. c. 12. Et Damastis atque Stephani Ἰσσηδόνας, cum Esthonibus seu Æstiis eosdem statuere oporteat? alii dijudicent. Vid. Cluv. germ. antiqv. l. 1. c. 1.) De ScriteFinnorum (ut vocat Mag. Adamus Bremensis) seu ScretoFennorum, juxta Jornandem, origine seorsim agere, non magis operæ precium duxi. Cum hi alii non sint, quod & supra monitum, quam aquilonares quilibet ligneis plantis currentes; Et præsertim Lappi (Fennorum, ut videtur, proles:) Quod Jornandis quoque descriptio dictat; Ita habens: Aliæ vero ibi gentes Scretofennæ: qui frumentorum non quæritant victum; Sed carnibus ferarum atque avium vivunt. Ubi tanta paludibus fœtura ponitur, ut & augmentum præstent generi, & satietatem & copiam genti. Vid. Cluv. germ. ant. l. 3. c. 41. Quid autem in Lappos magis congruere poterit; Quam hoc ipsum? Ut etiam

iam infra ex moribus eorum planius fiet. Unde & horum antiquitas pariter stabilitur. Quamvis enim nomen Lapporum recentius (forte a pellibus, quibus teguntur, *Lappar* & *SkinLappar* Suec. *Lappen* Germ. vel a *Lappo* Fen. extractum lini nendi, *Uttog*: Quod ex Fennis in solitudines educti sint. Illa enim Ziegleri derivatio minus quadrat, cum Lappi adeo inepti non sint, teste experientia.) Gens tamen satis vetusta est; olim SkidFennorum seu Skredfinnorum nomine nota. Prout ex supra citatis authoribus est manifestum. Populos igitur hosce septentrionales antiquissimos esse concluditur. Antiquissimos dico; non absolute: Cum constet solos Chaldæos, a quibus Hebræi dialecto tantummodo different, antiquissimos omnium populorum fuisse (quod etiam Bodin. Meth. hist. c. 9. annotavit) idque non solum Mosis gravissimo testimonio, sed etiam Metasth. Herod. Ctesiæ, Xenoph. quibus assentiuntur juniores, Diog. Laërt. Philo, Porphyr. in Epist. quadam ad Boëthum, Clem. Alexandr. in Strom. Euseb. de Evangel. demonst. Theodoret. lib. 1. de græc. affectionum curatione, Rabbi Moses Maymonis filius, lib. 3. c. 30. perplexorum, ac reliqui quoque interpretes Hebræorum. Antiquissimi tamen sunt supradicti septentrionales respectu aliarum gentium, tum vicinarum, tum remotarum, potissimum quæ hinc oriundæ. Nec tria originis argumenta, a Bodino cit. loco adducta, male quadrant; 1. Ex testimoniis fide dignorum historicorum, quæ adduxi. 2. Ex linguæ antiquissimæ vestigiis, quæ etiam manifesta sunt. 3. Tertium, de solitudinibus post loca deliciis plena habitatis, undiquaque non probatur: cum inde sequeretur istarum culturam omnem esse violentam, quæ diuturna non foret. Deus enim & natura hisce locis apta corpora prospexit, ut inde facilior fieret propagatio in speciosiora terrarum loca, eoque citius totus orbis inhabitaretur, quod sup. c. 5. arg. 5. indigitatum.

Grande *Senex*, decus eſt, *Cana* aſt *Reſpublica* majus;
Durando durans, fit magis inde potens.
Nuncia nam mortis, viventibus, ipſa ſenectus;
Sed vita eſt *Regno*, quod ſtetit ante diu.

LIBER III.

De Linguis, ſub Imperio Sueo-Gothico uſitatioribus.

CAP. I. De Priſca Lingua Sueo-Gothica in genere.

Antiquiſſimæ gentis lingua etiam, haud dubie, antiquiſſima eſt. Nec ulla fere extat, ſolam Hebræam excipio, cujus antiquiora monumenta, quam Gothicæ. Hæc una cum gente victrice ad alios populos longe lateque eſt propagata; vel Integra, ut per Daniam, Belgium, Germaniamque variantibus tantum dialectis; Vel Corrupta atque exoticis permixta, ut per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, aliaque orbis terrarum loca. Unde ingentem Gothicarum vocum farraginem, quæ in Italica lingua inveniuntur Ol. M. operi ſuo, Romæ jam ferme ante ſeculum impreſſo, attexuit. Nec pauciora adhuc etiam ex Gallica notari poſſent. Variis autem lingua iſta nominibus antiquitus apud Authores venit. Veteres Scythæ, Luciano teſte, alanico locuti ſunt ſermone; Alanicum Procopio Gothis, Gothicumque Strabo Dacis aſſignat. Et Clav. Priſcorum Gallorum, Germ. Suecorum & Gothorum linguam, in genere, Celticam appellitat. Sermonem quo peculiariter Gallia fuit uſa, priuſquam in provincia formam redigeretur a Romanis, prorſus abolitum putat B. Rhenanus: non ſecus ac Hiſpanias ſuum amiſiſſe ſermonem: Ut citat D. Philip. Nic. lib. 1. de Antiq. german. Borealiorum vero lingua præſens, utut ab antiquiſſima non parum receſſerit; purior tamen adhuc manet, nullo ferme dictionis exotica fu-

fuco inquinata: Quippe ut vere Bertius lib. 2. cap. 16. com. rer. Germ. nunquam in has terras Græci, nunquam Romani armis suis penetrarunt; quo fit, ut adhuc omnia apud Sueones Gothosque integra & incorrupta sint. Neque Othini ex Asia adventus linguam plane mutare potuit, quamvis voces nonnullas, quas nova Religio (potius impia superstitio) invexit, admiscuerit. Lingua enim gentis tam facile non exscinditur, ut idem Philipp. Nic. fusius disserit.

CAP. II. De Antiquis Runis earumque variis speciebus.

Nec medium linguam conservandi, propria literatura (una fidelis custodia rerum) vel olim defuit. Runas enim seu proprias literas Sueci-Gothique ab antiquissimis seculis habuerunt. Non modo superstitiosos & magicos characteres, variarum specierum: ut *Hugruner*, id est, magnanimitatis al. cordiales; pudendis & pectori incidi solitas. *Aulruner*, i. e. Cerevisiaria; poculo & ungui insculptas. *Brunruner*: Fontanas seu puteales, puppi & gubernaculo inscribendas. *Limruner*, i. e. Artuales, in corticibus & foliis arborum notatas. *Sigruner*, i. e. Victoriales, capulo, ensi, lituo & chirothecis aptatas. *Biargruner*, i. e. Salvatrices & auxiliatrices, parturientium artus cingentes. *Malruner*, i. e. Compensatorias, sedibus fori judicialis inaratas. *Swartruner*, i. e. nigras & furvas sepulchris impressas. *Rantruner*, i. e. Amaras, quippe notentissimas. Sed & elementa ipsa literarum, quæ item *Runer* vocarunt, de quibus in sequentibus.

CAP. III. *De antiquis literis Sueo-Gothicis.*

Gothos Sueonesque priusquam vel Cadmus græcas vel Carmenta cum filio Evandro Romanas invenerint, proprias diu literas habuisse non sine ratione Joh. M. lib. 1. c. 7. & cum eo B. Vulcanius aliique attestantur: Quod monumenta memoriæ Gothorum, in exteris bellis græcis, & ipso Trojano occumbentium erecta, suis inscriptionibus satis attestantur. Quæ antiquissimæ literæ Runicæ etsi ante annos 650. circiter, ab Olao *SkottKonung*, Svecorum Gothorumque Rege, ad nutum Sylvestri II. Pontificis Romani, & Sigfridi Episcopi Wexionensis abolitæ sint, ut prisca idololatria citius extirparetur, Locc. Antiquit. Goth. lib. 2. c. 14. Laudabili tamen studio doctorum virorum, prisca ista literatura, ex antiquis monumentis, quæ in saxis & lapidibus remanserunt, eruta & conservata est. Primus omnium, quod sciam, elementa runica typis evulgavit & excusa in lucem produxit Ioh. Mag. Ups. Archiep. & post eum Olaus M. Fr. Quos sequitur Leonhardus Thurneiser in Onomastico suo, posteaque Bon. Vulcanius de literis & lingua Getarum sive Gothorum; qui Alphabetum unum & alterum a Danis sibi communicatum testatur: quæ procul dubio, ab exemplo Joh. M. & Ol. M. excitatis, conquisita fuere. Tandem, post plures alios, quos & ipse citat, eximium quid in hoc literaturæ genere præstitit Joh. Buræus in Tyrocinio Runico Anno Chr. 1599. evulgato: quo vicissim, velut ariadnes filo, adjutus D. Ol. Wormius Danus sibi suæque patriæ ex Runica Literatura, quam ipse Danicam vocat, haud exiguam fœneratus est gloriam. Unde Præfatus Buræus in cantilena de revolantibus seu refugientibus domum Runis, tanquam vitulo suo arantem, ante 12. annos perstrinxit. Sunt autem elementa Runica ordine antiquo & domestico isthæc:

Figu-

Figura		*Nomen*		*Valor*
ᚠ		*Frey*	*F*	ᚡ v conſ.
ᚢ	ᚢ ᚢ	*Vhr*	*V u V*	ᛦ *y* ᚯ *å*
ᚦ		*Thars*	*Th dh*	ᚧ *d*
ᚬ	ᚯ ᚼ ᚨ	*Odhes*	*O å ô*	ᚯ *ð* ᚨ
ᚱ	ᛣ ᚱ	*Rydhur*	*R* in fine poſt conſ. *er*	
ᚴ		*Kyn (Kön)*	*K c q*	ᚵ *g*
ᚼ		*Haghal*	*H* poſt vocal. *ch gh*	
ᚾ	ᚿ	*Nädh*	*N*	ᚿ *nn*
ᛁ		*Idher*	*J*	
ᛆ	ᛅ	*Aeru*	*Ae a*	ᛂ *e*
ᛋ	ᛌ	*Sun. Sool*	*S z ſ z*	
ᛏ	ᛏ	*Tidher*	*T tt*	ᛐ *d*
ᛒ	B	*Byrgh-al*	*B* B *p*	B *bb* ᛔ *pp*
ᛚ		*Lagher*	*L*	ᛚ *ll*
ᛘ		*Man*	*M*	

Quæ alio ordine & nominibus vid. in Chron. Gothlandiæ p. 83.

Secundùm ordinum Latinorum nunc receptum, sic recensentur:

ᛆ ᛒ ᛍ ᛑ ᛂ ᚠ ᚵ ᚼ ᛁ ᚴ ᛚ ᛘ ᚿ ᚮ ᛔ ᛩ ᚱ ᛋ ᛐ ᚢ ᛪ ᛦ ᛎ ᚦ

Id est: *A*, *bb*, *cc*, *ddd*, *e*, *f*, *g*, *h*, *i*, *k*, *l*, *m*, *nn*, *oo*, *p*, *qq*, *rr*, *sss*, *t*, (quod etiam sic ⅄ notatur) *uuu*, *xx*, *y*, *zzb*: not. exprimitur, *Ae ä ä*, *ö*, *ü*, *ö*. Quæ usitatiora sunt elementa runica, ex Joh. B. monumentis petita; ubi quædam duplici, nonnulla etiam triplici modo notata inveniuntur. Plura de hisce cupiens, dictum Buræum & Wormii literaturam adeat. Nec, si usus ex Abcdario Runico Buræi & antiquis monumentis accedat, lectio difficilis erit.

Fuerunt & aliæ literæ, Gothis in exteris usitatæ, ideoque & græcis ac latinis elementis mixtæ: De quibus vera esse potest assertio Chron. Vrspergensis, quod Vlpias Episcopus, tempore Imp. Arriani, eas invenerit vel præcipue excoluerit. Quarum hæc figura fuit:

λ B Γ ᾳ E F G h H Ψ I K Λ M N Ջ Π Φ K S T U Π У З X

A b c d e f g h Æ th i k l m n o p q r s t v u y z ch.

Istis notis salutatio Angelica Oratio Dom. Canticum Mariæ & Simeonis, apud Vulcanium in commentariolo expressa sunt. Fuerunt etiam antiquorum Helsingorum propria elementa a Runis distincta; quorum nulla duplici constabant ductu: Sed punctis & lineolis rectis aut curvis, quæ vid. in descr. Suec. Andr. Buræi, & monumentum in *Angedal* extat. Sed cum hodie a nemine legi queant consulto omitto.

CAP.

CAP. IV. *De baculo Runico, vulgo* Rijmstaff *dicto.*

Priscæ literaturæ haud vilissima portio est cognitio baculi Runici; quo & prisci olim patriotæ, & etiamnum plebs rusticorum, anni tempora, festa immobilia, cæteraque notatu digna literis runicis aliisque notis hieroglyphicis supputant & observant. De quo hæc paucis notare libet.

1. Utrique baculi faciei adhærent 12. mensium nomina & Symbola. Prior notatur Scuto & litera ᚱ. qua continentur Januarius sive *Thora*, ab idolo *Thor* dictus, qui coronato cratere, *Kronkota*, notatur. Februarius, *Göya*, item a prisco Idolo appellatus. Martius *Blyda*. Aprilis, *Wärand*, Majus, *Mana*, i. e. Virgo. Junius, *Howila*, i. e. Nuptialis; a *HowaOel*, i. e. nuptiis; quæ tum frequentius celebrata, nominatus. Posterior facies notatur, litera *R* inversa Я, quæ literas ejus faciei, hebræorum more, inverso orame legendas monet. Hic sunt Junius *Höand*, i. e. fœnisecium. Augustus, *Skördand*, i. e. messis. September, *Höstmänadt*, i.e. Autumnalis. October, *Schlachtmänadt*, mactationis. November, *Wintermanadt*, hyemalis, & December, *Julemanadt*: In quo, tanquam rota, annus in se rediens convertitur.

2. In utraque baculi parte quatuor characterum ordines cernuntur. Primus est dierum cujuslibet mensis. Secundus notabilium dierum seu festivitatum; signa integra, cruce ✝ notata exhibet.

✝✝ Festa domestica otiosorum Suet. *Laat Helgdet*

ᛘᛘᛘᛘ.

Jejunia Papicolarum ⋎ Et dies, quibus mutationes aëris & futura observantur. Ut

In Petri cathedra, glacie si stringitur unda;
Non perit ante dies, hæc quater atque decem.

& similia.

☉ Pecuniam notat, & nundinas indicat. Festa universalia, ut dies nativitatis &c. Circumcisionis & Epiphanias, cornu taurino erecto indigitantur (olim enim ex cornibus potarunt,) ut eversum cornu festivitatis cessationem indicat. Baculus Episcopalis; Episc. Henrici Finstad. Ensis. S. Pauli conversionem. Candelabrum Purificationis. Securis, S. Sigfridi Episc. Wexionensis; cujus ibi nepotes securi percussi. Piscis, S. Matthiæ. Securis. S. Georgii; cœdendis trabib. aptum. Jugum, S. Benedicti; quo utensilia rustica parantur. Corona; B. Virginis coronatæ *Warfrw.* Arbor florifera, Tiburtii. Cuculus, S. Marci. Tres spicæ, S. Erici Reg. Suec. 18 Maji. Granum, Urbani; quo hordeum seritur. Rapa, Botolphi 17 Jun. Arbor vel ramus frondibus virens; S. Joh. Baptistæ. Clavis, Petri & Pauli. Rastillum, Margaretæ; cum fœnum versatur & colligitur. Pyxis, Magdalanæ, pedes Christi ungentis. Baculus, S. Jacobi. Bipennis, vel securis Amazonum, S. Olai Reg. Rogus S. Laurentii, in rogo tosti. Lituus, Pastoralis tuba lignea corticib. intorta, Suet. *Luur*, S. Michaëlis, quo inflari solet. Ædes, S. Brigiitæ Vadstenensis. Arbor foliis nuda, primam noctem hyemalem, *Færsta VVinter-Natt.* Templum; omnium Sanctorum. Anser, Martini, cui tum bellum indicitur. Anchora; Clementis. Rota, Catharinæ. Crux; S. ANDREÆ. Cætera ex Cistojano veteri Calendario petantur.

Tertius utriusque faciei ordo, characteres continet literarum dominicalium, quas ex connotato ☉lari Cyclo, per aureum cujusvis anni numerum, in cæteris Calendariis invenire operosum non fuerit.

Quartus & infimus 19. aurei numeri characteres habet; Juxta seriem Alphabethi Runici Sueo-Gothici superiori cap. primo loco notatam: Quibus alii 4. chara-

cte-

Cæteres addunt ᛘ 16 *Stupemader*, 17 ᛘ *Arbuger*, 18 ᛯ *Twemader*, 19 ᛄ *Belgthor*. Quorum uti & cæterorum ulteriorem explicationem & ordinis rationem enodandam, hæc studia ex professo tractantibus lubens relinquo, & ad Vormii fastos remitto: Ubi varietatem non parvam videre est. Nec omnes baculi eodem modo apud nos notati inveniuntur.

CAP. V. De antiquis & recentioribus numerandi notis.

Priscas numerandi notas in antiquo M. S. hasce offendi:

[numeral signs]

Ubi prima nota, absque dubio, 1. notat, 2da 2. tertia 3. & ita deinceps. Quatuordecim in d. M. S. desiderari adverti: quod vel hac nota, [sign] vel, [sign] restitui posse autumo. Cum lineola præfixa unitatem demat: Prout ex novenario satis apparet. Vicesima prima nota 30 sequens notat 40. 50. 60. 70. 80. 90. circulus, 100. significat &c. Atque sic numerum quantumvis magnum aut parvum, veteres his signis propriæ inventionis, annotare potuerunt. Moderni patriotæ inter numerandum utuntur notis cum Romanis, Germanis aliisque communibus: Tum literis M item ∞ vel cIↃ, D, aut IↃ, C, L X. V. I. tum decem minoribus notis 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 0. nec non calculis; quod libelli arithmetici uberius docent. Quomodo autem antiq. lit. runicis numeros notârint; vid. Worm. fast. Lib. III. Cap. III.

CAP.

CAP. VI. De Modernis Literis.

Literarum figura nunc autem utimur, cum Germanis & ὁμοφύλοις aliis populis communi; ex Romanis elementis, haud dubie, dimanante, tali:

Abcdefffghiklmnopqrſſſßstuvwxyz. Diphtongos habemus proprias. Quarum ſonum quædam etiam aliæ linguæ; figuram aut literas nullæ habent: *a* ſz. *ä æ*. prima ſonat, ut gall. au, 2da, ut ai, 3tia ut eu, quem ſonum alterutrius linguæ ignarus difficulter aſſequitur. Quorum reſpectu haud male Anonymi comment. apud Vulcanium dixiſſe videtur; Sermo gothicus e gallico temperatus. Iſtis literis, uti patet, quilibet ſonus facillime exprimi poteſt. Quo fit, velut ait idem comment. ut nullum alphabetum abſolutius ſit (Getharum aut Gothorum,) qui undique, quod ad veram pronunciationem faceret, mutuati ſunt.

CAP. VII. De Convenientia Sueo-Gothicæ & Germanicæ Ling.

Ut congentiles & ex eadem origine eſſe Suecos ac Germanos ſuper. lib. innuebatur; ita hic etiam linguis maxime convenire, haud difficile oſtenſu. Eadem quippe maxima ex parte rerum vocabula, nomina & verba utrinque adhibentur. *Gudh Gott, Fadher Vater, Son Sohn, Engel Engel, Himmel Himel, Lufft Lufft, Watn Waſſer, Jord Erd, Guld Goldt, Silffwer Silbor, Steen Stein, Mann Man, Wijff Weib, Hws Haus, Glaas Glaß,* &c. Idem in verbis, ut *Gaa gehen, Staa ſtehen, ligga ligen, laſa leſen, ſkriffwa ſchreiben,* &c. Quæ magno numero & plenius in majori opere percenſentur. Quin & ante 8. ſecula linguæ germ. quam plurima vocabula cum his quibus hodieque utimur convenisse patet ex Epiſt. Lipſ. 44. cent. III. ubi inter alia hæc leguntur: vet. germ. Anliton. Suet. *Anlitl. Affter effter, Anguſt angeſt, Aſca aska, Erue Erff, Farnozzon færnæta, Fernuerthan færvvarda, Hoere*

re Hoora, Gelnut leff, Geqwicco vvederqwicka, Giminsaka færminska. Gibresti brist, Hategan haat, Huchvvem? Lepera leppar, liuvia liff, lockalockar, Qvvena Qvvinna, Quicvee qwicksa, Saca saak, Scieri skaar Sethelgang solegang, siunalatgun siufaldigh, spitis spett, Thiernæ tarna, Utriston yterste, vvala hvvaladiup, VVamban vamban, VVan vvan, VViti vvett, & similia quamplurima, quæ d. l. legantur. Unde non immerito Rodericus Toletanus Teutonia, inquit, Dania, Norvegia, Suetia, Flandria & Anglia, unicam habent linguam, licet idiomatibus dignoscantur. Hoc ille ante annos nondum 400, ait Lips. Paulo supra potuisset & Galliam addidisse &c. vid. cit. Epist.

Communes etiam sunt literarum mutationes, ut *Fadher Vater: Son Sohn: Brodher Bruder:* In Plurali *Fadher Vater: Sæner Sæhne: Brædher Bruder, &c.*

In nominum flexionibus sic hodie conveniunt: Genera utrobique tria, masc. fœm. & neutr. quæ articulis *Han, Hon, Det.* Germ. *Der, die, daß*, distinguuntur. Not. sæpe etiam Sueci, articuli loco, præfigunt numeralem particulam *En, een, ett*, (sicut Galli pro articulis le & la, un & unne.) Ubi observ. *En*, esse Masculinum, *Een*, vero fœmin. e. g. Esa. 7. v. 14. *Een Jungfrvv skal fæda en Son.* Apoc. 12. v. 1. *Een Qvvinna*, v. 3. *En Drake, &c.* Genitiv. Masc. & neutr. fere addito *S* formatur; ut *Fadher faders*, vel *Fadren fadrens*, Germ. *Vater Vaters, Himmel himmels*, vel *Himmelen himmelens*, germ. *Himel himels, Mana* vel *mane* & *manen*, G. *Manens*, germ. *Mond mondes, Skriffvvare skriffvvares*, germ. *Schreiber schreibers.* Germ. tamen *S* in artic. aliquando contenti, ut *Der Herr, des Herren*, Suet. *Herre* vel *Herren Herrens.* Ita Neutr. *Diur diurs*, vel *Diuret diuretz*, germ. *Thier thieres, Blod blodz* vel *blodet blodetz, Blut blutes:* Sic *VVijff vvijffs*, vel *vvijffvvet vvijffvvets, VVeib vveibes &c.* Gen. Fœm. Suec. in *nes* vel *ans*, ut *Qvvinna qvvinnones* & contr. *qvvinnans, Jord jordennes* vel *jordens* constructe *Jordz, Stierna stiernones* & *stiernan stiernans*, item *stiernos* constructe. Nonnunquam etiam

etiam addito saltem *S* ut *Frun Fruns* pro *Frunes*, *Qvvinnan qvvinnans*, *Hustru hustrus* & *hustrun hustruns* &c. Gen. fœm. germ. fere in *n* ut *Der Fravven*, *Erden*, *VVannen*. Cætera ex Paradigmatibus innotescunt, ubi germanis articuli magis quam nomina flectuntur, sic Masc. Sing.

Suetice.	Germanice.
N. *En Man & mannen*	*Der Mann*,
G. *Mansens*, vel *mannens* item constructe *mans*	*des manns*
D. *mannenom* vel *enom man & manne* recent. *mannen*	*dem man & manne*
A. *mannen* vel *en man*	*den man*
Voc. *ô man*	*o du man*
Abl. *Aff* (*medh*) *mannenom* vel *enom man & mannen*	*Von* (*mit*) *dem manne*
Plur. N. *Man & mannerna*	*Die manner*
G. *mannernars & mans*	*der manner*
D. *mannerna & man* antiq. *manno man & mannom*	*denen mannern*
Acc. *mannerna & man*	*die manner*
Voc. *ô man*	*o ihr manner*
Abl. *Aff mannerna* antiq. *mennomen*.	*von den mannern*.
Fœmin. Sing.	
N. *Fruv & fruvn*	*Die fravv*
G. *Fruvnes*, *fruens & fruve*	*der fravven*
D. *Fruvn & fruvne*	*der fravv*
A. *Fruvn* (*an & na*)	*die fravv*
V. *ô fruv*	*o du fravv*
Abl. *aff fruvn & fruvne & fruvan*	*von der fravven*.
Plur. N. *Fruver*	*Die frawen*
G. *fruvernars & fruvers*	*deren frawen*
D. *fruverne & fruver* antiq. *fruvomen*	*denen frwen*
Ac. *fruvorna & fruver*	*die frawen*
V. *ô fruver*	*o ihr frawen*
Ab. *Aff fruverne & fruver*.	*denen frawen*

Suec.

	Suec.	Germ.
Neut. Sing. N.	*Et Ting & tinget*	*Das Ding*
G.	*tingetz & tings*	*des dings*
D.	*tinget, tingeno (e, a)*	*dem ding*
Ac.	*tinget & ting*	*das ding*
V.	*ô ting*	*o du ding*
Ab.	*Aff tinget & tingeno (a, e)*	*von dem dinge*
Plur. N.	*Ting & tingen*	*Die Dingen*
G.	*tingens*	*derer dingen*
D.	*tingen* antiq. *tingom & men*	*denen dingen*
Ac.	*tingen & ting*	*die ding*
V.	*ô i ting*	*o ihr ding*
Ab.	*Aff tingen & ting* antiq. *tingomen*	*von den dingen.*

Sic quoque & Adjectiva pari ferme ratione in utraque lingua moventur: Et cum nominibus substantivis una declinantur. Hoc modo: Masc. Suet. *Then, thenne, then ther, hvvilken store svvarte Mannen*, Germ. *Der dieser jener vvelcher grosser schwartzer mann.* Fœm. Suet. *Den, denne, then ther, hwilken stora swarta Qwinna.* Germ. *Die, diese, jene, welche grosse schwartze Fravv,*

Neut. Suet. *Det, detta, ther ther,* h*wilket stora swarta diuret*, vel *diur.* Germ. *Das dieses jenes* w*elches grosses schwartzes thier.*

Comparatio etiam utrobique eadem est, ut: *Lærd lærdare lærdast & aldralærdast. Gelehrt gelehrter gelehrtest & allergelehrtest.*

Irregularia utrobique.
- *Godh bættre bæst & aldrabæst,*
- *Gut besser beste & allerbest,*
- *Ond* wærre *(ærgare)* w*ærst aldrawærst (ærgast)*
- *Boeß, ærger, allerærgest & ærgest.*

Sunt utrinque Primitiva, ut *GUdh Gott, Fader Vater, Himmel Himel, Menniskia mensch*: Et Derivativa *Guddom Gottheit, Guddommeligh Gœttlich, Faderligh Vaterlich, Himmelsk himlisch, Mennisklígh menschlich*: Item Simplicia, ut *Hierta hertz, Skeen schein*, w*ark wehe.* Et Composita, ut

Sool-

Soolskeen Sonnenschein, Hiertawark hertzwehe, huuskors hauscreutz, træstbook trostbuch. Unde in nominibus convenientia patet.

Pronomina quodque magna ex parte conveniunt; ut *Jagh* (antiquis *ick*) Germ. *Ich, tu* vel *du, du, han, he* vel *er: VVy, vvir, I ihr, the, die* vel *sie: VVar unser, Eder evver, theras deren*, vel *ihrer, min mein, din* vel *tin dein, sin sein, Jag sielff, ich selbst, denne* vel *thesse, diese.* Declinantur etiam uniformiter Pronom. ut N. *Jagh*, G, caret, D, Ac, & Abl. *migh.* Pl. N. *VVij*, D. Ac. Ab. *Oss.* Germ. N. *Ich*, D. Ab. *mir*, Acc. *mich.* Pl. N. *VVir*, D. Ac. Ab. *Uns* &c. De Articulis supra.

VERBA etiam similiter conjugantur, adhibitis (non secus ac in Gallica, Italica & Hisp. lingg. auxiliaribus, *Jagh ar, Ich bin*, i. e. sum, & *Jagh haffvver, ich habe*, i. e. habeo. Quæ sic inflectuntur:

	Suetice.		Germ.
Sing.	*Jagh*	*Haffwer*	*Ich habe*
	Tu	Contr. *haar*	*Du hast*
	Han		*Er hat*
Plur.	*VVy haffwom (haam)*		*VVir haben*
	I haffwen (haan)		*Ihr habt*
	The haffwa (haa)		*Sie haben*
Præter. Imperf. S.	*Jagh*	*hade*	*Ich hette*
	Tu		*Du hettest*
	Han		*Ehr hette*
Pl.	*VVy hadom*		*VVir hetten*
	I haden		*ihr hettet*
	The hade		*sie hetten.*

Quæ flexio Optat. & Conjunct. maxime congruit.

Præt. Perf. & Plq.			
S.	*Jagh,*	*Ich habe*	*gehabt.*
	Tu,	*du hast*	
	Han hafwer haffi,	*Er hatt*	
Pl.	*VVy haffwom,*	*vvir haben*	
	I haffwen,	*ihr habt*	
	The haffwa haffde	*sie haben*	

S.

Futurum.

S.	*Jagh* / *tu* / *han* } *skal haffwa (warder hafwandes)*	*Ich sol (werde) haben* / *du solt (wirst) haben* / *er sol (wirdt) haben.*
P.	*Wy skolom (wy wardom)*	*wir werden haben*
	i skolen (i warden) hafwande,	*ihr werdet haben*
	the skola (the warda)	*sie werden haben.*

Imperativus.

S.	*Haff tu (haff du)*	*habe du*
	Haffwe han	*habe er*
Pl.	*Haffwom wy (lat oss haffwa) haa*	*laß uns haben*
	haffwen i (haans)	*habet ihr*
	haffwe the (latt them haffwa vel *haa)*	*laß sie haben.*

Conjunctivus & Optativus adjecta Conjunctione vel Adverbio, pariter fiunt

Infinit.	*haffwa*	*haben*
Præt. Plusq.	*haffwa hafft*	*gehabt haben.*

Alterum auxiliare Verbum sic conjungatur:

Sing.	*Jagh ar*	*Ich bin*
	Tu ast	*du bist*
	Han er	*er ist*
Plur.	*VVy arom*	*wir seyn*
	i aren	*ihr seyd*
	the aro (a, e)	*sie (die) seynd.*

Præteritum.

	Jagh / *tu* / *han* } *vvar*	*Ich war* / *du warest* / *er (der) war*
Pl.	*VVy worom (re)*	*wir waren*
	i woren	*ihr waret*
	the worø	*sie (die) waren.*

Præt. Plusq.

S.	*Jagh* / *du* / *han* } *haffwer warit.*	*Ich bin* / *du bist* / *er ist* } (*gewesen*
Pl.	*VVij haffwom* / *i haffwen* / *the haffwa* } *warit*	*wir seyn* / *ihr seyd* / *sie, die, seind* } (*gewesen*

Futurum.	S.	*Jagh* / *tu* / *han* } *skal warda* &	*Ich werde* / *du wirst* / *er wird* (*seyn*
	P.	*wy skolom* (*skom*) *wara* & *wardom*	*wir werden*
		i skolen (*skon*) *wara* & *i wvarden*	*ihr werdet*
		the skolo (*sko*) *wara* & *the warda*	*sie werden seyn.*
Imperativ.	S.	*VVar du*	*Sey du*
		vvare han (*vvari det*)	*daß er sey*
	P.	*VVarom vvy* & *lat oß* (*vvara*)	*laß uns seyn*
		vvaren i	*seyd ihr*
		vvaren the	*laß sie seyn.*

Subjunctivus & hic, ut ante dictum, formatur, v. g.

	Jagh ar	*vvie vvol ich seye*
Oansedt	*tu ast*	(*so*) *du seyest*
(*andoch*)	*Han ar*	*Er seye*
om	*Wij arom*	*vvie vvol vvir seyn*
	i aren	(*so*) *ihr seyd*
	the aro (*a, e*)	*sie seyndt.*

Futurum.	*Oanset Jagh vvore*	*Ob ich vvere*
	andoch tu vvore	*vvie vvol du vverest*
	om han vvore	*Er* (*der*) *vvere*
	Giffvve GUdh at { *VVij vvorom* / *i vvoren* / *the vvoro*	*vvolte Gott daß* } *vvir vveren* / *ihr vveret* / (*sie, die*) *vveren*

Infinitiv. Præs.	*vvara*	*seyn*
Præteritum	*Haffvva vvarit*	*Gevvesen seyn*
Part. Præs.	*vvarandes*	*vvesend*
Præt.	*Som vvar*	*Gevvesen* & *gevvesener.*

Istorum adminiculo (unde auxiliaria dicuntur) quævis verba, tam in Activa, quam Passiva voce conjugantur, non magna, inter linguas, discrepantia, ut: Scribo.

Indi-

Indicat. Præsens.	S. Jagh skriffwer	Ich schreibe	
	tu skriffwer	du schreibest	
	han skriffwer	er schreibet,	
	Pl. wy skriffwom, we	wir schreiben	
	i skriffwen	ihr schreibet	
	the skriffwa	sie (die) schreiben.	
Præteritum.	S. Jagh skreeff	Ich schriebe	
	tu skreeff	du schriebest	
	han skreeff	er schrieb,	
	P. wy skreffwom, we	wir schrieben	
	i skreffwen	ihr schriebet	
	the skreffwo	sie schrieben.	
Perfectum.	S. Jagh	ich habe	geschrieben.
	tu	du hast	
	Han haffwer skriffwit	er hat	
	Pl. wy haffwom	wir haben	
	i haffwen	ihr habt	
	the haffwa skriffwit	sie haben	
Futurum.	S. Jagh	Ich werde (sol)	schreiben.
	tu	du wirst	
	han wil eller skal skriffwa	er wird (sol)	
	Pl. Wy wiliom	Wir werden	
	i wilien	ihr werdet	
	the wilia skriffwa	sie werden	
Imperat.	S. Skryff du	Schreibe du	
	skryffwe han	screibe er	
	P. skryffwom wy	das wir schreiben	
	lat oss skryffwa	las uns schreiben	
	skriffwen i	schreibet ihr	
	skryffwe the	las sie schreiben.	

Subjunctivus, ut monitum, additis tantum particulis habetur: ut

Nærværande tid (Præsens)	S. Jagh		Ich schreibe
	tu		wen (so) du schreibest
	han skriffwer		er schreibet
	Pl. Wy skriffwom		wir schreiben
	i skriffwen &c.		ihr schreibet &c.
Præteritum.	S. Jagh, tu, han hadde skriffwit		ich hatte, du hattest, er hatte (geschrieben)
	Pl. Wy hadom, i haden, the hade skriffwit		wir hatten, ihr hattet, sie hatten geschrieben

Infinitivus Suec. fere in *a* exit, ut *skriffwa, dricka, liggia, alska*, vel *a* crassum, seu *a*, ut *ga, sla*. Passiv. in *as*, ut *nalkas, skriffwas, drickas, elskas*, vel *as*, ut *slaas, færgaas*. Germanorum autem Infin. Activ. in *en*, ut *schreiben, trincken, ligen, lieben, gehen, stehen, nahen, schlagen, verschmelzen*.

In indeclinabilibus quoque convenientia satis patet.

Adverb. ut:

Hvvar vvo? Har hier, Der dort, annorstades anderswo, allostades allenthalben. Derinne drinnen, deruthe draussen, nar nahe, affsijdes beyseit, hijt hieher, hwartuth wohinaus? nyligh newlich, hwarthen wohin? sa swara so sehr, meer mehr, imorgon morgen, om dagen des tages, om natten des nachts, huru offta wie offt? Ja ja, ney nein, sij sihe, giffwe GUdh gebe Gott, fort fort, færst erst, hvvi sa wie so? wal wol, wijsligen weislich, passeligh paßlich, nogh gnug, kan skee kan geschehen. So sant migh GUdh hielpe, so war als mir Gott helffe, batter besser, besynnerligen besonderst, parom beyparen, &c.

Conjunctiones: *Och auch, doch doch, bade beydes, sa so, ta da, om ob, huruwal wiewol, &c.*

Præpos. *Fœr fur, medh mit, hinsijdan jenseit, under unter, uppenbarligen offenbarlich, &c.*

Ex quibus breviter adductis Sueticæ ac germanicæ lingg. convenientia, & quod in fundamento una sint, satis dispalescit.

CAP.

CAP. VIII. De differentia Sueo-Gothicæ & Germanicæ lingg.

Cum in ipsa Germania varias esse dialectos Pomeranam, Saxonicam, Francicam, Bavaricam, Suevicam, Belgicam &c. Nec minus in Suecia Smolandicam, Wermelandicam, Uplandicam, Dalicam &c. esse certum sit, ut unus alterum, primo occursu, sine interprete vix intelligat, & quod sæpe in diversis territoriis phrasis variet; Quid mirum, Germanicam & Suecicam in multis differre? Sunt autem hæc inter potiora: 1. literam *vv* ante consonam germani non aliter ac *u* pronunciant. Unde haud facile rectam enunciationem vocum *wred*, *wra*, *wrakia*, *&c.* assequuntur. lit. *v* germ. modo ut *y*, sicut in *vber vbel*, modo ut *f* in wocibus *Vater voll viehe*; cum Sueci semper nativo valore efferant. *Y* illis sonat *ij* ut pro *skytt skijt*, *lyda lijda*, *&c.* nobis autem semper sonum τȣ Y servat. Literas *a* & *æ* recentiores germ. agnoscunt, *a* plane ignorant. *E* etiam post *i* reticent, in *lieben*, *schieben*, *&c.* 2. Ubi Suec. *e*, germ. *ei* sæpe habent, ut *reesa reisen*, *bereda bereiten*, *feet feist*. Etiam pro *ij ei*, ut pro *bijta beissen*, *rijta reissen*, *skrijffvva schreiben*. Pro *b p*, ut *Baneer Panier*, pro *p pf*, ut *pant pfandt*, *pypa pfeiffe*, *plantera pflantzen*; pro *t d*, vel vice versa, ut *tumme daume*, *dryffwa treiben*, *duffwa taube*, *duuk tuch*, *tun dun*, *tra drat*. Pro k ch, *ut skaffa schaffen*, *skappa scheffel*, *book buch*, & pro *u au*, ut *buuk bauch*, *susa sausen*, *brusa brausen*. Item pro *æ* ut *ræffwa* vel *roofwa rauben*, vel *u*, ut *præfwa prüfen*, *&c.* 3. Articuli germanis frequentiores ad imitationem exoticorum: ut Suet. *Herren medh sijn Fruv och Diuret*. Germ. *Der Herr mit der Frauen und dem Thiere*. 4. Germani non modo præteritis verborum, ad imitationem græcorum, augmentum *ge* præfigunt; sed & interdum nominibus, ut *Fadder gevatter*, *maak gemach*, *stierna gestirn*, *lærd gelehrt &c.* 5. Suecis auxiliaria verba sibi invicem etiam auxilio sunt, ut *jagh haffwer warit*,

ubi germ. non dicunt *ich hab gewesen*, sed *ich bin gewesen.* 6. Indicat. Passiv. Sueci sine periphrasi (germani non) habent, ut *jag leses*, legor, *ich werde gelesen.* 7. In generibus, nom. etsi maxima ex parte conveniant; ut quæ gen. sunt Masc. Fœm. vel Neut. Suec. itidem sint german. v. g. *sool sonne*, utrobique fœm. *mane mond*, masc. etsi apud græcos, latinos & gallos &c. e contra: In nonnullis tamen differunt. Ita Suecis fœminina sunt, quæ germanis masc. *Menniskia mensch*, *stierna stern.* E contra, *bank bank*, Suec. M. germ. F. est. Sic Suec. Neut. sunt *Aeple apfel*, *breeff brieff*, *krygh* krieg, *torn thurm*, *skep schiff*, *barg berg*, *bedragery betrug*, *pant pfandt*, *wijn wein*, quæ germ. masc. sed *hast pferdt*, e contra (germ. tamen etiam masc. est *hengst*) Ita Suecis Neut. sunt: *bræst brust*, *kyrsbær kirsche*, *plomon pflaume*, *pærun birn*, *saar wunde*, *Orgevvark orgel*, quæ germ. fœm. Rursum Suec. fœm. est, *skæppa scheffel*, germ. masc. Et vice versa, *siæ* masc. *see* fœm. est. Suec. F. *book buch*, *skiorta hembd*, Germ. Neutra sunt, ubi obiter nota divitias ling. nostræ; aliter enim indusium viri, *skiorta*, aliter fœminæ *sark* vocatur. Sed germani communiter *hembd*, Fenni *paita* dicunt. Nec ipsi latini distincta hic vocabula habent. Et dies naturalis, *Tag und Nacht*, unica voce *Dygn* nobis vocatur. Et sic in aliis. Unde etiam nobilitas linguæ emicat; cum propriissima vocabula habeat. Plura ex Grammat. Hæc copiosiora & majoris momenti esse ostendunt, in quibus conveniunt, quam in quibus differunt.

CAP. IX. De Fennica Lingg.

Fennica Lingua quondam etiam latissime patuit, scilicet inter Vistulam & mare album; sinum Bothnicum vel potius ipsum oceanum septentrionalem & Tanaim. Hodie in Tawastia purissima retineri putatur; maritimi enim Suecica immiscent. Carelii leviter saltem in quibusdam phrasibus differunt. Æsthii autem dialecto sua paulo longius distant. Fennicam vero linguam

guam peculiarem & originalem esse patet: Cum a nulla alia exacte derivari queat. Etiamsi enim quædam vocabula Græcam aut Hebræam, aut alius linguæ originem sapere videantur; longe plura tamen sunt, quæ aliunde deduci nequeunt. Propriam etiam habent flexionem in declinando & conjugando, cum nulla alia originali congruentem. Imo & pronunciatione in tantum ab aliis distat; ut qui aliam quam Fennicam a teneris non didicit linguam, neque in adulta ætate peregrinam rite enunciare unquam facile addiscet. In tantum hæc ab ab aliis differt.

Rarissima hic sunt, ne dicam nulla, a duplici consona incipientia; unde pro *skuld kuld*, *spara para*, *skryffuva ryffuva*, efferunt idiotæ. Et quod magis mirandum: exotica etiam quædam prolaturi, consonam intempestive præfigunt; ut pro *Bara*, *spara*, *Grund skrund*, *tolff stolff*, *&c.*

Omnes Fennorum nominativi fere in vocalem exeunt; excipe *Mies*, vir, *ihminen wireys*, *Cuningas*, *Morsian*, *Mailmalinen*, & alia nonnulla, unde pro *Peter* seu *Peder*, *Pêtari*, *Paul Pavvali*, *glaas clasi*, *vgn vgni*, germ. *meer meri*, *talrik talricki*, *disk tiski* dicunt.

F rarissime habent: nam *Fangi*, *færsti*, *frij*, ex Suecico sunt. Idem de litera *B*, ut *Belstari borgari* etiam Suetica sunt. Ita *D*, *draki duommo*, *duomari*, ex Suecis mutuata videntur. Reperitur tamen in antiquis Historiis Rex Suec. Valander uxorem ex Fenningia duxisse, nomine *Drivva*, ut habet vetus Chronic. Sueciæ. Nec lit. *G* in principio dictionum pure Fennicarum reperitur, &c.

CAP. X. De Convenientia Ling. Fennicæ ac Æsthnicæ in specie.

I.

Lingua Fennica & Æsthnica easdem habent literas, eandemque cum Suecis & Germanis scripturam, ut *Abcdefffghiklmnopqrſstuvvxyz ä æ.* Quamvis plu-

res in Æsthnica ling. recenseat Stahlius, quæ ex prioribus conflantur, ut Diphtongi triphtong. *æ. i. Q* lit. neutra habet. Quod suppletur *cu* vel *ku*. An vero proprias olim literas habuerint non facile dixerim, cum nulla hic in Feninngia monumenta extent.

2. Prima semper syllaba in utraque lingg. accentu attollitur, cæteris depressis.

3. Vocabula fere eadem sunt, quamvis nonnihil variata, ut Fen. *Jumala*, Æst. *jummal*, *isa issa*, *Hengi hing* anima; *meri mirre*, *miecka mæheck*, *kenga kingk*, *Candel kandel*, kowa *kowwa*, *paa peh*, *nachka nachk*, *antan awwitan*, *vsko vsch*, *kirwes kirwis*, *silma silm*, *leipa leib*, *jano janon*, *&c.*

4. In nominibus utrobique distinctio generum nulla: Adduntur tamen interdum particulæ *yx* unus & *se* hic, hæc vel hoc, quæ Æsthonibus frequentiores sunt.

5. Numeri & casus hic totidem quot etiam in cæteris linguis.

Declinationes, etsi pro numero vocalium, ultimam consonantem genitivi proxime præcedentium, variari possint; finalis tamen consona semper eadem retinetur, vocali nominativi vel retenta vel variata: Quod exemplum clarum erit, ut Deus;

S.	N. Jumala	Yx JUmmal
	G. jumalan	öhest jummalast
	D. jumalalle	öhel jummalall
	Ac. jumalan, laa,	öhe jummala
	V. O jumala	O yx jummal
	Abl. jumalalda, asta jumalasa, alda	öhest jummalast jummalalt.
Pl.	N. JUmalat lia	Oeha JUmalat
	G. jumalden (itten)	öhede jummalade
	D. jumalille	öhelle jummalalle
	Ac. jumalat (lia)	öhet jummalat
	V. O jumalat	O öhet jummalat
	Abl. jumalilda, ista, isa, illa	öhest jummalast & jummalald.

Aliud Exemplum. Homo.

Sing. N. Ihminen	Yx (ſe) Innimenne
G. ihmiſen	ſeſt innimeſſeſt
D. ihmiſelle	ſel innimeſſel
Ac. ihmiſen, iſtæ	ſe innimeſſe
V. O ihminen	O ſe innimenne
Abl. ihmiſeldæ, eſtæ, eſæ, ellæ,	ſeſt innimeſſeſt & ſelt innimeſſelt.
Plur. N. ihmiſet, iſtæ	neet innimeſſet
G. ihmiſten	nende innimeſſede
D. ihmiſille	neille innimeſſelle
Ac. ihmiſet, ſtæ,	neet innimeſſet
V. O ihmiſet	O neet innimeſſet
Abl. ihmiſildæ, iſtæ iſæ, illæ.	neiſt innimeſſeſt neilt innimeſſelt.

Sic quoque Adjectivum cum Subſtantivo pariter declinantur: Ut

Sing. N. Armas Mies	Armas Mees
G. arman miehen	armaſt meeheſt
D. Armalle miehelle	armal meehel
Ac. arman miehen (armaſt mieſtæ)	arma meehe
V. O armas mies	O armas mees
Abl. armalda mieheldæ, aſta eſtæ, aſa eſæ & armalla miehellæ,	armalt meehelt & armaſt meeheſt
Plur. N. Armat miehet	armat meehet
G. armaſten mieſten	armade meehede
D. armaille miehille	armalle meehelle
Ac. armat miehet (armaita miehiæ)	armat meehet
V. armat miehet	O armat meehet
Ab. armailda miehildæ, iſta iſtæ, iſa iſæ, illa illæ	armaſt meeheſt, armalt meehelt.

Nec Comparatio diſpar, ubi comparativus Fenn. in *mbi*, Æſth. *mb*; Superlativus exit in *in*, vel addita voce

Caickein, Æsthn. keicke, ut Fen. Hywæ, parambi, parhain & caickein paras, Æsth. heh, parramb, keike parramb. Fen. Suuri, suurembi, caickein suurin. Æst. suhr, suhremb, keicke suhremb. Fen. Piscuinen, piscuisembi, caickein piscuisin. Æsth. Pissokenne, wehhemb, keicke wehhemb. F. Walkia, walkiambi, caickein walkein. Æst. walgk, walgkemb, keicke walgkemb.

Pronomina quoque fere coincidunt:

S.	N. Minæ, Sinæ, hæn,	Minna, sinna, hænd,
	G. minun sinun hænen,	mynnust synnust hændessest
	D. minulle sinulle hænelle,	mynnul synnul hændessel
	Ac. minun sinun hænen,	mynd synd hænd,
	V. Sinæ, (minua sinua hænd)	O minna sinna
	Abl. minulda, sta, sa, la,	mynnust, ult,
	sinulda, sta, sa, la,	synnust, ult,
	hæneldæ, stæ, sæ, læ,	hænnessest, seld,
Pl.	N. Me, te, he,	Meye, teye, hænd,
	G. meidæn teidæn heidæn	meide teide hændessest
	D. meille teille heille	meile, teile, hændessel
	Ac. me (meitæ) teitæ heitæ,	meit, teit, hænd,
	V. me, te,	O meije, teije,
	Abl. meildæ teildæ heildæ	meist, teist,
	(meistæ teistæ heistæ,	(meilt teilt)
	meisæ teisæ heisæ,	
	meillæ teillæ heillæ,)	

Sic Fenn. *Tama*, hic, hæc, Æsthn. *Temma*, *namat*, *nemmat*, *needt*, *noen* hi, hæ, hæc, F. *Cuka*, *kenga*, Æst. *ke* & *kevver*, quis, quæ, quod? Æ. *idze ißi*, ipse: *Kumbi kumb*, uter, utra, utrum.

9. Verba etiam iisdem modis, temporibus & flexione, quodammodo conjugantur.

Imperativus modus unum saltem tempus utrobique agnoscit. Et hic quoque verba auxiliaria inter conjugandum adhibentur, quæ sunt; Indic. Præsenti.

Sing.	Minæ Olen	Sum	Minna ollen
	sinæ olet	tu es	sinna ollet

hæn

	hæn on	ille eſt	temma on, olle,
	Plur. me olemme	ſumus	meije olemme,
	te olette	eſtis	teije olletet
	he owat	ſunt	nemmat ommat
Imperfectum.	S. Minæ olin	eram	minna ollin
	ſinæ olit	eras	ſinna ollit
	hæn oli	erat	temma olli
	P. me olimme	eramus	meije ollime
	te olitte	eratis	teije ollite
	he olit	erant	nemmat ollit.
Perfectum.	S. M. olen ollut	fui	m. ollen olnut
	S. olet ollut	fuiſti	S. ollet olnut
	H. on ollut	fuit	Temma on olnut
	Pl. me olem ollet	fuimus	m. oleme olnut
	te olet ollet	fuiſtis	t. ollete olnut
	he owat ollet	fuerunt	n. ommat olnut.
Plusquamperf.	S. m. olin } ollut	fueram	m. ollin } olnut
	ſinæ olit } ollut	fueras	ſ. ollit } olnut
	hæn oli } ollut	fuerat	temma olli } olnut
	Pl. me olim } ollut	fueramus	meije ollim } olnut
	te olit } ollut	fueratis	teije ollite } olnut
	he olit } ollut	fuerant	nemmat ollit } olnut

Futur. a præſenti, quoad terminationem, apud fenn. non diſtinguitur; particula *Taſtades* ſaltem præfigitur.

Imperativ.	S. Ole, oles	ſis	Olle
	oleon hæn	ſit	olko (olckut).
	P. Olcam me	ſimus	olckam
	olcat te	ſitis	olckat
	olcat he	ſint	olckat olckut.

Optativus formatur Fenn. addita particula *Joſca*; Æſth. *Eth*, ut præt. *Joſca minna olliſin*, *Eth minna ollexin &c.* Conjunct. præfixo, fen. *Coſca* vel *jos*, Æſth. *kus*. Infinitiv. præſ. F. *Olla*, Æſth. *Olla* & *ollemma*. Præt. Plusq. F. *Ollut*, Æſt. *ollnut*. Particip. præſ. Fenn. *Ollen*, Æſth. *ollen*, *ollevva* & *ollemas*, Habent etiam Æſthii Verbum auxilia-

liare *minna ſahn*, fio. Quod Fennis eſt accipio, *mina ſaahn*.

10. Sic quoque verba realia in conjugationibus multiformiter conveniunt, ut AMO, Fenn. *Racaſtan*, Æſth. *Armaſtan*, *mina*, *ſina*, *han*.

Indicativus Præſens.

	Sing.	Racaſtan	Minna Armaſtan
		racaſtat	ſinna armaſtat
		racaſta	temma armaſtap
	Plur.	Racaſtamme	meije armaſtame
		racaſtatte	teije armaſtatte
		racaſtawat	nemmat armaſtavat.
Præter. Perfect.	S.	Racaſtin	Minna Armaſtaſin
		racaſtit	ſinna armaſtaſit
		racaſti	temma armaſtas, vel armaſtis
	Pl.	racaſtimme	meije armaſtaſime
		racaſtitte	teije armaſtaſitte
		racaſtit	nemmat armaſtaſit
Præt. Plusq.	S.	minæ olen racaſtanut	M. ollen armaſtanut
		ſ. olet racaſtanut	ſ. ollet armaſtanut
		h. on racaſtanut	temm. on armaſtanut
	Pl.	me olem racaſtanet	m. oleme armaſtanut
		te olette racaſtanet	te. olette armaſtanut
		he owat racaſtanet	nen ommat armaſtanut.
Futurum.	S.	m. tæſtedes racaſtan	m. ſahn armaſtama
		ſ. tæſtedes racaſtat	ſ. ſaht armaſtama
		h. tæſtedes racaſta	t. ſaph armaſtama
	P.	m. tæſtedes racaſtamme	m. ſahme armaſtama
		te tæſtedes racaſtatte	teij. ſahte armaſtama
		he tæſtedes racaſtawat	n. ſahwat armaſtama.
Imperativ.	S.	Racaſta ſinæ	armaſta
		racaſtacan hæn	armaſtaco & akut
	Pl.	Racaſtacamme	armaſtakem
		racaſtacatte	armaſtaket

ra-

		racaſtacan he	armaſtakat, armaſtakut & ſtako.
Optativus.	S.	Joſca m. racaſtaiſin	Eth m. armaſtaxin
		joſca ſinæ racaſtaiſit	eth ſ. armaſtaxi
		joſca hæn racaſtaiſi	eth t. armaſtax
	Pl.	joſca me racaſtaiſimme	eth m. armaſtaximme
		joſca te racaſtaiſitte	eth t. armaſtaxitte
		joſca he racaſtaiſit	eth nemm. armaſtaxit.
Infinitivus.		Racaſta (maan)	armaſtama
Præter. Plusq.		Racaſtanut	armaſtanut olla
Participia Præſ.		Racaſtawainen racaſtaden	armaſtaia, armaſtawa, armaſtamas
Futurum.		Racaſtawa	ke ſahp armaſtama.

Indicaticativus Paſſivus.

	Sing.	Minæ Racaſtetan	M. ſahn Armaſtut
		ſinæ racaſtetan	ſ. ſaht armaſtut
		hæn racaſtetan	t. ſaph armaſtut
	Plur.	me racaſtetan	me ſahme armaſtut
		te racaſtetan	t. ſahte armaſtut
		he racaſtetan	n. ſahwat armaſtut.
Præter. Perfectum	S.	Minæ Racaſtettin	M. ſain armaſtut
		ſinæ racaſtettin	ſ. ſait armaſtut
		hæn racaſtettin	t. ſai armaſtut
	Pl.	me racaſtettin	m. ſaime armaſtut
		te racaſtettin	t. ſaite armaſtut
		he racaſtettin	N. ſait armaſtut
Præter. Plusq.	S.	M. olin racaſtettu	M. ollin armaſtut
		ſinæ olit racaſtettu	ſ. ollit armaſtut
		hæn oli racaſtettu	temma olli armaſtut
	Pl.	me olime racaſtetut	me: ollime armaſtut
		te olitte racaſtetut	t. ollite armaſtut
		he olit racaſtetut	n. ollit armaſtut
Imperat.	S.	Racaſtettacan ſinæ	Sah ſinna armaſtut
		racaſtettacan hæn	ſahko temma armaſtut
	Pl.	racaſtettacan me	ſahkem m. armaſtut

ra-

	racastettacan te	sahket teije armastut
	racastettacan he	sahkat nem. armastut
Optativus.	S. Josca m. racastettaisin	et m. sahx in armastut
	josca sin. racastettaisin	eth s. sahxit armastut
	josca h. racastettaisin	eth t. sahx armastut
	Pl. josca me racastettaisin	eth m. sahx armastut
	josca te racastettaisin	eth t. sahxitt. armastutt
	josca he racastettaisin	eth n. saxit armastut.
Infinit.	Racastetta *amari*	Armastut sahma
Participia.	Racastettu *amatus*	armastut
	Racastettapa vel racastettawa *amandus*.	Keh sahp armastut sahma.

Plura ex Instit. ling. Fenn. D. D. Æschili Petræi: Et Introduct. lingg. Æsth. M. Henrici Stahlii petantur.

11. In Adverbiis quoque fere conveniunt, ut; Cusa kussa, ubi, liki ligki prope, siinæ sielæ, sihn sehl, ibi, siit sieldæ, siht sehlt, inde, tænne tenna, huc, sinne senna, eo, nyt nuhdt, nunc, tænæpænæ tennapehu, hodie, eilain eile, heri, hilian hilia, sero, ehtona œchtul, vesperi, warhain warra, mane, yxikerta yxkord, semel, wissist to, dest, wissist töddest, vere plane &c.

12. Nec minus in conjunctionibus; ut Ehkæ ehk, etsi, cuin kudt, ut, cans kahs, quoque, nin ni, tam, nin oywin, cuin, ni hehste, kut, tam bene quam, senpææll e semperrast seperrast, ut.

13. Item quoad præpositiones; quæ in utraque hac lingua Postpositiones potius dicendæ; quum frequentius nominibus postponantur. (præpositionem ab non habent; sed ejus loco ablativo utuntur) suntque hæ præcipuæ: juuren jure ad, juures jures apud, eteen ette, ante, edes eddes ehs coram, edest pro, wastan wasto adversus, waihella hel vel wälillä wahel inter, alla alla, infra, cautta (läpi) lebbi per, peräst perrast, post, taca tagka, a tergo, ilman ilma sine &c.

14. In numeris quoque conveniunt; ut Yx yx unum, caxi kax duo, colme kolme tria, nelja nelij 4. wijsi wihs. 5.

5. cuusi kuhs 6. seidzeman seitze 7. cahdexan kahdexa 8. yhdexän ydixa 9. kymmenen kymme 10. yxitoistkymmendä yxitoistakymme 11. &c. Caxikymmendä kaxkymme 20. Colmekymmend kolmekymme 30. &c. Sata 100. Tuhatt tohat 1000. Wiisi tuhatta wijstohat 5000. Sata tuhat saddetòhat 100000. &c.

CAP. XI. De Livonica ac Lettica Lingg.

Vt autem Æsthnica dialectus a Fennica non parum differt, ita vicissim ab illa Livonica (quæ in Livonia strictissime dicta vulgo est usitata) nonnihil recedit. Quo idiomate Prutenos gentiles usos etiam fuisse testis est Alexan. Cagnin. in Prussiæ descriptione. Eadem tamen est in fundamento cum Fennica lingua. Sed Lettica, quæ etiam Curetum est, ab omnibus aliis diversa deprehenditur: Ex singulis tamen aliquid mutuata. Unde & Farrago variarum lingg. dici solet ac potest. Hic enim *Dieus* Deus est, *Kungz* Rex vel Dominus, *Gaspis* Domina, *dien* dies; *rijt* mane, *vvacker* vesper, *Seimenetz* rusticus & Paterfamilias, *sewa* rustica, *meit* puella, *Vier* vir, *Mais* panis, *Pataok* villum, *Ols* cerevisia, *seli* via, *naut* pecunia, *korsu* caupona, *liela* magnus. Hinc *Liela Kungz* Magnus Dominus, Rex, *liela gaspis* magna domina, *laba* bonus, ut *laba rijt* bonum mane, *laba dien* bonus dies, *laba vvacker* vel contracte, *la vvacker* bonus vesper, *pecus* piger, *Es grib gulat* ego dormiturio, *Tu ihr pecus*, tu es piger, *Dot mon mais par naut*, Da mihi panem pro pecunia, *Dot mon ols*, da mihi cerevisiam &c. *Dot mon zeret*, da mihi bibere, *Ihr Kungs moja?* est Dominus domi? *Kreutzer rvvk* sinistra manus, *laba rvvk* dextra manus &c. ubi latina vocabula, Suetica, Fennica, Gallica &c. agnoscere est.

CAP. XII. De Lappica seu Lapponica Lingg.

Vt gens Lappica ex Fenningia orta videtur, (ubi quædam Parochia *Lappo* dicitur) ita lingua etiam con-

congruit; quamvis nonnulla itidem Suetica admixta sint vocabula. Prout ex libro A b c dario, Lappice excuso patet. E. g. *Oratio Dominica.* Akie mijan jocko le almen. Passen hiedta tuun Namma. Quäikepääte tuun Ryke. Hiedta tuun willio, naukockte almen, naw ai ädnemen altne. Myan päiwepäiwen Laipem watte myn vdnin. Ja läite myn myan suttuäid audagasin naukochte ai mya läitin myan welgolagiaitan. Ja äle nyam laidi tocko kiäggielabma, mutto wall warlele myan pahast, Amen.

Ubi Suetica sunt. *tuun tin*, *namma nampn*, *Ryke*, *willio*, *läite* (Suet. *færlæt*) *läitin* (*færlatum*) *laidi* (*leed*) Fennica plura: *Myan* (*meidan*) *jocko joca*, *paiwwepäiwen leipam*, i. e. *jocapäiwaenen laipen*. *Ja ale* Fenn. item sunt: *mutto* (*mutta*) *wariele myan pahast*; F. *wariele meita pahast eter.*

Sic quoque in Symb. Apost. *Jubmelen*, F. *Jumalan*, *Skapui*, Suet. *skapare*, Fennicam etiam terminationem in propriis Lapponica servat; ut *JEsusin CHristusin*, *Pontiusan Pilatusan &c.* *Parnan*, filium a Suet. *Barn aslanum*, Suet. *aslader*. *Waltne*, vel a Suet. *Wald*, vel Fenn. *Walda*. *Rassinaulitun*, Fenn. *ristinaulitun*, crucifixus. *Kalmad paiwen*, Fenn. *colmandena paiwana &c.* Non pauca tamen quoque reperiuntur vocabula, quæ ex aliis linguis deduci nequeunt. In Catechesi etiam ab Umensi Pastore, in scholæ ejusdem loci usum, Anno 1637. luci data, pariter multa colligere licet: Suet. *mensk*, *Predickstuwa*, *ordnugg*, *salogbeten*, *Dæpelsiis &c.* Fenn. *murreben*, *kaick*, *kuste lie*, *lucki*, *waste*, *monnai*, *therpes*, *julle*, *luckiowat*, *taida*, *toiwolhi*, *pergelen*: & sic consequenter. Quæ harum linguarum peritis eruenda potius relinquo. Ne mihi, quod Pontano, viro eruditissimo in descript. Dan. p. 507. contingat. Is enim in Orat. Dom. Fenn. non modo *Leipa* a germ. *leib* vel *lieb*, aut Goth. *lijff* deducit; sed & *welgolistem* a *wollgelusten*. Quod Fenn. ling. gnaris risum movet. Cum a *welca*, i. e. debitum descendere manifestum sit. Et in eadem precatione legitur: *Anna meidan*

dan welcamme andexi, i. e. da nostris debitis veniam. Tam arduum est, imo periculosum, de ignotis ferre judicium.

CAP. XIII. De Ruthenica Lingua.

Est & in Kexholmensi ditione, Moscoviæque confiniis, lingua Ruthenica usitata; quæ a Polonica dialecto, paulo longius quam Bohemica, recedit. Difficultatem auget scripturæ diversitas: Hæ enim romanis utuntur literis; illa peculiares habet, cum græcis magis convenientes; quarum isthæc nomina sunt. *Aas* i. e. *A* quod cum ᛅ runica pictura congruit, nisi quod duas lineolas, pro una ad sinistram protendat, sic ᛅ scriptum. *Buki*, *b* h. m. Б scribitur. *Wiedi w* scriptura parum a litera B differt. *Galgol g*, ut Γ pingitur. *Dobro d*, ut Δ productis sursum ac deorsum, ab angulis, lineolis; sic Д. *Jest*, *je* vel *e*, sic Є notatur. *Szyvviet ß* (*s* spumosum) Ж. *Selo S* fere ut S Sueticum, valde incurvatum. *Semlia z* prorsus, ut Z vel ʒ pingitur. *Jse j* ab H saltem differt, quod transversa combinans lineola, laterales in angulis magis acutis attingat, sic И. *y* valet *ij*, & est I duobus collateraliter suprapositis punctualis, ita ï. *Kako*, *k* plane ut K. *Liudi L* Л est. *Muißlet m* M crura inferius dilatat. *Nasc N* N ubi lineola connectens summum aut imum non attinget, sed contrario modo, ac in lit. *Jse* ducitur. *On O* vel *å* ut O scribitur; non tamen rotundum, sed ovali figura. *Pokoi P* est Π perpendicularibus minus distantibus. *Ertzui R* a græc. ρ scriptura haud multum differt. *Slovvo ſ* vel *c* ut C, propius tamen coeuntibus extremitatibus, & ostium comprimentibus; vel ut *c* Suet. *Tvverdo t* ut T vel m. *Iku*, ut ꙋ linea dextrorsum altius producta. *U* est *u*, fere ut *υ* græc. vel *ou*. *Fert f* ut Φ græc. *Chier ch* ut X. *Ot*, id est *ot*, fer-

ferme ut ω̂, sic ѿ. *O o* eadem pictura, absque circumflexo. *Tzui, tz* ut U producta subtus, ad dextram, lineola. Sic Ц. *Tzervv, tz* Y græc. ν non multum dissimile, vel Ч. *Sca sc*, m transversum inferne cohærens sic ш. *Scha sch* eadem pictura, producta intermedia deorsum linea, ut trifurcam repræsentet, sic щ. *Jor* proprium habet linguæ sonum, & scripturam ferme ut Z, nisi quod promuscidem demittat, caudamque in dorsum, per angulos rectos, reflectat, sic ъ. *Jerui ui* ut b I. *Jer* sic b scribitur. *Jat Je*, similiter, transeunte superne linea & rostro antrorsum propendente, sic ѣ. *Je e* ut *E* transversum sic э. *Ju ju* I & O per lineolam maccaph cohærens sic ю. *Jus ju* triangulus est propendentibus decussatim & in medio tribus lineolis, ѫ. *Ja ja* partim ad H partim ad A, scriptura irregulari accedit; sic ѩ. *Ksi ks* fere ut *Z* coronatum caudam tortuose crispans, h. m. ѯ. *Psi ps* græc. ψ est; sic ѱ. *Phita ph* bilancem repræsentat, ѳ. *Ysiza y v* græc. est duabus lineolis, a sinistra dextrorsum, supra notatum sic ѵ. Istæ sunt literæ Ruthenicæ linguæ: Cujus uberiorem declarationem suis etiam cultoribus relinquo.

CAP. XIV. & ultimum.

Libri hujus conclusionem continens; Ubi aliqua etiam de Syntaxi & Poësi.

Atque hæc brevissime de literis & linguis sub Corona Sueo-Gothica, olim & nunc, apud vulgus etiam usitatis: Docti enim in Scholis, Gymnasiis & Academiis

miis, Hebræam quoque cum cæteris orientalibus, egregie excolunt; Græcam ac Latinam exactissime callent. Gallicus vero & Italicus sermo, nec non & passim Hispanicus in regia & magnatum aulis sonant. In urbibus non raro etiam Scotica, Anglica, aliæque dialectus exoticæ audiuntur: Germanica tantum non vernacula est. Audivi etiam inter plebeios quandam materni idiomatis detorsionem, aut insertis quibusdam syllabis, aut usitatis transpositis; aut literis inverso ordine positis, ut, *Navv* pro *vvan*, *Gad* pro *dag*, *Aiggil* pro *liggia &c.* Quam vel joci & lusus gratia adhibent, vel ne ab aliis, hisce non assuetis, facile intelligantur. Talis hic in Fenningia est *Rengonkieli*; Ubi in dissyllabis posterior syllaba in priorem locum transponitur; In trisyllabis media primo loco, tertia secundo, prima ultimo effertur. In polisyllabis modo penultima, modo antepen. primum locum occupat; & sic consequenter. Ut, pro *Puhn minun casani*, id est, loquere mecum, Reng. *Hupa nunmi samca*. Pro *Waldacundas*, Reng. *davvaldascun*, quæ tanta celeritate efferunt, ut a nemine nisi hic exercitatissimo intelligi queant, utcunque fennicæ linguæ gnaro. Sed hæc λεπτολογία tantum est, nec peculiaris ling. nomen meretur.

Syntaxis Sueo-Gothica & Germanica, non secus ac Orthographia & Etymologia, maxima ex parte convenit; a latina non multum recedens. In Poësi rythmus fere hactenus, non habita ratione quantitatis, qualiter & in Hebræa lingua fuit usitatus. Fenni præter rythmum & lamdaismum, ubi eædem initiales lit. continuantur, ut, *Pojat parat pauhakam;*

Neitzet nuoret ilotcam;

Wanhat wahvvast vveisatcam;

neque ullum carmen agnoscunt. In quibus omnibus una antiquitus melodia fuit. Dicebantur & olim *Runoi*, ad imitationem Runarum Sueo-Gotharum.

Tot, tam diversis, linguis hæc *Regna* loquuntur,
Utilia his homini, grata sonantque DEO.

LIBER IV.

De Genio & Moribus Populi Sueo-Gothici & Fennici, &c.

CAP. I. De Exoticorum Testimoniis.

Pauca exteri de nostratium moribus prodidere, nec tamen omnia satis æqua: Illius causa fuit ignorantia; Hujus livor, teste Joh. Ludov. Gothofr. Archont. Cosm. de moribus antiquis Suec. & Gothorum; hisce verbis: Leges eorum docent, satis eos civiles & Politicos fuisse; Et si quid contrarium huic laudi a cæteris perscriptum fuit, id potius amore suarum consuetudinum, & odio victorum dominorumque ab iis factum fuisse, qui non aliter clades suas quam victricis gentis vituperiis ulcisci potuerunt. Militiæ gloriam prisca & moderna experientia satis asserit. Unde Poëtis olim Mars Gothicus dictus. Et idem Gothofr. cit. loc. sic infit. Celebratissimæ illæ in historiis nationes Gothorum, quæ e Suecia vicinisque regionibus magno numero egressæ diversis se orbis partibus infuderunt, satis ostendunt, quodnam fuerit illarum gentium, quæ ingentem illam peninsulam Scandinaviam veteribus dictam incoluere. Ingenium, robur & bello virtus. Gothi enim, inquit, vel soli docuere non posse se torpere ocio & inertia, cum instar numerosissimorum examinum deserta patria, non cæteras duntaxat Europæ partes, sed ipsam Italiam, reginam gentium invaserunt, obtinuerunt, & longo tempore ibi dominati fuerunt. Crudeles eos fuisse fatendum est; (Quis miles nisi fuso cruore?) Non tamen adeo barbaros, ut vulgo creduntur, quod apparet ex ratione & modo, quem observarunt in occupandis provinciis, uti & ex cæteris eorum factis; inprimis ex Epi-

Fpiſtola Sidonii Apollinaris, ubi deſcribit geſta & mores Theodorici Regis. Saxo etiam non uno ſaltem loco bellicas Sueo-Gothorum laudes inculcat. De quibus alibi. Nec non Adamus Bremenſis. Joh. Bot. in Orb. Amph. ſic ait: Sunt Sueci moribus ſimplices, ſincerique ambitione non flagrant, nec ſtimulantur ab avaritia. Aphon. chartag. de Goth. citante Paulin. ſcribit: Sunt naturaliter magnanimi & audaces, ingenio faciles & ſubtiles, in propoſito providi & conſtantes, geſtu & habitu approbandi, viribus præpollentes, ſtatu ardui & proceri, duri vulneris & manu prompti, corpore validi, membris apti, diſpoſitione compoſiti. Quibus concinuit Lucanus.

Contemnunt mortem laudato vulnore Gotthi.

Sic Hadr. jun. illud Heſiodi Dalekarlorum genti applicuit:

Prælia, quæ pluris ducit quam fercula menſæ;

Quibus ludus eſt nuda capita gladiorum ictibus exponere: quod omnia habeant ſpiſſiſſima duriſſimaque &c. Nec fotitudinis, tolerantiæ, animoſitatis & ingenii ſolum: quin etiam humanitatis, temperantiæ, hoſpitalitatis & fidei teſtimonia vel apud exteros occurrunt; præcipue M. Adam. Brem. Uxorum tamen pluralitas, de qua dicit, jam plane incognita. Alterius vero conjugem cognoſcere, aut virginem vi comprimere adhuc capitale eſt. *Högm. B. L. L.* 5. Cap. *St. L.* 3, & *Edzör B.* 12. c. *L. l. St. L.* 11. &c. Pariter & alterum ſpoliare. *Edzör. L. l.* c. 40. & *St. l.* 23. Nec minus vere Honorius ac Gothofr. valida & robuſta corpora, ingenia ad quasvis artes, ſcientias & linguas capeſſendas idonea deprædicant. De habitatione ſub eodem tecto cum gregibus, undiquaque verum non eſt: Niſi quod in Smolandia, ubi pecuariæ maxime ſtudetur, vulgus porcellos & vitulos, ut melius curentur & creſcant, in hypocauſtis ſubinde alat. Priſcam ſimplicitatem non parum remiſiſſe, ut idem ait, nec eam nunc credulitatem,

 aut

aut profusam hospitalitatem, sine refuso precio, quæ olim magno sæpe damno fuere, amplius vigere non diffitendum. Nulli latrones & grassatores (aut certe rarissimi.) Balnea frequentia, utrique sexui communia. Mulieres modestæ, intelligentes, sagaces & abstinentissimæ. Panis ex tritico, siligne, aut etiam hordeo; ex quo usitatius cerevisia coquitur. Nec pauperrimos in magna annonæ caritate corticibus, in farinam redactis, aut radicibus, victitasse pœnitet. Cum panis iste stomachum roboret; robustosque & validos efficiat. Carnibus ut abundant, ita magnam partem sale condiunt & fumo macerant. Vitulina Sueci raro, Fenni minime vescuntur. Piscibus itidem tam recentibus quam salitis atque induratis utuntur. Lappi frigoris duritia hyeme, ut Fenni aliique ☉lis calore, vere & æstate, absque sale exsiccant. Butyrum caseumque eo dignantur honore, ut hinc finiant, inde cœnam & auspicentur (non e contra, ut ille ait,) & finiant, adeoqne subinde continuent. Pisorum etiam, fabarum & brassicæ usus frequentissimus; nec minus raparum in Fenningia. Amictus plebejorum simplex, vestitui rusticorum in Lombardia (quæ gens hinc orta) non valde dissimilis. Prælonga Fœminarum pallia nigra, densissimis plicis corrugata: (Nunc plane in desuetudinem abierunt. Omnia repetere brevitas hic vetat.) Rustici arma gestant clavam aut securim; Nobiles eorumqne servi atrienses (item milites) gladios & tormenta minora. Domus eorum (exceptis templis ædibusque sacris, quæ sunt e lapide) fere e lignis constructæ sunt, aliquanto tamen meliores & fabrica durabiliore quam Polonorum campestrium mapalia. Invenies tamen etiam oppida, quorum domus pleræque sunt e lapide structæ. Stubarum (Suet. *Stuffvvor* vel *Stuger*) seu hypocaustorum in his usus non est tam frequens, quam caminorum; quorum est ea ratio, ut combustis & in candentes carbones redactis lignis, adducta lamina ferrea ab summo orificium

oc-

occludi possit, iterumque cum lubitum, aperiri. Hæc breviter ex Honorio & Gothofr. excerpta. De ingenio Suecorum, hæc P. Bertius Com. rer. germ. l. 2. c. 16. habet. Natio omnis Sagax, industria, artium discendarum avida, exercendarum gnara, sobria etiam & attenta: quo fit, ut ad centesimum trigesimum aut quadragesimum annum vitam quidam prorogent. Concludit Thomas Lansius Consult. de principatu inter provincias Europæ, his verbis: Magnifacio Suecos, quia candidi & recti amantes. Claudam & ego hoc Caput elogio C. Erasmi Mich. Læti, in rerum Danicarum libro 2. p. 57. ubi de moribus & ingenio Gothorum sic habet:

Interea si quid reliqui est virtutis & usus
Antiqui solis velut insita munera Gotthis
Esse supervideas. Non se versutia, non se
Luxus & inviso consperse licentia fuco
Venditat; est genti, ceu notum est omnibus æqua
Simplicitas morum: Studium bene velle mereri
Et nihil effræni miscere paterna tumultu.
Vestibus a primis manet una parentibus orta
Integritas, rectumque colit priscisque quiescit
Moribus & Regum, quæ sunt mandata, veretur.
Gens sane ad dandum promptissima, cujus abuti
Interdum videas aliosque aliosque benigna
Prælargaque manu claris dum damna malumque
Pro meritis præstant, odiumque in præmia reddunt &c.

CAP. II. Collationem exhibens morum Sueo-Goth. & antiquorum Germanorum. Ex Tacito lib. de morib. &c.

Suecos & Gothos Germanosque ejusdem esse originis & unam a primordio gentem, ex superioribus de orig. & ling. colligitur. Quod & mores iidem confirmant, qui in ipsa radice diutius & adhuc hærent: Quippe quod Tacit. de Germ. Carmina antiqua unum esse memoriæ

& annalium genus, ait; idem de Sueo-Gothis verum olim fuisse sup. l. 2. c. 2. memini, & Joh. M. c. 7. præf. hist. Goth. confirmat. Quem morem ad proxima his secula continuasse testis est Ol. M. l. 1. c. 36. & lib. 11. c. 1. ubi atrocissima bella, ad pontem *Rotebro*, non procul a regia Holmensi gesta, Rythmis in conviviis cantari solita, commemorat. Nec nostra etiam ætate mos ille inauditus. Quidam autem licentia vetustatis plures Deo ortos; Scilicet ex Thorone (*Thor*) Magogi primogenito, Deorum maximo, Othino, *Oden*, *Frigga &c.* Joh. M. l. 1. c. 9. Pluresque gentis appellationes; Sueonum seu Suecorum, Gothorum, Vandalorum, Vinilorum, Gepidarum, Longobardorum, (vid. Joh. M. præf. c. 7. & l. 1. c. 23.) quæ omnia ferme Germanorum nomine antiquiora; Quod vocabulum recens & nuper additum, Tacitus ipse asseverat. Truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora & ad impetum valida; Prout adhuc cernuntur: minorem laboris atque operum, patientiam mollius solum ac cœlum dedit &c. Pecorum numero gaudent: Eæque solæ & gratissimæ opes, ruricolis Sueciæ adhuc sunt, (unde opes in jure *Fæ* dicuntur, cap. 9. *Kæp. B. Ll.* rubric. c. 5. *St. L.* eod. c. 27. *Ting. B.* &c.) Auri possessione & usu haut perinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, non alia utilitate, quam quæ humo finguntur aut ligno; poculis sz. cochlearibus, pateris. Ob usum tamen commerciorum aurum & argentum nunc in pretio habent: Etsi non raro simplicius & antiquius mercium permutatione utantur. Pecuniam probant veterem & diu notam. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, quia faciliori usui est. Quod de armis, equis & peditibus habet quadantenus etiam quadrat. Definitur & numerus: centeni ex singulis pagis sunt: idque ipsum inter suos vocantur. Et quod primo numerus fuit, jam nomen & honor est. Indeque territoria *Hundari* dicta Leg. Upl. tit. de Reg. c. 10. §. 1. 7. 10. 13. 21. &c. Corpora suorum etiam in dubiis

biis præliis referunt. Testis est multiplex experientia. Scutum reliquisse præcipuum flagitium; Artic. militar. 60, 61, 64, &c. Reges ex nobilitate, c. 3. §. 1. *Konung: B. LL.* duces ex virtute sumunt. LL. Westg. tit. *Ratlæsa B. Bondasün skal Lagmader wara.* Nec regibus infinita aut libera potestas: quod ex c. 4. de Rege, jur. prov. liquet. Quomodo etiam nostra memoria matres vulnera numerare aut exigere plagas non paveant; quamque longe impatientius fœminarum suarum nomine timeant mariti, & pignorum, pluribus exemplis ostendi posset. Sanctum etiam aliquid, & providum inesse imbelliori sexui nostra ætas notat. Humanis quoque hostiis litare fas habuere majores nostri; Joh. M. l. 1. c. 12. Lucos & nemora consecrarunt. Vid. Adam. Brem. in descr. Scand. Auspicia sortesque pariter observarunt. Herbis ex lucis collectis etiamnum nonnulli, superstitiose, equos alunt. De minoribus (quotidianis) rebus principes consultant, de majoribus (pace, bello, legibus, tributis, in Comitiis) omnes. Ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Ppes pertractentur. Coïerunt olim certis diebus: Cum aut inchoatur luna aut impletur, puta in conventu Disano, Upsaliæ *Dijsting* conf. D. Locc. Antiq. Sueog. l. 1. c. 4. Nec dierum numerum, ut Romani, sed noctium computant; c. 2. 7. 8. de fundis jur. prov. &c. adde D. Loc. Antiq. cit. l. 1. c. 4. Scilicet nox ducere diem videtur. Mox, ubi convenerint, Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam jubendi potestate. Prout hodie fit in comitiis. Sin placuit. Exemplum vide ex conventu Disano, sub R. Olao *Skot-Konung*, apud *Sturleson*, pag. 218. Licet apud concilium accusare quoque & discrimen capitis intendere. In comitiis vel infimæ sortis civi gravamina libere excutere hodiernum licet. Distinctio pœnarum ex delicto adhuc viget. Scelera ostendi oportet dum puniun-

niuntur, hinc ſuſpendium, c. 1. de furt. flagitia abſcondi, hinc viva defoſſio, c. 5. & 14. de flagitiis *Hægm: LL.* Sed & levioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti multantur. Pars mulctæ regi vel civitati, pars ipſi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exſolvitur. Quod jus Suec. pluribus locis inculcat, de mulctis tripartiendis inter actorem, univerſitatem & regem, c. 13, 14, 16, 17, 25, 26, 28. de Rege, jur. prov. & ſimilia. Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. De legiferis & territorialibus judicibus eligendis, c. 1. & 2. *Ting: B.* huc non male quadrant. Quomodo ante tradita arma domus pars viderentur juvenes, mox reip. Et quomodo ſuffecturum probarit, ac deinceps Princeps vel pater ſcuto frameaque ornarit; Vid. Ol. M. lib. 8. c. 9. Inſignis nobilitas aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adoleſcentulis quomodo nunc aſſignant, cuivis in propatulo eſt. Cum ventum in aciem, turpe Ppi virtute vinci; turpe comitatui, virtutem Ppis non adæquare: Quæ & ſequentia jugis experientia applicat. Principes pro victoria pugnant: Comites pro Principe. Quod vel unius R. GUSTAVI M. exemplum illuſtre facit. Si civitas (Patria) in qua orti ſunt, longa pace & otio torpeat, (imo etiam ſi bellum habeat) plerique nobilium adoleſcentium (quales hujus ſeculi aliquot nominare poſſem) petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum gerunt. Ut olim Græciam, Ungariam, nuper Belgium, &c. Quia facilius inter ancipitia clareſcunt. Et adhuc nobilioribus Pigrum & iners videtur ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare. Mos eſt civitatibus equitium vel armentorum vel frugum ſubſidia conferre principibus, ut neceſſitatibus ſubveniant; *Kong: B. Upl. L.* c. 10. & 11. *Helſing:* c. 11. eod. jur. com. c. 5. §. 3. & 4. Vicos locant; Suam quisque domum ſpacio circumdat. Prout ruri videre eſt. Solent & ſubterraneos ſpecus aperire, eosque multo inſu-

super fimo, vel terra, onerare, suffugium hyemi & receptaculum frugibus: Quibus etiam rapæ & radices per mediam brumam asservantur. Tegumen sagum, fibula, (fœminis rusticis argentea) consertum. Veste utuntur stricta & singulos artus exprimente; Qualia adhuc Femuralia Dalekarlorum, Rossagiorum, Sudermannorum, & Nerikiorum quorundam & similia. Fœminæ sæpius lineis amictibus velantur; *Dook* & *Huffwudklade* appellamus; nudæ brachia & lacertos, operibus præsertim domesticis occupatæ. Singulis uxoribus contenti sunt Sueo-Gothi. DOTEM non uxor marito, sed uxori maritus offert. Quod cap. 9.10. &c. tit. de Nuptiis jur. Suec. & quotidianæ experientiæ congruit. Munera boves & frenatus equus &c. c. 7. in pr. eod. tit. Numerum liberorum finire, aut quenquam ex agnatis necare flagitium habetur, c. 2. *Hægm: B. Ll.* &c. Sua quemque mater uberibus alit: Prout adhuc tam in oppidis quam ruri usitatum. Dominum ac servum (inter rusticos & artifices) nullis educationis deliciis dignoscas. Heredes successoresque sui cuique liberi: & nullum testamentum. Quasi hæc ex antiquo jure Sueo-Gothico petita essent. Uti & sequentia: Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fratres, patrui, avunculi, c. 1. & 2. de hered. jur. Suec. Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui, quam amicitias necesse est. c. 3.4. de homicid. voluntario. Convictibus & hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur. Quod ex sup. cap. & experientia clarum. Lavantur, sæpius calida. De lotionis & balneorum frequentia pariter constat. Tum ad negocia, nec minus sæpe ad convivia procedunt armati. Memini me in Gothia australi, longiori bombarda, *Gyinga-Bössa* vocant, brevioribus item e cingulo pendentibus, nec non securi manuaria, gladio & prælongo cultro simul & semel instructos vidisse; quibus inimicos eminus & cominus excipere solent. Crebræ ut inter vino-

len-

lentos rixæ raro conviciis, sæpius cæde & vulneribus transfiguntur. Nec cerevisiam aut convivium, ad fines Gothiæ, laudant, nisi cruore etiam crateres rubescant. Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, &c. plerumque in conviviis consultant. Nostrates *Gilleftugur* vocant. vid. Messen. Specul. c. 32. ex Ol. M. Potui humor ex hordeo aut frumento &c. adhuc usitatissimus, rite coctus vino non cedens, vulgo cerevisia dicitur. Cibi simplices, caro, lardum, pisces, lac, butyrum, caseus, ova, &c. His sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. Genus spectaculorum unum; Juvenes inter gladios, se atque infestas frameas saltu jaciunt. De quo ritu Ol. M. l. 15. c. 13. ad hæc usque tempora, etiam in literariis ludis, frequentato. Fenus agitare & in usuras extendere, ad nostrum usque seculum, ignotum: Paucissimis etiamnum usitatum. Arva per annos mutant. Sola terræ seges imperatur. Funerum nulla ambitio; Quod vel adhuc cœmiteria testantur. Lamenta ac lacrymas cito; dolorem & tristitiam tarde ponunt. Fœminis lugere honestum est: Viris meminisse. Nec adhuc facile virum muliebriter illacrymantem videris. Ita Sueo-Gothi adhuc mores antiquos servant! unde & Germ. fratres; & in stipite remanere, quod in ramis passim exaruit, manifestum evadit. Coronidis loco: Quæ de Fennis idem Tacit. sub calcem lib. notat, maxima ex parte, nunc temporis falsa sunt. Sic enim ille: Fennis mira feritas; Cum tamen eorundem docilitas & mores ad civilitatem non inepti, cum domi tum foris hodie satis innotuerint. Immo Jornandes Goth. Finni, inquit, mitissimi Scanziæ cultoribus omnibus mitiores. Et de Æsthiis, qui Fennorum ut linguam ita mores participant; Idem Jornand. scribit: Æsti pacatum hominum genus omnino. Quem & citat Cluv. germ. antiq. lib. 3. cap. 44. Fœda, inquit ille, paupertas. Quas vero & quantas teneant divitias, commodius lib. 6. attingetur. Non arma, non equi, non penates ait. Hæc

a

a modernis moribus alienissima esse cuivis notum. Quin & hæc & sequentia melius Lappis congruunt. Victui herba, vestitui pelles, cubile humus. Talis etiam erat vita protoplastorum, & antiquissimorum hominum. Verum hæc & cætera in Lappos, uti dictum, magis quadrant. Fenni enim & arma optime tractant, & equos robustissimos alunt; & domos solerte ædificant; pane & carnibus ac piscibus, cæterisque eduliis quotidie fruuntur, & panno vestiuntur, & pennis avium, indeque culcitris mollissimis, ditiores præsertim, non destituuntur. Quod vero non sagittis, nedum ossibus asperatis, sed sclopetis & gladiis utantur, hostes qui fuere testimonium perhibebunt. Eademque fides in reliquis. Sed non mirum ista ætate cum adhuc gens minus nota, & ipsum ex dubii fama aliorumque relatu scribentem longius a vero authorem aberrasse.

CAP. III. De Genio & Moribus Sueo-Gothorum ex domesticis historiis antiquioribus.

Ericus Ubs. l. 1. Est Gothorum genus ambitiosum, & avidum exaltari, (Magnanimum & laude digna gerere cupidum, intellexit, uti & dicere voluit, certe debuit, interprete Joh. M. lib. 4. c. 14.) Sed quod ad regendum plerumque ineptum dicat; experientia, domi & foris, clara facile refellitur. De dissensionibus & partialitate, quæ subinfert, discordias potissimum Suecorum ac Danorum, imo & Gothorum ac Suec. sub diversis regibus, ex electione reg. & horum tyrannide ortas innuit, ceu contextus indicat; quas nunc radicitus extirpatas gaudemus. Suecos, præcipue Uplandos, ut tepidos, segnes, moribus & conversatione distortos, rusticam potius operi quam arduis rebus intentos, curialibus & militaribus negociis Ppumque obsequiis minus aptos, lib. 3. minus candide notat. Neque enim horum ingenio sed Regibus exteros exaltantibus & indigenas contemnentibus ascribendum; quod arduis ne-

negociis tum non sint adhibiti; prout vel ejusdem Hist. testatur. Unde & periculosi Folchungorum motus occasionem habuerunt, ut lib. 5. p. 366. &c. innuitur. Æmulationibus Suecorum R. Christoph. abusum eos l. 5. p. 361. & seqq. nec non Joh. M. l. 22. c. 21. indicasse. Invidiam vero multa præclara impedire non diffitendum. Fidem Suec. erga R. Carolum elevat. Sed ejus causam in extraneos, merito rejicit. Nulla igitur hujus Historici authoritate Sueo-Gothis macula jure aspergi poterit.

Joh. M. l. 7. c. 7. Nulla gens Suecis tardior ad iram, nec acrior ad vindictam. Lib. 20. c. 3. Nobiles Suecos tardioris ingenii, at veracioris, quam exteros, ait. Qui si nunc viveret, tarditatem, credo, non exprobaret. l. 22. c. 10. Sueco & Gothos semper ad pacem paratos testatur. Et c. 3. Gothos taciturnitate res arduas aggredi. lib. 21. c. 13. Suecos popularem Regem amare scribit. Item Sueones ad verbales injurias omnium mortalium impatientissimos esse: Confestim enim injuriosa verba verberibus compensare solent. Idem etiam Ol. M. l. 7. c. 20. atroces injurias vehementi spiritu & studio Gothi vindicare solent. Priscam tamen Suecorum simplicitatem, idem Joh. M. lib. 18. c. 7. &c. l. 22. c. 11. & passim non dissimulat. Fortitudinem l. 20. c. 11. alibique: Et hospitalitatem ac liberalitatem l. 4. c. 2. jam notissimas, dilucide depingit.

Ol. M. totus fere est in septentrionalium natura, moribus ac diversis ritibus exponendis. De stadio cursus, *S. Stephans Skede*, aliisque glacialibus itineribus & hospitiis: glacie aperiunda, ne pisces in stagnis suffocentur. De tædis ceu faculis pineis, Fenn. *Pärta*, vulgo usitatissimis, nundinis glacialibus, quales Ubs. Disanæ, Stregn. aliæque. Pœna servorum gelida aqua: modo ædificandi & agricultura; trituratione ad ignem; & modo fruges siccandi. Infantum cunis in agris ex arboribus pendentibus. De hydromeli, musto seu mulso,

Smo-

Smolandis *Mölska*. Ptisanæ præparatione; specimine recentis cerevisiæ, *Buska*; & quomodo antiquitus solæ fœminæ cerevisiam panesque mundissime & aptissime coquant. De variis vasorum & craterum generibus. Pateris Gothorum, *Wastenaskälar*. Ratione salis coquendi olim usitata. Butyro & caseis horumque diversitate & magnitudine. Distinctis sexus laboribus. Ponderibus, mensuris; textura, pictura & reliquo ædium ornatu. De vestitu mulierum; ornatu virginum, Nuptiis illustrium & plebeiorum. Pœna adulterii. Judicandi, jurandi & castigandi ritibus; atque educatione & disciplina puerorum. De variis corporis exercitiis; Balneis, cum nuptialibus, *Brudebadh*, tum aliis. Ecclesiastica disciplina. More in memoriam S. Triados bibendi. Armis viatorum, quæ in templi vestibulo (*Wapnhuset*) seponuntur. De carnibus salitis, fumo & vento induratis, *Spickekött*. Donis neonymphis offerri solitis. Varia venatione, aucupio & piscandi ratione: De apum cura, & medicina septentrionalium: & similia quamplurima; Quæ omnis Synopseos brevitas non admittit.

CAP. IV. De recentiorum testimoniis.

Ingenia, mores & consuetudines Suecorum, in tabula orbis arctoi, Andreas Buræus satis apte depingit. Nec multum dissimiliter ab iis, quæ supra allata sunt. Idoneos nempe ad quasvis scientias, linguas & artes. Mores simplices ac innocuos, sine libidine & superbia; Præsertim ubi exterorum vel vicinorum contagione nondum inquinati sunt. Vestitum plebejorum parabilem; nobilium ad exterorum accommodatum. Ædificia lignea, magis quam lapidea. Quæ tamen etiam satis magnifica non desunt. Victum, qui & ante notatus. Conjugia pudica & sancta; nec sine tutorum authoritate nubere licitum. Adulterium capitale. Filii mortuis parentibus, proximi heredes; cum quibus nepotes, in stirpes, succedunt. Si nullus defuncti heres in

er-

regno, nec ante annum & noctem venerit, bona fisco cadunt; quod *Danaarff* dicitur, &c. vid. descript. Suec. in Belg. editam.

Nec minus vere D. Joh. Loccen. de antiq. Sueo-Goth. scribit. Ea est indoles populi Sueorum, ut malit duci quam trahi: & leni suadæ gravitate decenti temperatæ argumentisque instructæ, se faciliorem, quam aspero imperio & extorto obsequio præbeat; adversus vim pervicax obnitatur. Idem l. 1. c. 19. De agricultura, agrorumque fundorum & sylvarum distinctione; furto segetis: De honesto ruris & pecorum cultu; Et ruricolis; sic concludens. Eo sunt ingenio, ut nec integram libertatem, nec integram servitutem ferre possint. Itidem de veterum frugalitate in vestitu; Rhenonibus; civili & decoro habitu. c. 20. De victu & valetudine veterum, deque eorum conviviis; ubi magistratus ac bene meritorum, & ipsius Dei memoriæ libare, nec non majorum res gestas decantare mos inveteratus est. Deque hujus ritus causa & fructu. c. 22. De hospitalitate & convictu veterum Sueo-Gothorum. c. 23. Ludicra & scurras non ferentium. c. 24. De nuptiarum ritibus, adulterii & stupri pœnis. c. 25. de ritibus funebribus & sepultura priscorum Sueo-Gothorum, &c. Nec pauca etiam D. Paulin. Hist. arct. lib. 1. c. 42. habet, quæ ibi videantur.

CAP. V. *De Septentrionalium horum moribus in genere, ex ipsa experientia.*

Fœminæ duræ sunt, sæpe in agro sine obstetricum ope partum feliciter egerentes, quem veste involutum domum portant; nec multo post, uti ante, domesticos labores capessunt. Infantes lacte materno, subinde etiam vaccino, caprino aut ovino aluntur. Nec mora; carnis pinguioris aut lardi frusta ori ingeruntur, quæ exsugunt; cibumque parentibus communem, dentibus etiam nondum instructi, deglutire addiscunt: unde

unde robur haud parum augeri creditur. Adulti, ut ante dictum, pane, carne, piscibus & lacticiniis vescuntur. Ditiores etiam rustici cerevisia & vino sublimato non carent. Vestis plebejorum ex lino, lana, aut pellibus fit; Pannum mulieres conficiunt. Ditiores tamen etiam rustici, eorumque uxores & liberi exotico, in festivitatibus, utuntur. Unde R. Joh. III. Regina Catharina Polona, Holmiæ in comitiis rusticos inter rusticos quæsivisse fertur. Cum non, ut in Polonia, vestitu vili, corticeis calceis & pileo; Sed laneis pileis, palliis, ocreis & calcaribus instructos animadverteret: Cives aut aulicos potius quam rusticos hosce sibi videri ajebat. Nobiliores autem, mercatores & milites exotico habitui sese accommodant. Et hæc inter vitia a cordatis numerantur: Exterorum admiratio, nimium privati commodi studium & sui ipsius contemptus. Vulgus ut in aliis majorum consuetudinibus, ita in prisco habitu servando, pertinacissimum est. Corporis & animi, sub veste latentium, hic genius est: Grandi & succulento sunt corpore, flavis crinibus, candida cute; robusti & vegeti; iracundi & cito vindicantes, posteaque placabiles. Humani, liberales; fidi, genio indulgentes. Linguarum, artium & scientiarum capacissimi; Nec in his ulla gens magis excelleret; nisi pluribus intenti in singulis impedirentur. Martialia ingenia produnt etiam lusus tenellæ ætatis ad militiam conformati. Ut arces nivales, hyeme; vel colliculus aut cautes, æstate, ab iis, in diversa euntibus propugnati (*FrijSlott* vocant) aut oppugnati. Nec non ludus equestris, *Ridderspel*, ubi duæ turmæ excursionem facientes, adversæ partis socios in captivitatem abducunt, donec alterutra exhausta vincatur. Neque ita captus nisi legitimo lytro, vel bona gratia, intercedente, loco se movere sustinet. Tanta etiam in ludicris, vel in hac ætate, fidei observantia! Et similia quamplurima. Ingenitum libertatis studium arguit, quod vel pauperculi, ad operam aliis locandam legi-

bus adstringendi fuerint, c. 15. *Bygn: B. Ll.* & c. 21. *St. L.* eod. Convivia celebrant hilariter; eaque in plures dies extendunt. Nuptiæ sumptibus parentum aut sponsorum instituuntur. Bibitur in memoriam Regis, magnatum & amicorum & ipsius Dei. Non in sanitatem, (ut quidam germani suo idiomate male interpretantur, in *unser Herr Gots Gesundheit*) sed recordationem (*unser Herr Gots Gedenchnus*) & gratiarum actionem. Mortuos sepeliunt, nisi scelera vetent, in templis aut cœmiteriis honeste; Campanarum sonitu & exequialibus cantionibus prosequentes.

CAP. VI. De Moribus in specie.

Clerici nunc docti sunt & devoti: Nigro vestitu, latioribus pileis & longioribus palliis, super colobiis seu tunicis, in congressibus utuntur. Sacra coram Altari peracturi, seposito pallio, laxam fere camisiam, cum ornatu missifico, (*Mæsse Haka* vocant) ex serico, auro gemmisque coruscante, induunt. Illustres ac Nobiles armis olim quam literis plus tribuerunt. Utrisque hac tempestate pariter insignes. Nec in linguis modo, quin etiam cæteris facultatibus, vel Doctoribus ipsis palmam sæpe ambiguam faciunt. Scilicet, ut Poeta canit:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Milites terra marique, pede & equo, in campo & castris ac munitionibus, sclopetis & gladiis juxta expediti. Mercatores industrii & mediocri lucro contenti, immensum non affectant. Rustici pauperes & inferioris sortis, ut vulgo agnatum, queruli; ditiores superbi & elati.

Uplandi pacifici, œconomici & ad rem attentiores sunt. Sudermanni itidem agricolæ, ingenui & humaniores. Nerikii providi & solertes. Wesmanni laboriosi duri & lucro quodammodo dediti.

Gothi, in genere, ingenio minime malo sunt; sed fa-

facilius irritabili: Ideoque ad motus procliviores. Ostro-Gothi corpore & animo belli, ob terræ feracitatem delicati, morum elegantia & ingenio nullis cedunt. Smolandis prompta omnibus arma, ac si res poscat, exercitus; ut ille loquitur. Magnanimi non minus quam ingeniosi. Nec ulla provincia plures ad Academias Studiosos mittit; pluresve doctos, Episcopos, Professores & alios, hisce duabus provinciis, subministrat. Westrogothi simplices, pacifici & constantes; Et sine impotentia quieti. Wermelandi mansueti, mites & modesti: Dalekarli duri & pertinaces, laborum atque inediæ patientissimi. Helsingi, cum Medelpadiis & vicinis, simplices, candidi & mundiciei studiosi. Angermanni pietate, humanitate, fide & sinceritate nec non ingenio præstant. Unde haud pauca summæ eruditionis lumina passim coruscant. Bothnienses præ cæteris liberales itemque ingeniosi sunt. Lappi agrestes & valde suspicaces. De quibus infra plura. Fenni non magis morum elegantia, quam fide in Reges laudandi; tenaces propositi. & litium avidi; valdeque acuti. At foris quam domi & in natali solo laboriosiores. Tawasti austeri & minaci vultu. Sawolaxi, Dalekarlis consimiliter, fodiendo & truncando peregre, etiam victum quæritant. Nylandi Suecis similes, & hospitales. Careli pertinaces. (Unde vulgo Carelicum caput dicitur, quam vere judicent alii.) Caseos non conficiunt, cum lacte abundent. Quod furno inlatum subinde assant. Ingri, Æsthi & Livoni rustici servitutem patientius ferunt. Maritimi & insulares, ut Oelandi, Alandi, Gothlandi &c. optimi nautæ & natatores sunt; qui cum ventis & fluctibus luctari pro ludo habent. Sed singula hic persequi non licet.

CAP. VII. De peculiaribus quibusdam ritibus.

Solent in Suecia, ut & hic in Fenningia, præsertim vigilia nativitatis Christi, cruces postibus & januis ascri-

bere, inque portis viarum, ubi transitus patet, cancellatim superne erigere. Procul dubio in memoriam crucifixi. Quamvis satius sit, eundem in corde quam porta habere.

Sponsos in Smolandia & alibi tympanorum, fistularum lyrarumque concentu, ingenti comitatu plebeji ad ecclesiam ducunt & reducunt. (Nobiliores, buccinis & tympanis æneis resonantibus.) Nec bombardas, honoris gratia, in tali processu explodere, australibus Gothis inusitatum. Sunt & aliæ peculiares ceremoniæ, quas hæc brevitas non admittit.

In Dalekarlia quorundam mos est, ad nuptias invitati, ut ptisanam & lupulum, pro quantitate familiæ suæ, cerevisiæ coquendæ, conferant; quæ in convivio ad mensuram bibitur, ne ullus in haustu vel gutta defraudetur. Tanta hic justitiæ observantia! cibum singulæ familiæ pro suis afferunt, & seorsim in eadem domo capiunt. Ita sponsi eorumque parentes ab omni sumtu relevantur.

Fennicæ obstetrices, infantes recens natos, calidissimo balneo inferunt; ibique in editiori loco virgis frondiferis cædunt, donec cutis instar corii ruthenici rubescat. Eodemque modo puerperas tractant. Et vulgo omnes Fenni balneis frequentissime utuntur. Unde exsilientes, vel intensissimo frigore, aquas cum glacie & nive mixtas ex puteo, rivo aut mari haustas, nudo corpori alacres & ridenti vultu superfundunt. Unde duriora genti corpora & strictiores artus esse constat. Quæ & terræ suæ solo & cœlo acrius animatur. Sed plura de his nunc brevitas vetat.

CAP. VIII. De Lapporum moribus; præsertim Kiemiensium.

Lappia Kiemiensis, quæ a Templo ipso ultra 150. mil. in septentrionem extenditur, ante annos 20. & quod excurrit, Christo nomen dedit: Sacerdotes honorat; cir-

circa festum natalitium Christi visitantes Rhenonibus procul excipit ac provehit. In tentoria, mollibus ramis betulinis, superstrata pelle Rhenonis, adornata deducunt. Accurrunt omnes inclinato corpore, ruthenico more, salutantes; h. v. *Saa terwe tulemasi Lappinmaa.* i.e. Gratulamur adventum in Lappiam. Mensa est asser humi positus; fercula piscos aridi; carnes rhenonis arefactæ; ejusque lingua ad ignem tosta; ossaque foco excalefacta, quibus diffissis medulla promitur. Hæc sine sale & pane; quam utrumque verbi ministri secum afferunt; itemque vinum: Cerevisia enim ob frigoris rigorem inutilis est. Lappi vero aquam in vasculo corticeo, potui apponunt. Hinc hospitem invitant hisce verbis: *See Lappin Ruoka, jos kelpa.* i. e. Hæc Lapporum esca, si juvat. Tentoria ex asseribus, octagona sunt, inferius latiora, 5. circiter ulnas alta. Focus in medio per tectum, semper patens, exhalat. Janua parva est, sponte relabendo claudens. Cui e regione fenestra lumen admittens: per quam ex venatione reduces primo irrepunt, frustrum carnis rhenanæ secum trahentes. In conclavi, quod intra fenestram in casa est, tres ulnas longo 1. uln. latos, quo fœminis introire nefas, vestem venatoriam deponit: hinc casam salutabundus ingreditur. Vestis quotidiana, pelliceum Lappicum (*En Lapmudd*) nudo corpori applicatum, injectoque cingulo adstrictum, ad medium femur demittitur; femuralia ex eadem materia (pelle Rhenonis) corpus exprimunt, in calceos demissa, quibus pedibus applicatis adstrigmentum additur nivibus arcendis. Hospites excepturi, longas tunicas, ruthenorum more, ex panno cœruleo, vel albo domestico (Suet. *Wadmal*) induunt. Qualibus etiam fœminæ utuntur: Cum cingulo annulis & catenis stanneis & orichalceis ornato. Hæ sedulæ sunt acu & filo, e nervis rhenonum aridis, contusis & adipe piscium mollitis, stannum etiam artificiose intexunt, prout calcei & chirothecæ, quæ hic quotidie prostant,

testantur. Adulteria & fornicationem Lappi oderunt; ipsique vindicant. Furta ignorant. Unde viatorum merces sub dio intactæ: Ne a canibus quidem læduntur, quos semper vinctos tenent; ut venatum dimissi feras avidius persequantur. Pecudes non habent, præter Rhenones: (Suet. *Reenar.*) Hi victum & amictum dominis præbent: lac, caseum, carnes, pellem &c. hi vecturam præstant. Rhedæ sunt duum generum: alterum in modum cymbulæ bothnicæ transversim dissectæ, duas cum dimidia ulnas longum, subtenso pede lævigato, quartam ulnæ partem in latitudine habente, affabre factum, *Pulca* vocant. A tergo assere clauditur, in quem vehendus (singulæ enim unum tantummodo hominem capiunt) dorsum reclinat. Ad umbilicum usque in hanc rhedam immersus, ligamine lineo vel coriaceo adstringitur. Baculum sesquiulnam longum manu tenet: quo in præruptis & lubricioribus glacie montibus rhedam retardat ac sustinet. Proræ hujus rhedæ acuminatæ, helcium (adstrigmentum villosum) per foramen innexum, sub alvo Rhenonis inter crura, ut rectum teneat cursum, continuatur: & circulo cervicem rhenonis (ex pelle villosa ejusdem animalis) cingente inligatur. Super dorsum bestiæ habenæ, una sc. lata corrigia de pelle canis marini, caput stringit: qua dextrorsum vel sinistrorsum jactata vectus cursum altera manu dirigit. Atque sic per montes & valles, super truncos & saxa, per loca deserta pernicissimo cursu fertur. Periculosum certe insuetis experimentum! Alterum Rhedæ genus, vehendæ supellectili destinatum, *Achkio* vocant: 5. uln. longum: cætera eodem modo structum. Sed undique apertum est. Unde & contra nives crudo lino muniendum. Hujusmodi *Achkios* trahentes rhenones multi, unum Lappum præagitantem, velut ducem sponte sequuntur. Plura brevitas nunc vetat. vid. Joh. M. lib. 8. c. 36. &c. Ol. M. lib. 4. c. 3. Jacobus Ziegl. in Schondia, de Lapp. Damianus a Goës,

Eq.

Eq. Iusit. de Lapp. Andr. Buræ: descript. Suec. & Isaacius Pontan. Chorogragh. Dan. de Lapp. p. 700. &c. Quod tamen de incantationibus, a Ziegl. & nodis magicis, aliisque narratur, nunc incognitum est. Nisi forte in paucis circumforaneis deprehendatur. Quos incolæ aversantur. Religionem enim Christianam Suec. subjecti imperio jam sequuntur: secus quam idem Ziegl. scribit: & Damianus conqueritur. Neque a Christianorum ceremoniis, ut de suis ait Pontanus, toti abhorrent. Id enim divina benedictione, sedula cura S. R. Majest. & pio zelo, Rev. Episcopi Aboënsis M. Isaaci Rothovii effectum, ut ultra lacum *Enaratrask*, ferme sub gr. 70. Christo nomen dederint. Quæ loca nomine ejusdem, 23. jam ann. hic Episcopi, Dn. Claudius Christ. Alanus, ante decennium visitavit. Ex cujus fida observatione, & veraci relatione, quæ attuli, excerpta sunt. Plura in majore opere, bono cum Deo, congerentur.

Antiquis steterat quondam ceu moribus ipsa
SVECIA firma diu, stabit ita inde potens.

LIBER V.

De Politica Administratione, Prisca & Moderna.

CAP. I. De Antiquissima Imperii Forma.

Principio rerum, ut aliarum gentium nationumque, ita harum quoque septentrionalium, imperium penes Reges erat. Quamvis enim prisco ævo Regnum sive inter filios regum, sive populis in diversa vota abeuntibus divisum fuerit; in singulis tamen provinciis seu minoribus regnis, subditi ad unum semper spectarunt, qui sine pari regnaret: Utut Reguli isti Ubsalensis Regis Majestatem comiter observarint, eique donaria obtulerint, unde tributarii Reges *Skatt Kongar* dicuntur; Quod monarchicam imperandi formam non tollit.

Eam quippe eſſe populi hujus naturam, ut multorum ſimul regimen averſetur; prout tam antiqua quam moderna experientia atteſtatur. Nam & proximo interregno, etiamſi nomine S. R. M. tunc minorennis, Illuſtriſſimi Regentes, ea fide, juſtitia, dexteritate & felicitate gubernarint, ut ne invidia quidem ipſa, quod vel aliquo ſub colore, carpat, habeat: auditi tamen ſunt vulgi ſuſurri, juxta illud Poëtæ:

Οὐκ ἀγαθὴ πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Penes unum proinde belli imperium, cum judicandi poteſtate, a primis temporibus fuiſſe non refragantibus hiſtoriis, merito aſſeritur. An vero coronam geſtarint antiquiſſimi iſti moderatores, non æque liquet. Nomen certe Regis, ut nunc *Konung* vocatur, diu ignoratum annales fatentur; Quæ ante Dagerum Ubſalenſem R. Domari filium, neminem iſto titulo hic inſignitum atteſtantur. Cum prædeceſſores *Drotter* dicti; C. l. VIII. c. 2. ut hodieque Regina *Drotning:* Et primus a Rege Senator, *Drotzet*, quaſi Vice-vel Pro-Rex vocatur. Quin & adhuc in quibusdam Gothiæ locis ſupremam in menſa ſedem, tanquam Regi congruam, *Dröſte*, vulgus appellitat. Hinc quoque germanorum *Truchſes*, i. e. dapifer, veriſimiliter, derivatur. Belgarum vero *Droſten*, (qui nobilium ordinem in provincia tranſiſulana repræſentant) *Het Droſten ampt van zutphen*, quæ primaria ibi eſt præfectura, & ſimilia, hinc dimanare manifeſtum eſt. Verum enimvero ſive *Drotter*, ſive Reges, ſive judices, primi horum populorum Moderatores & Rectores vocentur, ad principatum tamen & regiam ſive monarchicam adminiſtrationem acceſſiſſe, propius vero eſt, cum plures idem regnum pari poteſtate & authoritate habuiſſe nunquam legantur. Sic etiam antiq. hiſt. Eric. Ubſ. mox in limine ait; Redacto regno tam amplo & multarum ac diverſarum provinciarum ad unius Principis monarchiam & regalis nominis Principatum. Ubi plures monarchias & principatus in unum coaluiſſe haud

haud obscure innuit. Quibus accedit authoritas Joh. M. Regiam a primordio administrationem viguisse liquido asserentis. Neque idem exteros, jam diu antea, latuisse patet. Sic enim Tacit. Gothones paulo jam regnari addictius, quam cæteras Germanorum gentes: suo seculo scripsit. Ergo ante, licet minus addicte, regnabantur. i. e. Regibus paruerunt. Et, Suionibus unum imperitare, nullis jam exceptionibus, nec præcario jure parendi. Prius igitur, etsi pluribus exceptionibus, unus imperitavit. Pariter & M. Adamus Bremensis, in descr. Suec. Reges habent ex genere antiquos &c. inquit. Nec obstat, quod supra citatus Ericus Ubs. eod. hist. lib. 1. dicat: Gentem Gothorum non statim a principio Reges habuisse, sed aliquamdiu viris alicujus eminentiæ in agendo ductos fuisse. Nomen enim & pompam regiam, primis temporibus, ut supra dictum, minus usitata fuisse indigitat; Quæ unius imperium & monarchiam non constituunt; cum etiam in populo Dei unus simul & semel, non plures judicum etiam tempore, majestatis jura in judicando & belligerando exercuerint. Quin & Rex, summus judex passim salutatur, c. 4. de jur. Reg. LL. Prov. in f. & artic. milit. 119. Idem quoque ad verba finalia Joh. M. l. 1. c. 12. responderi potest. Multo minus officit Chron. Norv. duodecim viros sacris & populo ab Othino præfectos fuisse tradens. Nam & antea Regem Suec. extitisse Ingonem seu Ingolphum, (quem per aphæresin Gylpham vocat) & præfectos illos sub Regibus fuisse diserte fatetur. Quin igitur ad monarchiam licet temperatam non absolutam, hi populi semper respexerint, vix dubitandum videtur. Neque unquam mera polyarchia eis accommodari poterit.

CAP. II. De Prisca Regum Constitutione.

Moderato igitur Regum sive Gubernatorum Imperio assueti hi septentrionales, nihil antiquius habue-

buerunt, (nulla etiam adhuc de eo lege promulgata) quam ut filium ſuper throno parentis fulgentem aſpicerent. Nec minus regnum, quam cætera patris bona, æquitate quadam & ſtudio erga imperantes ducti, ad gnatum pertinere judicarunt: dummodo is ei animus fuerit, ut non reſpuerit, ea fiducia, ut populi defenſionem ſuſcipere auſus ſit, eæ facultates, ut congiaria præbere potuerit. Talis enim in antiquioribus hiſtoriis Regis declarandi mos reperitur: Rege priori mortuo proximus heres in ſceptra ſucceſſurus ſumptuoſum apparavit convivium, (*Arffweœol* dictum) prædeceſſori juſta perſoluturus. In ipſo Sympoſio ſeu Diæta, futurus Rex primitus non ipſum Thronum & ſupremam ſedem (*Dræſtet, Hægſætet eller Kungzſætet*) ſed inferius ſcamnum ſive ſcabellum occupavit: donec ingens Schyphus (*Brakebægaren*) inferreretur. Huic Regni candidato venienti aſſurrexit; Acceptoque magna cum veneratione poculo, aut immani cornu, (prout tum moris erat ex talibus bibere) votum præſtitit, jurejurando ſeſe adſtringens, non modo juſte regno uſurum, verum inſigni quoque facinore colluſtraturum, terminosque dilataturum. Atque ita cyathum exinanivit, & poſtmodum in ſolium parentis ſive anteceſſoris honorifice deductus fuit. In quo, cum iſtis ceremoniis deſediſſet, Regnum legitime adiiſſe, primo iſto & ſimplici ævo, judicabatur. Prout non tantum Chron. Norveg. Sturleſſonii de Regibus Suec. verum & antiquum Chron. Suec. in vita Ingialdi R. c. 15. commemorat.

Occaſione talium votorum expeditiones non paucas adverſus extraneos hoſtes atque vicinos, tunc temporis, ſuceptas fuiſſe minime dubitandum; unde & poſtmodum annuatim a Regibus Sueciæ frequentatæ ſunt, *Snor:* Sturl. per proſopopœiam pag. 218. refert. Nominatim ab Erico *Amundzſon*, R. Ubſalenſi, qui ſeptimo a nato Salvatore ſeculo vixit; quomodo jam tum Fenningiam, Careliam, Æſthiam & Curlandiam, cum aliis regio-

gionibus ſubjugavit; quod fortalitia, variaque ædificia, ſtructuræ & Valla, tempore Olai *SkotKonung*, R. Suec. conſpicua, atteſtabantur. Nota eſt deinceps Expeditio S. Erici 9. huc in Fenningiam: Birgeri *Jerl* ſub R. Erico 10. in Tawaſtiam; Torchili Canuti in Careliam ſub R. Birgero, qui cum victricibus armis demum Chriſtianam religionem huc invexerunt atque transplantarunt. De talibus etiam expeditionibus conſtituta ſunt antiquiſſima jura c. 10. & ult. tit. de Reg. LL. Upland. cap. 7. cum ſeqq. LL. Helſing. eod. tit. & ſimilia. Sed de hiſce hic obiter; ex occaſione vetuſtiſſimæ Regem creandi & inaugurandi rationis, quam hactenus ſcriptis proditam inveni.

CAP. III. De alio recentiori Reges conſtituendi modo.

Vicinioribus antiquitatis ſeculis, ante & poſt Chriſtianam religionem admiſſam, alius Reges deſignandi atque creandi mos & conſuetudo viguit, annotantibus hiſtoricis, Erico Ubſ. Ioh. & Ol. M. M. Illusque antiquiſſimis atteſtantibus. Revocatis nimirum aquilonaribus hiſce regnis ad unius imperium, ut pro legitimo Rege non haberetur, qui apud Ubſaliam, electus non fuiſſet. Quod a tempore Ingonis R. (Quem Philimeri filium antiq. Chron. Suec. ut & Eric. Ubſ. facit) obtinuiſſe, idem Eric. Ubſ. docet.

Fiebat electio iſta apud lapidem, toties in hiſtoriis decantatum *Moraſteen*, non procul Ubſalia diſtantem: Quem alii duodecim minores ad latera cinxerunt. Prout Joh. M. l. 21. c. 1. & Ol. M. l. 8. c. 1. deſcribunt. De quibus lapidibus (*Moraſteenar*) manuſcriptum ab Illuſt. Domino R. Drotzeto & Generali Mag. Ducatus Gubernatore &c. Comite *PETRO BRAHE* &c. clementer communicatum, ita habet: Antiquiſſimum ſaxum Regis effigie inſignitum eſt, regioque ſcuto, aureum pomum dextra tenente, ſceptrum ſiniſtra (Ol. M. cit. lib. 8. c. 1.

in

in apposita pictura, pomum finistræ, gladium dextræ tribuit.) Secundum, amputato Scuto tres coronas exhibet. Tertium, est R. Erici Pomerani, hisce verbis in margine notatis: Anno Domini M. CCCXCVI. electus est in Regem Sueciæ in hoc loco Illustriss. Norvegiæ Dominus Ericus Pomeranus. Superius in circuitu effigiei Sancti ERICI, hæc habentur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & in honorem Sancti ERICI. Quartum, est R. Caroli Canuti, hisce verbis: Anno Domini M. CDXLVIII. XXVIII die mensis Junii, V. vigilia Apostolorum Petri & Pauli, Electus est nobilis Vir Dominus Carolus Kanuti, Miles, natione Suecus, in Regem Sueciæ. Quintum, est pars cippi, runicis literis notati, eoque translati. Reliqua non inveniuntur, furtim quippe sublata sunt. Quin & verus & primarius lapis *Morasteen*, hac tempestate superius in sylvis delitescere fertur. Hæc ex illo M.S. unde quantopere antiquissimum illud monumentum, hominum invidorum malevolentia, nunc turbatum sit, liquido apparet. Apud hunc lapidem immensa hominum multitudo olim confluxit: Juxta illud Taciti; De minoribus rebus (i. e. quotidinianis) Ppes consultant: de majoribus omnes, (id est, ex omni regione atque ordine idonei homines mittebantur;) Et præcipue Regni Senatores, Legiferi seu Provinciales Judices, provinciarumque Urbium & rusticorum delegati, ad præstitutum diem convenerunt. Hinc ex Senatorio ordine primus, gravi oratione, Regis eligendi atque habendi necessitatem exposuit; omnesque ut diligenti provisione atque matura meditatione, posita longiori mora, quem regno maxime profuturum Regem existimarent, liberis votis, sine privato affectu, ut designarent, admonuit. Dictum factum. Et mox novo Regi subditi, jurisjurandi religione, ultro citroque adstringebantur. Tandemque Coronatio subsequuta fuit.

CAP. IV. De Priscis Electoribus in Regn. Sueo-Goth.

Ut autem hic modus Regem constituendi rite susciperetur atque procederet, circumspecta antiquitas certos Electores constituit, penes quos eligendi Regis potestas esset. Experientia quippe, rerum magistra, satis edocuit, quam periculosum, & multorum sæpe cum exitio conjunctum sit, unius solius arbitrio summam rerum relinquere. Quantum nimirum prodest eum sine interpellatione regimen tenere, qui non nisi quod justum, æquum & bonum est, sponte sequitur: Tantum vicissim obest magnam & indeterminatam esse ejus potentiam, qui non nisi ad subditorum & aliorum perniciem, (sive ex malitia, sive imprudentia) eadem abutitur. Additum proinde consilium, coercendi intra terminos Imperii: ut Taciti verbis utar. Et novi Regis substituendi; qui optimus, prudentissimus atque fortissimus, non nisi a probis, cordatis & strenuis eligi potuit. Tales juxta populi deputatos (quales adhuc in Comitiis *Hærredagz-Man* vocantur), qui plebis, agriculturæ, pecuariæ, piscationi, venationi & opificiis intentæ, suffragia attulere, fuerunt Regni Ephori & Electores ordinarii. Quorum non semper idem numerus erat. LL. Uplandicæ tit. de Reg. c. 1. Septem recensent: videlicet, 1. Legiferum Uplandiæ, *Uplandzlagmader*, cui primum debebatur votum; Et huic *Tiundeland*, *Attundaland* & *Fiadrundeland* suberant. 2. Sudermanniæ. 3. Ostgothiæ. 4. Decem-Territoriorum, *Tiohered* in Smolandia. 5. Westgothiæ. 6. Nerikiæ. Et 7. Wesmanniæ legiferum seu judicem provincialem. Qui conjunctim potestatem habuerunt Regem decernere atque coronam tribuere.

Ampliato postea imperio, secundum jus commune, undecim electores numerantur; c. 3. eod. tit. Qui in novi Regis electione, hoc ordine vota contulerunt. 1. Up-

Uplandiæ Legifer, cum asseclis, a populo deputatis. 2. Sudermanniæ. 3. Ostgothiæ. 4. Oelandiæ. 5. Decem-Territoriorum. 6. Westgothiæ. 7. Wermiæ. 8. Nerikiæ. 9. Westmanniæ Daliæque. Et 10. demum ac 11. Borealis & australis Fenningiæ: Quæ ante annos 200. primum vota in Comitiis & Rege eligendo obtinuit. His Regem suo & sociorum nomine decernere competebat; indigenam, non extraneum, & si fieri potuit, regia stirpe oriundum; qui regno præesset, justitiam administraret, pacemque tueretur. Quanquam autem prisci isti electores hereditarii non fuerint; prout neque moderni Legiferi: Nonnunquam tamen & filius & nepos, adjuvantibus propriis meritis, in hanc dignitatem successerunt. Ita R. Olai *Skotkonung* tempore Legifer Uplandiæ fuit *Torgny*, qui & R. Ericum victoriosum viderat. Is patrem ejusdem nominis, B. Biornonis tempestate florentem: Avumque paternum, itidem cognominem, & utrumque in officio prædecessorem habuit. Non aliter ac nostro ævo Drotzeti munus illust. familiæ *Brahe*, sine hereditario jure, adhæsit: in illust. Com. Petro *Brahe* seniore, ejus filio Com. Magno; Et nunc (utinam diu & feliciter) in nepote illust. Comit. *Petro Brahe* &c. viget. Magna vero electorum seu Legiferorum tum fuit Authoritas & potentia; sicut enim horum erat populo, secundum peculiaria cujusque provinciæ jura, justitiam administrare, suosque adversus injustitiam defendere: Ita vicissim populus Legifero adversus vim quamcunque aderat, & in bellum euntem, non secus ac ducem suum sequebatur. Nec multum dissimile est, quod Ammorix apud Cæs. l. 5. de bell. Gall. refert: Ejusmodi esse Principum imperia, ut non minus in ipsos juris multitudo quam ipsi in multitudinem haberint. Ubi multitudinis nomine non ipsum vulgus, sed consilium cujusque gentis primorum intelligi monet Grotius de antiq. resp. Batav. quod & variis exemplis comprobat. At quanta hic fuerit Legiferorum, etiam adversus

sus Regem, durius præsertim & inique imperantem, authoritas, *Sturleson* exemplo prædicti *Torgny* edocet. Qui potentiss. R. Olaum *SkotK.* nolentem volentem, ad pacem cum R. Norveg. S. Olao sanciendam, eique filiam nuptum dandam, suffragante populo, coegit. Ita & Emundus Westg. Legifer eundem R. Olaum *SkotK* e solio dejecisset; nisi trium fratrum consiliariorum Regis, *Arvvid*, *Frivvid* & *Torvvid*, insignis prudentia ac fides obstitisset, impetumque avertisset. Sic contra R. Birgerum fratricidam, propalato facinore, D. Matthias Ketelmundi, ex familia *Svvarte* (inter majores D. Thuronis *Jönsson*) Uplandos; D. Carolus de *Töffta* (ex Sparreorum familia) Smolandos; D. Birgerus (e familia *Brahe*, qui Lls. Uplandicas condidit, a quo nonus est R. Drotzetus Com. *Petrus Brahe* &c. præsens) Westgothos duxerunt, Regemque Regno expulerunt.

Eligebantur tales Legiferi, olim, a populo, confirmabantur a Rege; hoc modo. Ubi provincia Legiferum desideravit, indictus est provincialium conventus, post 8. hebdomadas celebrandus, priori ævo a primate provinciæ, postquam florere cæpit Christiana religio, a Diœceseos Episcopo. Cumque jam provinciæ istius incolæ confluerent, Episcopus loci duos secum clericorum nomine assumpsit. Populus deinceps sex Aulicos, totidemque rusticos elegit. Qui duodecim, una cum clericis, tres ex eadem provincia nominarunt, quibus, & coram Deo in conscientia tui esse possent, provinciæ optime consultum iri, Ex tribus hisce Rex vicissim unum nominavit, juxta divinam suggestionem, quem sz. provinciæ utilissimum intellexit. Ita electus in hæc verba juravit. In judiciis Lls. & jura sum sequuturus, nec unquam contra conscientiam depravaturus; nec injustitiam aut iniquitatem admissurus, timore aut favore, vel amore aut avaritia, invidia, propinquitate vel amicitia seductus, aut unquam iniquam sententiam laturus: Ita me Deus adjuvet! Inter ultimos prisco hoc ritu

a

a talibus Electoribus rite electus, in historiis reperitur R. Magnus Erici, III. ejus nominis, qui vulgo *Smeek* agnominatur, tertio ætatis suæ anno: Idque authoritate, consilio & ope D. Matthiæ Ketelmundi regni primatis, & postea regii Tutoris laudatissimi, An. Chr. 1319. Et R. Carolus Canuti 8. ejus nominis, ut supra innuebatur. Exinde enim antiqua electionis forma minus observata est. Quippe cum Reges exteri a dejectione illius R. Magni, nunc Holmiæ, nunc Calmariæ, nunc alibi electi fuerint: Nunc etiam nulla præeunte legitima electione, paucorum adjuti factione, per cuniculos sese intruserint. Prout de singulis infra lib. 9. patebit.

CAP. V. *De Abrogatione Electionis & novissimo ac moderno Regem constituendi modo.*

Centum & sexaginta ferme annis, sub exterorum (contra lls. patrias) pressura, tyrannide, schismatibus atque tumultibus exactis, novus ante seculum, & quod excurrit, Regis constituendi modus, saluberrimo consilio introductus, magno imperii regnicolarumque bono, etiamnum continuatur. Nimirum ut ob merita Gustavi I. nec minus ut fluctibus, dissidiis atque tumultibus, quæ electionem comitari solent, patria liberaretur; ex posteris ejusdem & laudatissima familia Gustaviana, quamdiu ullus superesset, Rex hereditario jure succederet ac crearetur. Cumque Regi plures fuerint filii, natu maximus in sceptra succederet, hujusque filius patruo suo præferretur: cæteris vero filiis reg. certi Ducatus decernerentur. Filiabus autem honesta iisque digna sustentatio. Et nubentibus dos 100000. thalerorum, ex speciali ordinum contributione, penderetur. Prout tenor unionis hereditariæ, quæ diversis linguis edita in multorum manibus reperitur, plenius idipsum exprimit. Hereditarium illud jus, primo in Comitiis Oerebroënsibus, circa initium anni 1540. a Regni Senatu, & præcipuis ordinis equestris, R. Gustavo I. ejus-

ejusque posteris assertum; quadriennio post Arosiæ, 13 Januarii, unanimi & libero ordinum Regni & primariæ nobilitatis Sueciæ, consensu suffragio atque decreto corroboratum fuit. Juxta quam UNIONEM hereditariam Corona Regni mortuo Gustavo I. ejus filio primogenito R. Erico XIV. est demandata; Eo vero deposito & jus amittente, fratri, R. Johanni III. cui filius primogenitus Sigismundus Poloniæ Rex, eodem jure successit. Sed & huic gravibus de causis, (quas una cum Stocholmensi 1599. etiam comitiale Decretum Lincopense de anno 1600. aperit,) corona derogata est; Et unio hereditaria renovata, atque ad R. Carolum IX. tertium Gustavi I. filium, ejusque posteros restricta fuit, Norcopiæ Anno 1604. quod in ipso Decreto Norcopensi fusius exponitur. Tandemque anno 1627. Ab iisdem Regni ordinibus, Senatoribus, Comitibus, Baronibus, Episcopis, Nobilibus & Clericis, militibus, urbicis & promiscuæ multitudinis delegatis, ad Neptem ejusdem R. Caroli IX. & R. Gustavi Adolphi M. filiam unicam, Serenissimam atque Celsissimam Principem ac DOMINAM D. CHRISTINAM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Principem hereditariam &c. nominatim est applicata; eaque novo, in hoc sexu, exemplo 14 Mart. ejusdem anni 1627. Regni heres, felicissimo auspicio, proclamata est: Quæ nunc (utinam diu & feliciter) rerum potitur. Quanquam autem ita jam ultra seculum Reges hereditario jure in sceptra successerint; Attamen declaratio quædam Ordinum Regni in publicis Comitiis facta, successoris administrationem semper præcessit. Ita Gustavi I. Filius Ericus, licet antea in hereditaria unione 13 Jan. 1544. expresso nomine designatus Rex; in Comitiis tamen Holmensibus Anno Chr. 1560. proximo ante parentis obitum anno, Rex denuo declaratus est. Et Gustavus Adolphus, quamvis in decreto Norcopensi expresse nominatus, mortuo Patre, R. Carolo, anno 1611. Nycopiæ ab ordinibus, anno

ætatis suæ 18. Rex designatus; plenam regiminis potestatem, omnium ordinum unanimi voto & congratulatione, fausto omine suscepit. Nec non potentissima Regina CHRISTINA moderna, etsi anno Christi, uti dictum, 1627. publico Comitiali Decreto, Regina hereditaria designata, a morte tamen gloriosissima victoriosissimi parentis in Comitiis Holmensibus 14 Mart. 1633. eadem repetita sunt; ubi omnes Coronæ Sueciæ subditi firmissimo fidei & obligationis vinculo se eidem rursus obstrinxerunt. Atque hæc de novissimo Regis constituendi modo, hereditaria nimirum successione.

CAP. VI. De Coronationis solennibus.

Etsi Coronationis solennitates & inaugurationis ceremoniæ Regem non faciant, nec administrationi Regni simpliciter necessariæ sint; Nam & olim legitimi Reges fuere, cum tales ceremoniæ vel nullæ, vel (certe) parcius adhibitæ; præstito saltem reciproce juramento; prout dicitur c. 4. §. 9. *Kongs B. L. L.* Veluti & hodie legitimus heres declaratus & unanimi ordinum consensu designatus Rex, præstita subditis sufficienti assecuratione, regia potestate fruitur, nomen & authoritatem, etiam ante coronationem, habet; quod exemplo R. Caroli IX. qui septimo, & R. Gustavi M. qui sexto demum anno, postquam regnum susceperunt, coronati sunt: & nunc Serenissimæ Reginæ CHRISTINÆ modernæ manifestum est: Attamen, quoniam & inter alias melioris notæ gentes, & in ipso Dei populo, unctio atque coronatio novi Regis adhibita, nec parum ad decus tanti fastigii solennitas ejuscemodi addat; apud Sueo-Gothos etiam non immerito celebratur. Illa primis temporibus, uti dictum, parcior erat; Jurejurando primitus; & deinceps Coronæ impositione, gratulationibus, Feudorum distributione, atque diæta contenta. Posterioribus seculis, nostro ævo & moribus, satis pomposa frequentata est; Prout Rev. p. m. Paulinus, ali-

quo-

quoties αὐτόπτης, annotavit, hoc fere modo: Coronationis solennitas 3. actibus absolvitur. 1. *Fit Processus* ex Regia Upsalensi in templum cathedrale, ubi inauguratio peragi consuevit. Viam utrinque inter arcem & delubrum, equitatus regius & Illustrium munit: per quam, veluti plateam, proceditur.

Præcedunt præcones duo; quos tubicines cum æneis tympanis sequuntur. Hos Marschalcus aulicus, cum illustribus, aulicis & nobilibus exoticis, in illustre collegium nondum insertis, ternis ac ternis procedentibus. Deinde Marsch. Provincialis seu Nob. quem Comites, Barones & Nobiles in illustre collegium relati comitantur, terni ac terni: inferiores præcedunt; superiores sequuntur, juxta p. 24. de illust. colleg.

In tertio ordine duo vicissim præcones; post hos tubicines, geminumque tympanum æneum, *Regni Marschalcum* baculo instructum præcedunt; Senatores Regni, bini ac bini insequuntur; Posteaque Archiepiscopus, cornu oleiferum portans, & demum Regalia gestantes, Regni Senatores Supremi, Coronam Drotzetus, Gladium Marschus, Sceptrum Ammiralius; pomum seu globum aureum Cancellarius; Clavem Thesaurarius præfert. Drotzetus & Marschus Regem proxime antecedunt; & ita consequenter. Tandem REX, quem tegmen holosericum; al. thensum vocant; a 4. ex præcipua nobilitate gestatum tegit, Sonipedi insidens progreditur. Latera utrinque stipant satellites & corporis custodes, bipennibus aliisque armis instructi. Regem consequuntur, qui adsunt Reges exteri, & Principes eorumque legati: Quos ingens comitatur ministrorum caterva. Hinc Reginæ Marschalcus aulicus, cum sextuplici nobilium ordine, ternis ac ternis pariter procedentibus, insequitur; Quos excipiunt currus *Reginam* atque *Ducissas* vehentes. Gynicæum vero earundem immediate subsequitur. Similiter *Comitissa*, reliquæque illustres Dominæ ac Virgines, quotquot tum præsentes fuerint, sequuntur.

Regem ita ad cathedralis Templi valvas deductum, ubi Episcopi & Superintendentes præstolantur, & Regni Proceres cum Regalibus subsistunt, unus Episoporum hisce verbis excipit: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Alius vero felicia cuncta comprecando, peculiari voto & precationis formula, in hunc usum concepta, gratulatur.

Deinceps Episcopi & Superintendentes; R. Senatum ad altare usque in templum præcedunt; ubi utrinque subsistunt. Regalia vero altari imponuntur: *Rege, Regina*, Principibus atque Ducissis &c. singulis sua subsellia occupantibus.

II. Inauguratio ipsa in templo sic peragi solet. 1. Archiepiscopus e suggestu textum S. Scripturæ, huic solennitati congruum, exponit: Et finita concione Symbolum Christianæ fidei, Suetico idiomate, concinitur. Adeoque Litania, cum aliis congruentibus precationibus ab uno Episcoporum recitantur. 2. Quibus præmissis, Rex e suis subselliis ad altare deducitur: præcedentibus cum suis baculis Marschalcis. Regis autem utrinque latus Drotzetus & Cancellarius stipant. Hic Archiepiscopus Ubsalensis inaugurationis actum, hisce ceremoniis persequitur: Primo Chlamyde, una cum dictis duobus proceribus, Regem circumdat. Secundo Regem flexis genibus coram altari precatum, oleo e cornu deprompto, inungit; frontem sz. atque lacertos; addita precationis formula convenienti. Tertio Regni Cancellarius juramentum Regi recitat; extensa manu digitisque sonora voce præstandum. Quarto REX coram altari solium conscendit; Et Archiepiscopus coronam, auro gemmisque fulgentem, regio capiti aptat: congruam iterum orationem recitans. Quinto, sceptrum porrigitur. Sexto, aureum pomum. Septimo, clavis & Octavo Ensis, adaptata singulis devota precatione.

3. Tum unus præconum, stentorea voce, exclamat: *Nu är Swea och Götha Konung Crönt*, i. e. Nunc coronatus

tus

tus est R. N. in Sueciæ & Gothiæ Regem, & nullus alius. Totusque cœtus sublata voce respondet: Vivat & floreat Rex in perpetuum. (Antiquitus acclamarunt *Swä gammul som goder*, conf. c. 3. *Kunungz. B.* §. 3. *Upl. L.* ad fin.) 4. Rex Sceptrum in manu, Coronam in capite retinet; cætera Regalia Senatoribus, qui antea gestarunt, reddit; Ab altari in suum subsellium regrediens. Ubi Regalia coram ipso tenentur, dum Psalmus Davidicus 20. Exaudiet te Dominus in die tribulationis &c. Suetice concinitur.

III. *Processus e choro, in ipsum templum sic vicissim instituitur*, Rex a Drotzeto & Cancellario in thronum deducitur, ubi solium occupat. Marschalchi & Regalia procedunt; una cum Regni insignibus; nec non & insignia provinciarum, quas Rex in feuda concedere decrevit, in thronum afferuntur. Hic Rex ea distribuit, Regni insignia manu tenens: Vasalli autem capulum insignium genaralium dextra apprehendunt; Suorum vero feudorum sinistra. Deinde Marschus Regni cum generalibus regni insignibus ad dextram, Vasalli cum suis ad sinistram, infra throni gradus, concedunt. Et Regni Senatores, per præconem evocati, ordine singuli, quoad aliquis supersit, procedent; genibus innixi, corporale juramentum, quod c. 8. *Kong: B. LL.* extat, nonnihil amplificatum, prout illis prælegitur, præstituri: Indeque Rex singulis dextram porrigit. Et postea in stationem suam quique recedunt. Quibus omnibus peractis, Musici, Te Deum laudamus &c. Suetice intonant: Rex throno descendens e templo in Regiam, eodem quo antea venerat processu & ordine, revertitur: Nisi quod Marschus, cum universalibus Regni insignibus, Regem immediate subsequatur. Interea missibilia inter vulgus, aurum & argentum, sparguntur; Epulumque seu convivium regia magnificentia præparatum est, quo omnes præsentes excipiuntur. Vinumque ad satietatem funditur & fluit. Omniaque jubilis & lætitia personant.

 Se-

Sequenti die ordines in arce conveniunt & Regi elevata manu & extensis digitis jurant, illustr. & Nobiles equis insidentes; urbici & rustici stantes, ut sequenti capite attingetur.

Antiquitus etiam receptum erat, sub coronatione regia, carceres aperire, & delictorum impunitatem maleficis concedere, nisi enormia nimis facinora commiserint; ut videre est ex antiquissimis legibus Westgothorum; *Ratlœsabolker: K. scal trim mannum fridgina, them ar eig hawa nidigz wark giordt.*

Prisca insuper est consuetudo, ut post inaugurationem Rex circumeat regnum, (*Eriksgatu sina rijda*, i. e. obequitare plateam Erici) Ericæa Platea dicitur, sive ab Erico I. sive alio ejus nominis; qui primus regnum ita obequitavit: Sive a S. Erico ejus nominis IX. qui, ut de multis aliis, ita fortassis de hac quoque certas leges præscripsit; nimirum ut solis cursum imitando ab oriente occidentem versus institueretur, Uplandi salvo conductu, ad Sudermannos, hi ad Ostrogothos; qui ad Smolandos, ut illi ad Westgothos, qui vicissim ad Nerikianos, ut hi ad Westmannos, qui rursum ad Uplandos, eadem lege & hi Ubsaliam Regem salvum reducerent. Prout Cap. 6. *Kong B. LL.* plenius exprimitur. Causa hujus circuitionis erat, ut Rex subditos confirmaret de servanda juramenti fide ipsis præstita, aliisque pactis mutuis: & subditi de homagio, ut vocant, & juramento Regi præstito fidem facerent; ut D. Locc. lib. 2. c. 1. de antiqu. Sveo-Goth. cum ipsis legibus loquitur, conf. c. 2. *Upl. L. Kong. B.* Felicissimam hanc expeditionem postremus suscepit, p. m. R. Carolus IX. coronatione sua, anno 1607. peracta. Et tantum de Regis constitutione.

CAP. VII. *De Legibus Fundamentalibus.*

Antequam administratio ipsa describatur, nonnihil hic de legibus, administrationis cynosura, & quidem

dem ipsis fundamentalibus primitus prælibandum venit. Etsi autem primi majores nostri, ut nullas alias, ita nec fundamentales, scriptis comprehensas leges habuerint; in aliquas tamen certas conditiones jurasse Reges necessum est; Siquidem sub initio regiminis jurasse constet. Et illæ fuerunt leges fundamentales. Nam & in medio paganismo R. Grimmerus (circa finem Monarchiæ I. ut Chronologi volunt) ob spoliatos Ubsalenses Deos, subditis conniventibus, ferrea catena strangulatus est. Et postea R. Wisbur, occasionem dante avaritia, igne periit. R. Domalder, eadem de causa, Cereri in holocaustum crematus. R. Gostag, propter rapinas suspensus. Et optimum R. Stenchillum, al. Ericum *Aebrsäll* 8. quod religionem mutare conaretur, & christianam introducere, populo (quamvis impie) pia visa est & justa causa regis è medio tollendi, utpote cum contra jusjurandum in coronatione præstitum facere videretur. Omnium igitur primæ imperii leges, in quas Suec. & Goth. Reges jurarunt, absque dubio, hæ fuere: Rex Deos & religionem colat. Datam fidem servet, neminemque suorum injuste opprimat. Procerum consilio & salva libertate populi regat. Bona coronæ servet; suisque reditibus contentus vivat. Regnum tueatur, iniquas leges non ferat. Quæ paucis verbis in antiquissimo jure Uplandico, compendiosissime comprehensa, fere, inveniuntur. c. 1. *Kunungz B.* § 2. *Landum radha, och Riki styra, Lagh styrkie och fridh halda.* Ex hisce initiis plenior deinceps juris jurandi formula, & legum fundamentalium dispositio, post introductam Christianam religionem, enatæ sunt, quæ Cap. 4. *Konungz B. LL.* exponuntur. Ubi Rex jurabit. 1. Pietatem, amorem Dei & orthodoxæ ecclesiæ se haud neglecturum; salvo jure Regis, coronæ & populi. 2. Justitiam & veritatem se amaturum; iniquitatem, injustitiam, omnem falsitatem atque mendacium, jure ac legibus non minus quam regia potestate vindicaturum & oppressu-

3. Securitatem & fidem omnibus promittit subditis suis. Nec ullum, pauperem aut divitem, quoad vitam corpus, ejusve membra, aut bona, nisi legitime, secundum descriptas leges Sueticas, convictum atque damnatum, lædat, damnumve inferat. Nec cuiquam, nisi legitima præcedente sententia, bona mobilia vel immobilia auferat, vel eripi sinat. 4. Consilio Senatorum Regni, indigenarum Suecorum, non extraneorum, regnum gubernaturum & recturum: Neque exoticum in Regni Suecici Senatum adsciscturum: Neque munitiones aut arces, vel provincias, aut domantum Ubsalense, aliave coronæ bona, quæ ab immemoriali tempore coronæ subjacuerunt, concrediturum. 5. Arces, Regias & Provincias cum annuis earum reditibus ac limitibus defensurum; Ne quicquam ex illis successori decedat: Hic enim recuperandi potestatem habebit. Cum alias Regnum in Comitatum seu minorem dominatum facile deficeret. 6. Regiis Ubsalensium prædiis, bonis coronæ, & annuis regni reditibus quoad sustentationem se contentum fore. Nullaque regionibus suis nova onera impositurum; Nisi hisce conditionibus: Primo ad externum hostem avertendum, paganum aut Christianum: Vel seditiosos indigenas compescendum: si aliter se tueri nequit. Deinde, si filio aut filiæ Regis nuptiæ celebrandæ: Aut regia coronatio instituenda; vel Ericæa circuitio suscipienda. Aut denique Regiæ domus vel prædia ædificanda. In quibus casibus (olim) Episcopi erat, cum legifero cujusvis provinciæ, & sex ordinis equestris, totidemque rusticis, quantum subsidii Regia subditis ferri deberet ac posset, inter se ponderare. 7. Templis sive ecclesiis, clericis & (in papatu) monasteriis, illustribus ac nobilibus, cum eorum hominibus atque bonis antiquitus liberis, immunitatem atque privilegia servaturum: jusque Suecicum, liberis populi votis atque consensu receptum, observaturum: confirmaturum ac tuiturum: ne iniqua lex re-

ctæ

ctæ prævaleat. Speciatim ne exoticæ leges in oppressionem subditorum introducantur, nec ulla lex nova, nisi populi voluntate & consensu, condatur. Subditos etiam populumque suum liberaturum ac præsertim pacificos & quietos, qui legibus ultro acquiescunt, tam contra inquietos & perversos patriotas, quam adversus extraneos defensurum. Singulariter se recordaturum templa atque judicia frequentantes, ibidem vel in itinere constitutos, adeuntes ac redeuntes, fœmineum sexum, & unumquemque in sua domo tutum atque securum præstare. Quod juramentum absentibus & præsentibus, natis & nascituris præstatur, & non charos æque ac charos includit. Ut eodem Capite dicitur. Nunc quoque electivi Reges in religionem Evangelicam, puro Dei verbo, Propheticis & Apostolicis scriptis consonam, Symbolo & Catechesi Lutheri, & invariata Confessione Augustana comprehensam, nec non concilio Ubsalensi declaratam jurant; juxta unionem heredit. Regim. formam, aliaque comitialia decreta. Uti & in leges fundamentales. Quod etiam notavit p. m. Rev. Paulin. hist. arct. l. 1. c. 36. Subditorum juramentum seu hominium, quod sub coronatione per legiferos & delegatos præstari solet, adeoque in circuitione Ericæa repeti, cap. 5. eod. tit. continetur. 1. Jurant, omnes in Regno Sueciæ habitantes hunc Regem se agnituros, potestatem & regia ejusdem jura stabilituros. 2. Rectam obedientiam eidem declaraturos, jussaque impleturos; quæcunque coram Deo & hominibus justum est a Rege dari & subditis exequi. Salvis utrinque juribus, Regis & subditorum. 3. Operas Regi personales, officiis & ministeriis præstituros: expeditionibus potissimum ad regni limites, defensionis gratia. 4. Reales etiam operas non denegaturos; ut qui antiquitus tributarii fuerunt, justas & annuas pensiones, sine tergiversatione solvant, transportent, atque ad locum, juxta Regis voluntatem designatum, & eorum jura, perferant.

Quod juramentum pariter juvenes & senes, natos & nascituros, acceptos & non acceptos, absentes & præsentes stringit. Plura, leges fundamentales de regno administrando & jus publicum concernentia, in A. Regiminis forma & comitialibus decretis inveniuntur.

CAP. VIII. De Legibus mere Civilibus & jure privato.

Populus Sueo-Gothicus primis quidem temporibus nullis utebatur legibus, nisi quas natura & honestas insculpserant; Sed Reges, quorum placita pro legibus erant, omnia manu quasi gubernarunt. Plusque tum apud hosce valuerunt boni mores, quam alibi bonæ leges, ut Tacit. loquitur. Postea pedetentim quod Rex cum consensu populi decrevit, leges habuit vigorem. Ita R. Amundus II. delicta ædium exustione pro arbitrio mulctavit; unde *Kalabrennare*, i. e. carbonarius audit. Quæ lex, ut minus rationabilis, diu servata non fuit. Sed quæ meliori nitebantur ratione, prisco ævo non tam literis quam memoriæ, veluti & apud Lacedæmonios, commendabantur. Antiquitatem vero maximam legum, quibus nostrates hodieque utuntur, arguit, inter alia, confirmatio R. Birgeri, qui quarto abhinc seculo jus Uplandicum compilari fecit; ubi legum vetustatem se venerari fatetur. Fuerunt leges istæ, sicuti nec adhuc multitudine laboramus, paucissimæ, brevissimæ & valde concisæ; ut quæ adhuc dum extant, veluti oracula quædam & mera acumina esse depræhendantur. Mentionem facit præfatio legum Uplandicarum Legislatoris cujusdam *WigerSpaa*, qui primus tempore Ingieldi Regis in ipso adhuc Ethnicismo Uplandis leges dederit. Sed & Joh. M. complurium Regum, qui leges tulerint, in sua historia meminit. Utpote Gothorum R. Erici jura dantis, & legibus justis populum gubernantis. (Hunc anno M. 2014. Chronologi præfuisse tradunt.) Et R. Caroli II. de beneficentia

&

& hoſpitalitate præcipientis; nimirum ut ædes, uſum earundem viatori denegantis, incendio conſumerentur. R. Gothari, leges non niſi procerum populique conſenſu condentis. R. Algothi, leges in precio habentis & condentis. Item R. Erici, qui leges, aliquamdiu inter arma ſilentes, reſuſcitavit: iisque animos Suecorum & Gothorum conglutinare conatus eſt. R. Algothi II. leges humanitate plenas, oleo potius quam ſanguine notatas, ſancientis. R. Haquini IV. cogn. Rufi, legum ſervandarum ſtudioſiſſimi. Ita & R. Stenchillus II. qui & Chriſto nomen dederat, optimas leges promulgavit. Et R. Ingo V. legum obſervantia atque æquitate nemini ſuperiorum cedens, ſaxa ignominiæ, ab adultera geſtanda (*Gifft B. St. L* c. 10. p. 2. vid. Ol. M. l. 6. c. 18. & lib. 14. c. 16.) introduxiſſe fertur; Omnium autem conſenſu eximius legislator extitit S. Ericus R. ejus nominis IX. cujus leges etiam in legiſterio noſtro paſſim citantur; *Gifft B. L. L.* c. 5. &c. Ejusque veſtigia filius R. Carolus VII. & nepos Ericus X. ſecuti ſunt. Nec parum hac etiam in re præſtitit Illuſt. Princeps Birgerus *Jerl*, Reg. Waldemari & Magni *Ladulaas* parens. Quorum hunc non minorem curam in optimarum legum ſanctione poſuiſſe in aprico eſt. Ex iſta legum ſparſim traditarum varietate, filius R. Birgerus, opera prudentiſſimi ſimulac generoſiſſ. viri D. Birgeri Petri, divæ Brigittæ parentis, jus Uplandicum in unum corpus digeri fecit; Adjuvantibus aliis 12. prudentibus viris; M. Andrea, Præpoſito Upſalenſi; Dn. *Rödh Kialdarſſon*, Dn. Benedicto *Boſon*, *Ulwer Laghmandsſon*, *Haghbarder de Suderby*, *Andres de Færekarlaby*, *Torſten de Sambrom*. Ex Attundria; *D. Philippo de Runby*, *Hakun Laghmadher*, *Aeskil Skialgi*, *Sighurder Domari*, *Jovan Gaſaboger*; E Fiedrundria; *Ulvver de Oednistum*, *Gætbriker & Ulvvidin* Judicibus. Convocatisque omnibus cordatioribus viris trium Folchlandiarum, præſidibus atque judicibus Leges iſtæ probatæ ſunt. Omnibus quippe diligenter

ter perpensis, superflua prius dicti amputarunt, deficientia suppleverunt, cunctaque cœlesti favore in justam consonantiam redegerunt. Quod impletum est anno a nato Salvatore Christo 1295. Sed cum diversarum provinciarum, præter istas Uplandicas, diversæ etiam extiterint leges; utpote Ostgothicæ an. 1168. a R. Canuto S. Erici filio, posteaque a D. Birgero *Jerl*, an. 1251. & 1260. revisæ, correctæ & confirmatæ; quæ etiam nunc typis excusæ sunt; Sudermannicæ, Westgothicæ (quas D. Olaus Wormius in rerum natura dari gratis dubitat; de limit. Suec. & Dan. cum varia earum exempla, una cum allegatis a Messenio, quem immerito hic vellicat, a quamplurimis visa sint, quotidie legantur, & jam jam, si opus sit, monstrari possint:) quæ etiam valde sunt antiquæ, a paganismo quoque originem repetentes; Prout ex titulo de Westgothiæ Legiferis, qui antepenultimus est in meo M. S. manifestum evadit, ubi hæc habentur: *Her hittis nanm dera, ar Wastragiotlandz Lagh giœrdo ok framfœrdo. Fyrsti vvar Lumber, ok aff hanum œru Lunislagh kallad, fœrety at han segs hafvva huxat ok giœrdt en myklin lot aff Lagum vvarum: han vvar fœdder i Vagum, ok ter ligger han i enom Kolle; fœrety at vvar han heden.* i. e. Hic inveniuntur nomina eorum, qui Westgothiæ leges fecerunt & proposuerunt. Primus erat Lumberus, & ab ipso Lumberi Leges dictæ sunt: quia dicitur meditatus & condidisse magnam partem legum nostrarum. Hic natus erat in Wagum, ibique tumulatus in colle; quippe paganus fuit. Item Wesmannicæ, Helsingicæ, Oelandicæ, Smolandicæ, Wermelandicæ, Nerikianæ & Fennicæ, aliarumque regionum propriæ leges fuere. Quas diversas constitutiones, leges speciales, juraque municipalia, in diversa dispersas volumina, Rex Suec. Goth. Dan. & Norveg. Christopherus Com. Palat. Rheni & Bavariæ dux &c. ad instantem Senatorum Regni Suec. Nobilium, militum & militarium petitionem, opera Archiep. Ubs. Dn.

Ni-

Nicolai Ragvaldi, ejusque suffraganeorum, ex ista varietate jus commune in unum legisterium, quo hodieque utimur, compilari permisit, suaque authoritate Regia anno Christi 1452. confirmavit. Prout primum mandato R. Caroli IX. deinde & R. Gustavi M. & nunc quoque Potentissimæ Reginæ CHRISTINÆ &c. typis nitidissimis, una cum Uplandico, Ostgothico & Helsingico jure, propter antiquitatem, sæpius lucem aspexit.

Distinguitur hoc legisterium in suos titulos, Suet. *Balker*; sive quod olim lignis seu trabibus & tignis inscriberentur leges, vel quod hisce titulis tanquam sepimentis atque repagulis materiæ distinguerentur; *Balka* enim trabibus separare denotat. Et primo tit. de Legibus fundamentalibus & jure Regni; Rege scilicet constituendo, regnoque & justitia administrandis; juribus Majestatis, & quæ pœna sit læsæ; de lustratione armorum & equitum; Privilegiis nobilium, hospitiis seu tabernis in viis publicis; violentis grassatoribus & similibus agitur. Postea de conjugio pudice & legitime ineundo, intemerateque servando; quid sanctissimum hoc vinculum consequatur, quid dissolvat; Quid juris conjugibus invicem alteri in alterius bona, & quomodo ea post mortem dividenda, &c. Specialius adhuc, de hereditate erciscunda & rite adeunda; Dehinc de rebus immobilibus & mobilibus earumque acquisitione, dominio, possessione & usu, de finibus regundis, terminis ponendis; agris, pratis, sylvis, aquis, rite usucapiendis: Legitimeque sine damno vicini ædificando. Tum de emptione-venditione, locato-conducto, mutuo, pignoribus, cæterisque contractibus. Inde sequitur tit. de judiciis & actionibus, deque exceptionibus, judicibus, partibus litigantibus, testibus &c. Insuper de violato, uti vocatur, juramento Regis, i.e. gravioribus injuriis. Et consequenter de enormibus delictis: ut patriæ proditoribus, parricidis & publicis criminibus. Et ul-

ulterius de homicidiis & pulsationibus ac vulneratione, voluntariis & casualibus. Denique de furibus, rebus inventis, atque aleatoribus. Et ultimo de S. S. Ecclesiis; Personis & rebus ecclesiasticis, clericorum reditibus, baptismate, cæna Domini, sepultura &c. Unde quid jus Suec. antiq. in tanta brevitate contineat, quasi in typo, intueri licet.

Ad leges & jura spectant ordinantia ecclesiastica, ex jure divino potissimum desumpta; Decreta comitiorum, aliæque politicæ constitutiones; ut ordinantia cum processu judiciario & similia.

Sunt & specialia jura urbibus, leges municipales *Stadz Lagh* dictæ: ubi tituli titulis jur. prov. respondent; Adeoque & novella hic ordinantia civitatum, de negotiationibus 1617. & plura utilia statuta.

Militibus in expeditionibus & castris, sui sunt Articuli militares; Nautis, nautici; ut Academicis, Academicæ constitutiones. Item de rebus metallicis. Atque hæc de legibus.

CAP. IX. De Antiqua justitiæ administratione, & statu politico.

Justitiæ administratio jam a multis retro seculis, vel in ipso paganismo, uti adhuc, per legiferos potissimum, (de quibus supra c. 4.) & judices territoriales (Suet. *Haredz Höffdingar*) fieri consuevit. Hi sic olim eligebantur;

Legifer conventum, post mensem habendum, in loco territorii ordinario, (Suet. *a rattan Tingsdagh*) intimavit. Hic territoriales, 12. viros designarunt; Legifero tertio-decimo manente. Qui 13. tres ex territorii inhabitatoribus Regi nominarunt, ut maxime idoneum confirmaret. Rege autem extra fines Regni constituto, præsidem territorii Vicarius Regis, sive cui hoc commissum, constituit. Juramentum vero idem, quod Legifero præstandum venit. At inique vel imperite judicans, mul-

cta-

ctatur, juxta c. 38. de judiciis (*Tingm: B.*) & 25. eod. Sin donis se corrumpi passus fuerit, 40. marcis mulctatus ignominiose deponi, nec restitui, meretur. Unus pluribus territoriis, ut territorialis præses, præesse nequit. Ipsi vero tertia ex mulctis & reditibus, territorio competentibus, cedit, c. 4. eod. tit. Tenetur is, diebus judicii ordinariis, in competenti loco adesse, vel ejus vicarius, aut tribus marcis mulctabitur, c. 5. eod. tit.

Coram isthoc Territorii præside & 12. Sabinis; sive assessoribus nominatis. (Suet. enim *Nambd* dicuntur a *nampna*, id est, nominare: quod olim in quovis conventu terriroriali 12. nominarentur, qui causas dirimerent, *Hundarisnamd Kunungz B. Upl. L.* c. 6. vel a partibus litigantibus sex utrinque nominati sunt, qui litem finirent, c. 9. §. 5. eod. tit.) Prima ruri instantia est; & sententia Suetice impartienda; cap. 11. §. 1. *Tingm. B.* Hinc ad judicem provincialem fit appellatio.

Tempus celebrandi judicii territorialis injunctum est, dies profestus non festus; idque vel inter feriam vigesimam nat. Chr. & tempus Jejunii seu Sexagesimæ; vel inter Valpurgis, i. e. Cal. Maji, & festum S. Joh. vel inter festum Mich. Archang. & Domin. 1. Adventus, c. 8. *Ting: B.* Legifero, semel quotannis, (nisi necessitas frequentius requirat;) judicium in provincia exercendum, c. 1. *Tingm. B.* Ab hoc ad Regem ejusve vicarios & deputatos appellatio concessa erat. Qui pariter quolibet anno in quavis provincia judicium (*Landz Ting*) exercere tenebatur. Item *Rattare-Ting*, i. e. correctorium judicium; a *Ratta*, i. e. corrigere. Nec non *Ræfsteting*; vel a *Ræffa*, i. e. antiq. mulctare; vel, ut nunc usitatius, residuum, seu quod restat exigere. De hoc judicio habendo intimandum erat, 6. hebdomadis antequam institueretur, vel per Regem ipsum, vel vicarios (c. 40. *Tingm. B.*) Et acturus Reum 14. diebus ab intimatione facta, citaturus: Qui, si non comparuerat, nec idonea excusatione usus fuerat, sententia, non secus ac

in

in præsentem, lata est, ib. §. 1. In istis etiam conventibus Rex expeditiones indixit (*Bædleding.*) Talia fuere Ubsalense judicium (*VosalaTing*) circa plenilunium febr. solenni sacrificio *Gæja*, pro victoria consequenda, in paganismo celebre: Unde adhuc mensi nomen (*Gajemanat*) manet. Eodemque tempore quotannis nundinæ Disanæ (*Dyssting* quasi Disæ judicium;) frequentantur. Disam illam eximiam justitiæ fautricem, alii *Thoronis* coniugem, ut Friggam Othini, faciunt: Ab illa tertius septimanæ dies *Tyssdagh*, ut ab hac quintus *Freedagh*, dicitur.

Postea in memoriam R. S. Erici Ubsalense judicium, sub ejusdem festo, sz. 19 Maij. celebratum est. Item Stregnense judicium, *Samting* a *samna*, i. est colligere, convocare, proxime die a festo Scholasticæ in febr. Lincopiæ, proxima die lunæ a feria 20. nat. Christi. Wexioniæ, die proxima a S. Sigfridi, i.e. 16. febr. In Oelandia, circa festum S. Johannis; nimirum die lunæ proxime sequenti. Scaris, die Assumptionis proximo; In *Tingvvalla* (i. e. judicii campo) die lunæ proximo a dominica Reminiscere. Oerebroæ, die sequenti post festum S. Henrici. Arosiæ. die proxima post Fest. Nat. Mariæ. Aboæ, proxima luce a F. S. Henrici. Quod si Rex ipse, huic in Fenningia, interesse nequiverat; vicem obivit loci Episcopus, cum 2. Capitularibus; Legifer cum duobus R. Senatoribus, aliisve bonis illustribus personis, ab Episcopo & Legifero, e singulis territoriis assumptis. Ita, ut clerici ecclesiastica, laici secularia deciderent. Hinc M. Ad. Brem. in Sueon. Concilio populorum, communiter *Ting* vocatur, Episcopos interesse non renuunt. Istis etiam 12. Scabini s. Nemdarii (& nominati judices) regii. *Konungzmand*, accesserunt: quibus juxta c. 35. *Kon: B. LL.* Juramentum etiam solenniter præstandum fuit. Videlicet se neminem insontem sontem pronunciaturos, secundum conscientiam & rationem divinitus concessam; neque ob con-

san-

ſanguinitatem, affinitatem aut ullum privatum affe- ctum, officium ſe neglecturos jurarunt. Et ab hoc judicio, nulla amplius dabatur appellatio. Sic in provinciis & ruri adminiſtratio fuit.

In Urbibus a 4. Coſſ. & 24. Senatoribus urbicis juſtitia adminiſtrata eſt; illi Cal. Maji, in feſto Valpurgis, vel ſecundum quædam antiquiora legiſteria, in feſto S. Nicolai, a Conſulibus & Senatoribus reliquis, ante 8. diem electi, per prætorem proclamati fuerunt. Eorum juramentum hoc erat: Ut Regi fidelitatem ſe præſtituros; in judiciis omnibus, inter pauperes ac divites pariter juſtitiam ſequuturos, & nunquam leges ac jura contra conſcientiam perverſuros, aut in pravum ſenſum detorturos: Non ob metum aut avaritiam, odium, invidiam, aut inimicitias, neque ſanguinis nexum vel amicitias, inique judicaturos ſponderent. Ita ſibi Deum propitium precati, ut verum dicerent.

Conſules ac Senatores urbium, etiam ex indigenis Suecis, non alienigenis, antiquitus eligendi. Etſi enim temporibus exoticorum regum germani ſeſe intruſerint, ut in legiſteriis tum deſcriptis reperiatur, conſules debere 6. eſſe; tres Suecos, totidemque germanos; Senatores 30. 15. Suecos, 15. germ. Præfuerunt per vices annuatim 2. Conſules & 10. Senatores, dimidia pars, ſz. I. conſ. & 5. Senatores Sueci, altera pars germani; Ita ut 4. quolibet anno ordo rediret. Illud tamen ob inſolentiam, & horrendam crudelitatem exterorum, de qua Joh. M. l. 21. c. 15. 16. & 17. ſummamque iniquitatem; ad inſtantem petitionem plebis, quæ alias opem, ſubſidia & obedientiam Gubernatori & Senatui Regni ſe denegaturam, & vel cum vitæ ac fortunarum diſcrimine remedium adhibituram minata eſt, viciſſim correctum. Idque Regni Senatorum ſubſcriptione & majori Regni ſigillo Holmiæ corroboratum ann. 1470. die S. Calixti, cum exercitus R. Chriſtierni I. in monte Brunchonis ſuperatus eſſet. Imo ne Syndicus, aut Scri-

ba civitatis, nec telboniorium quidem aut excubiarum, vigore ejusdem diplomatis, & c. 2. tit de reg. jur. municip. extraneus erit.

Consules numero 4. Senatores urbis, 24. ordinarie; quorum dimidia pars quotannis judiciis & publicis negociis præerat. Semperque præsidebat prætor regius, quo, vel ejusdem vicario, non præsente, sententiam ferre, vel in judiciis quicquam decernere non licuit. Hic etiam in electione consulum aut Senatorum, si discreparent vota, pondus addidit. Consules, qui isto anno præsidebant, archivi, ubi privilegia urbis, leges & statuta asservarentur, claves, singuli unam tenebant.

Inferius judicium seu Prima Instantia sub dio, in foro, ab uno præfecto regio & duabus Senatoribus urbicis exercebatur; ab his data est appellatio, ad Prætorem, coss. & Senatum; sub arrha 2. solidorum. Ab his vero ad regis sententiam (*a Raffsting*) Sin, qui sibi videbatur gravatus, provocationem instituere noluit; sed de juste lata sententia confirmari voluit, petiit sibi ex legisterio recitari textum, solutis prætori duabus solidis, coss. singulis ejus anni 1. & scribæ 1. Plura de judiciis, tit. de iisdem, jur. municip. (*Radstuffvvu Balken*) uti & de negociationibus, optime constituta habentur. tit. de iisdem, *Kœpm. B. & Skipmala Balken.* Antiqua igitur politica administratio, breviter hæc fuit: Rex majoris momenti negocia, ut de bello, pace, legibus &c. primoribus & Senatoribus perpendenda proposuit: deliberata ad populum referebantur, (quod vel ex confirm. Legist. R. Birg. ante an. 354. manifestum est) qui suffragatus vel refragatus est. Rex tandem statuta & stabilita, sua auctoritate confirmarat. Cuncta igitur gravioris ponderis, quæ modo feliciter successere, optimatum consilio & libero populi consensu gesta fuisse animadvertuntur.

Interim Rex ipse regnum, ut dictum, circumiens, judicia exercuit, casus decidit & controversias, vel ipse

vel

vel per vicarios, sustulit, omniaque ordinavit. Præter Legiferos, de quibus supra dictum, & armigeros Regni, prisco etiam ævo in usu fuerunt, summa isthæc officia, sz. 1. Drotzeti (quem vulgo Archidapiferum, exemplo germanorum, vocant; qui sicut illis Palatinus Rheni est judex Cæsaris, Aur. Bull. c. 5. §. fin. Ita in peculiaribus casibus Drotzetus, quæ majestatem concernunt, dijudicet; Reg, form. p. 9.) Hujus inquam, officium est, omnibus judiciis, supra reliquos judices, eadem potestate, qua Rex ipse, si adesset, præesse; injustitiam & iniquitatem sistere ac cohibere. Eique non secus ac Regi parendum. Et si R. contra pacta & juramenta aliquid admiserit, Drotzeti erit idipsum remonstrare & officii commonefacere. Prout totidem fere verbis, eodem sane sensu, in Unione R. Erici XIII. 1394. facta exprimitur. Marschi munus erat Drotzeto assistere, justitiam & æquitatem nomine Regis asserendo ac stabiliendo, & quasvis iniquitates reprimere. Ipse caput militiæ fuit; aliorum tamen bonorum virorum præsentium consilio uti tenebatur. Regi etiam ab antiquo supremus Cancellarius affuit, cui Sigillum Regni demandatum. In Assecurat. R. Eric. 1435. ita habetur. Nos Ericus R. S. Volumus etiam Drotzetum & Marschum in regno constituere, prout cum Senatoribus Regni utile cognoverimus, juxta antiquas consuetudines &c. Quod ipsum confirmant literæ Arch. Ubs. Olai; Thomæ Stregnensis Episc. Nicolai *Gæstafsson*, *Gottskalki Bengtsson*, & *Laurentii Ulffson*, Armigerorum Regni &c. ad R. Eric. Pomer. Ammiralii officium, apud antiquos diserte nondum reperi; sed videntur iidem, qui terra, mari etiam militiæ præfuisse; unde non exiguus defectus & confusio sæpe extitit. Tam distincta enim munia, ac nunc sunt, olim non fuerunt; hinc etiam orto ex improviso tumultu, remedia invenire, & sine cunctatione occurrere difficilius erat. Sæpeque uni plura commissa, quo vel absente vel negociorum multitudine obruto, insi-

gnem prisci Reges defectum in administratione sensegunt. Thesaurarius Regni, tantæ æstimationis ac nunc est, quondam in usu non fuit; cum maxime opimi reditus, Episcopis, Prælatis, Monasticis, Vasallis, Legiferis, & præsidibus ac gubernatoribus provinciarum cesserint; solis Ubsalensibus bonis & tenuibus quibusdam, coronæ & Regi relictis. Quorum rationem scriba facile inire potuit. Senatores Regni & Consiliarii Regis, post Christianismum introductum, fuere Archiepiscopus, Ubsal. Regni primas, cæterique Episcopi & Clerici, quotquot Regi allibuit. Ex equestri ordine 12 Senat. adhibere licuit. Quorum juramentorum & officium, partim jam antea descriptum, partim infra plenius dispalescit.

Magna vero fuit olim Exactorum seu præfectorum vel prætorum regiorum (quos *Konungz* aut *Haredz Fougder*, nunc vulgo *Uplærdzman* vocamus) in provinciis potestas. Nec multo minor quam Toparcharum, qui nunc sunt, & *Landz Hæffdingar* dicuntur. Illi quippe judici territoriali in judiciis assidebant, imo præsidebant; & simul sententias exequutioni mandabant. Quod solum posterius per ordinant. jud. p. 9. adhuc illis incumbit.

Regem autem ipsum coram lites audire ac dirimere, cum magnam, propter Regn. amplitudinem, difficultatem habeat, ne dicam, impossibile sit, abortis præcipue bellicis tempestatibus; ubi etiam ultra regni fines incendium depellendum atque restinguendum: R. Ericus XIV. soperiori seculo, Regium tribunal seu judicium & Parlamentum fundavit: in quo graviores controversiæ, ad Regem devolvi solitæ, deciderentur. Quod, aliquandiu intermissum, pleniori instructione, ordinantia & authoritate, gloriosæ recordationis R. Gust. Adolph. M. sub initio imperii sui 1614, Oerebroæ communivit & stabilivit. Unde plura deinceps parlamenta enata sunt; hodie numero 4. Prout ex seq. cap. plenius elucescit.

CAP.

CAP. X. De Moderna reip. administratione.

Quanquam hodiernus Imperii Sueo-Gothici status in quibusdam ab antiquo nonnihil recesserit; in quam plurimis tamen, & ipsis fundamentalibus, adhuc dum idem manet, altissimæque antiquitatis vestigia in eo luculenter intueri licet. Rex nimirum unus est, cui competit religionem promovere, ac defendere; Arces, castra & provincias in potestate habere; Omneque jus suum & coronæ, secundum leges tueri. Ipse Dei vicarius est superiorem in terris non agnoscens: Leges universis & singulis condit, etsi cum consensu Ephororum, ordinumque suffragio; Et earundem summus interpres est. Omnium judiciorum supremus inspector ac revisor est. Jus vitæ & necis, juxta ordin. jud. p. 26. in fine, habet. Magistratus constituit & jurisdictionem tribuit. P.pes, Duces. Comites, Barones, Nobiles, Equites creat & feuda concedit. Doctores, Licentiatos, artiumque lib. Magistros creandi, per delegatos, potestatem facit. Famæ restituit. Salvum conductum tribuit. Cursores publicos ordinandi licentiam præstat. Is, ordinum suffragio præmisso, bellum indicendi jus habet, pacemque sanciendi. Nec non fœdera pangendi & Legatos mittendi. Rex etiam summum ius fisci obtinet; Armandias, seu loca ubi arma cuduntur, privilegiis munit. Jus viæ publicæ, & hanc a latronibus tutam præstandi, summum retinet. Flumina publica, cum suis reditibus & portubus, atque in iis vectigalia disponendi, pari potestate tenet. Cæteraque vectigalia & tributa, ex ordinum consensu, ordinat. Extraordinariasque contributiones, exigente necessitate, iuxta leges iniungit. Monetam cudit & cudendi potestatem dat. Angarias exigit. Mulctæ partem interdum totam, (*Konungs Eensak*) capit. Arces & Castella erigit. Urbes condit, & condendi privilegium concedit. Et in metallicas fodinas summum ius habet &c.

Proximi Regi in regni administratione sunt Regni Senatores, ordinarie numero 25. Quorum est Regem de jure regni admonere; huic & ipsi utilia pro viribus suadere; ordines ac plebem in fide & obedientia confirmare; Omniaque ordinarie vel extraordinarie sibi commissa ad dignitatem, & commndum Regis & regni referre ac fidelissime expedire. Hi quoties opus est in Buleuterio cum S. P. M. consultationes instituunt. Interque eos quinque præcipua authoritate eminent, Supremi officiales & summi Præsides dicti, negocia ad suum collegium spectantia, quique cum assessoribus collegialiter tractantes: salvo jure & præeminentia Regis.

Primum collegium justitiæ; Suec: *Hoffratt* dicitur; quo judicialia quævis & casus forenses, vel directe cognitioni Regis subjacentes vel per appellationem huc devolvendæ, spectant. Unde & Regium judiciu vocatur. Hic Protocolla & sententiæ inferiorum iudiciorum revidentur & examinantur; In criminalibus dubiis, vitæ aut necis fit declaratio: Secundum Formæ Regiminis articulum septimum; Nec non à S. R. M. datam specialem huius collegii instructionen; Et processum iudiciorum. Huc fiunt appellationes è Ducatibus, Comit: Baronatibus, provincijs & urbibus, dummodo causæ valor majoris momenti fuerit, & in processu nominatam summam æquaverit. Hic læsæ Majestatis crimina dijudicantur; & quæ olim immediate a Rege in *Landz-Raffst-* & *Rattars Ting* cognoscebantur (his enim illud judicium successit.) Item querelæ denegatæ justitiæ ab inferioribus judicibus. Personæ specialibus privilegijs munitæ; Et si qui casus a Senatibus Academicis dirimi nequeunt, hic finalem sententiam expectant. Nec ulterior datur provocatio seu appellatio. Datur ramen, vel per libellum supplicem, vel impetrata licentia a parlamento, apud S. R. M. beneficium revisionis, numerata certa pecuniæ summa, quam collegium retinet, sive sententia approbetur, sive reprobetur.

Ta-

Talia judicia seu parlamenta hodie quatvor sunt, pari potestate & authoritate instructa: primum, & præcipuum Stockholmense; ubi Drotzetus regni præsidet, cum 16 Assessoribus; 4. Regni Senatoribus; 6. aliis ordinis equestris, & 6 literatis ac jurisperitis. Qnibus Secretarius, Fiscalis, Notarius, Actuarius & Scribæ adsunt. Huic Parlamento subjacet Sueciæ Regnum, cum Helsingia, Dalekarlia & borealioribus provinciis. Nec non, si qui speciali privilegio cæterorum parlamentorum cognitioni eximuntur. Ut Ducatus Æstiæ, Urbes Riga, Revalia. Secundum Parlamentum Junecopiæ habetur, cui præsidet unus e regni Senatu; Assessores sunt 6 nobiles & totidem alii viri eruditi ac prudentes. Quibus suus etiam est Secretar. Notar. Fisc. &c. Huc Gothiæ regnum, cum Wermia & Dalia pertinent.

Tertium Parl. Aboæ est in Fenningia, Præsidem habens R. Senatorem, Adsess. 6 nobiles: totidemque alios doctos & cordatos viros; Cum Secret. Notar. & Fiscal. &c. Huic magnus Fenn. Ducatus, cum utraque Carelia subest.

Quartum Dorpati in Livonia est, itidem præside Regni Senatore gaudens; Assessoribus 6 ordinis equestris & 6 urbicis: Cum Secr. Not. & Fiscali. Quo referuntur causæ ex Livonia, generaliter dicta, & Ingria.

In singulis unus primæ classis, id est, Nobilium, Vice-Præsidem agit. Assessores vero à collegiis eliguntur & nominantur, sex ejusdem ordinis & conditionis cum prædecessore: e quibus Rex unum confirmat.

Legiferi, suos etiam habent Assessores seu Nembdarios, (nec non & vicarios, Svetice *Under Lagman*) inque singulis territoriis suarum provinciarum intra triennium judicia exercent, Prout p. 3. ordinantiæ judiciariæ injungitur. Quod si neglexerint, gravis mulcta irrogatur, juxta citatum punctum prædictæ ordinantiæ, (ut & iudici territoriali, Suet: *Hæredz Hæffding*) inter Regem, actorem & territorium tripartito distribuenda: quoties

tempus judicii neglexerint. Quam, ut in pari casu, si Judicia in urbibus, (*Radstugudaghar*) a Consulibus & Senatu urbico, per incuriam negligantur, & querela delata fuerit, Castellani exigent Troparchæ & provinciarum præfecti. Nemo proinde potest in eadem provincia simul Castellanum sive Troparcham & provincialem judicem agere. Quod p. 27. Formæ regiminis cautum est. Consistit autem Legiferorum officium, nunc temporis, solum in exercendis judiciis & decidendis controversiis ab inferiori foro territorialium judicum ad se devolutis. Tenentur etiam hi, uti & omnes alii seculares judices inferiores, sententiarum à se latarum codices (*DomBøker*,) Regio Tribunali seu parlamento circa initium Febr. quotannis revidendos, sistere. Isti quoque Legiferi e Senatorum R. numero sumuntur & certum salarium, quod incolæ prov. annuatim pendunt, (Suet. *Lagmanspenningar*) consequuntur: coram quibus secunda est instantia ruri in processu judiciario. Suntque hodie 14. vid. Uplandiæ, Westgothiæ & Daliæ; Fenningiæ borealis cum Alandia & orientalis Bothnia; Ostgothiæ, Wesmanniæ & Dalekarliæ; Fenningiæ australis cum Tavvastia & Nylandia; Decem-territoriorum; Sudermanniæ; Ditionis Calmarensis & Olandiæ; Careliæ & Kexholmensis ditionis; Bothniæ occidentalis; Nerikiæ; Wermiæ & Ingriæ. Ad quos fit appellatio à judicibus territorialibus, coram quibus, cum 12 Assessoribus (Nembdariis) e plebe, viris cordaris, est prima instantia ruri. Constituuntur & hi scil, territorialiter judices à Regia Majestate. Prout iam diu in electivo regno obtinuit, & in decreto Comit. Holm. anno 1649. p. 3. in fine S. R. M. specialiter concreditum est.

In Urbibus prima instantia est in curia inferiori, vulgo *Kammener Ratt*. Secunda coram Consulibus & Senatu urbico. Tertia, si res tanti momenti, in parlamento regio.

Quatuor, communiter, sunt Consules; Primus ut pluri-

rimum regius dicitur, qui justitiæ principaliter præest. Huic concreditur archivum, cum privilegiis & statutis. Ejusque curæ ac directioni subsunt templa, scholæ, nosocomia, orphanotrophia, & censura morum atque conviviorum, quoad politicas ordinantias. Secundus negotiationes dirigit, nundinas atque precia mercium; nec non urbi de commeatu mature proscribit. Tertius, Artificium inspectionem habet, arte facta taxat; Pistoribus & cerevisiæ coctoribus aliisque modum ponit. Quartus, reditus civitatis, ædificia & mundiciem ac nitorem urbis curat, incendia avertit: Istis singulis coss. duo aut tres ex Senatoribus urbis, tanquam collegæ adjunguntur: Qui diebus extraordinariis, singulis septimanis ad consultandum seorsim conveniunt. Sunt præterea in urbibus Syndici, Notarii, Scribæ, Fiscales, Logistæ &c. de quorum officiis vid. ord. R. Gust. M. anno 1619. Urbici autem unum tantummodo singuli negociationis genus aut artificium exercent. Et quotannis in sustentationis media, circa Cal. Maji, cum Consules & Senatores eliguntur, inquirendum est.

Secundum Collegium supremum, militare est; quod à Marscho Regni dirigitur. Cujus Assessores ordinarii 2 Reg. Senatores, præsertim militares; & alii officiales bellici; De hoc Senatu sunt Campi-Marschalli, Regni, Armamentarius & generalis excubiarum Magister. Quibus suus est Secretarius, Notarii & Logistæ. Hujus est inspectio militiæ, equestris ac terrestris, per totum regnum & subjectas provincias: Quæque belligerationem respiciunt, homines, instrumenta & machina, bellicas, lustrationes, stipendia, commeatum aliaque bello, castris & locis munitis necessaria curare. In expeditionibus, castris & locis munitis, milites peculiari jure utuntur, Articulis scil. militaribus; Secundum quos prima instantia est, coram Tribuno cum suis Assessoribus. Secunda coram Marsco vel ejus vicario Campi-Marschallo; cui assident gen. præfectus rei Machinariæ,

Excubiarum Præfectus, Generalis equitatus Ductor, Castrametator, Lustratores cum Tribunis vel eorum locum-tenentibus. Cum Præside Secretarius, ut alibi, Sententiis subscribit. Cui etiam Notarii & Scribæ subserviunt. Ad superioris fori cognitionem spectant crimen læsæ Majestatis aliaque graviora, & per appellationem huc devoluta, quæ 500 thalerorum valorem excedunt. Est hic præfectus justitiæ, reos ad mandatum præsidis citans: Et generalis executor, *Propbos*, cum vicario & Fiscali, qui observatores & accusatores sunt. Pedites e plebe leguntur, decimus aut vicesimus: Equites Nobilitas aliique ut prædiorum immunitatem obtineant, præstant.

Tertium Collegium Navale seu Ammiralitatis est; ubi Regni AMMIRALIUS præsidet, Assessoribus 2. e R. Senatu, rei nauticæ peritis; cum 4 Vice-Ammiralis, ac Senioribus Capitaneis nauticis. Quibus etiam additi sunt Secretarius, Notarius, Scribæ, Fiscalis &c. Hujus est classis bellicæ, conjunctæ aut separatæ, curam gerere. Navium majorum ac minorum, ædificandarum, instruendarum aut reparandarum, omniumque instrumentorum & requisitorum nauticorum rationem habere, ut in omnem eventum regno bene prospectum sit, omniaque utiliter collocentur.

Sunt etiam hic articuli nautici, & judicia huic collegio propria. In cæteris, & nautæ & milites, cum domi sunt, juri & processui judiciario communi subiecti sunt. Et Nautæ ex urbicis ac rusticis maritimis leguntur.

Quartum Collegium est Cancellariæ; cuius Præses Regni Cancellarius, penes quem est magnum Regni sigillum; Assessores 4. e R. Senatoribus, Cancellarius aulicus, cum duobus Secretariis status, Nobilibus. Ad hoc Collegium spectant omnes Secretarii, quorum alius est rerum domesticarum seu Suecicarum, alius Fennicarum & Livonicarum; alius germanicarum & communicationum cum exteris Principibus, alius Consultationum,

num, alius revisionis, alius antiquæ Cancellariæ &c. cum suis Referendariis. Hic Decreta, statuta & ordinantiæ cuduntur, privilegia & instructiones consignantur; Pacificationes, fœdera, legationes & legatorum instructiones confirmantur, omnesque consultationes pub. digeruntur.

Quintum Collegium est Cameræ seu Fisci & ærarii, ubi præsidet *Thesaurarius* Regni, cui assident 2 Regni Senatores, & duo Nobiles, (Revisionis nunc Cameræ, 2 Assess. præsunt.) quibus adsunt Secretarius, Referendarius, cum Logistis & Scribis. Huic collegio parent omnes, qui circa reditus regni occupantur. Hinc mandata accipiunt; huic rationem reddent. Id igitur incumbit, ut reditus augeantur potius quam diminuantur: matureque exacti utiliter collocentur, cæteris collegiis sumptus suppetant & in omnes necessitates bene prospectum sit.

Est & peculiare Collegium metallicum, quod certo respectu ad illud refertur, peculiari instructione & statutis gaudens: & privilegio, anno 1637. publicato munitum.

Quinque isti summi præsides in Regis absentia, morbo, vel minorenni ætate & interregno, Regni Gubernatores sunt & Regii pupilli Tutores; quemadmodum immortali cum laude, & totius orbis stupore, hanc provinciam nostra ætate, nomine Sereniss. ac Potentiss. Reginæ Modernæ minorennis, juncta opera cæterorum Senatorum illust. per integros 12 annos gesserunt, illustr. D. *Gabriel Gustafsson Oxenstierna*, R. Drotzetus; & eo defuncto illustriss. Comes, Dn. Petrus *Brahe*, itidem R. Drotzetus &c. illustr. Comes D. Jacobus de la Guardie, Marschus; Illustr. Dn. Carolus *Gyllenhielm*, L. B. in *Buvvara*, & R. Ammiralius; Illust. Comes Dn. Axelius *Oxenstierna*, R. Cancellarius, & illustr. D. Gabriel Benedicti *Oxenstierna*, Lib. B. de *Mørby* & Regni Thesaurarius.

Nec desunt alia quoque magna officia ad regiam pompam,

magnificentiam, utilitatem & decus Regis atque Coronæ pertinentia, ut *Regni Marschalchus*; Qui itidem unus è Senatorio ordine est. Hic ceremoniis in publicis congressibus præest; nec non in solennitatibus nuptialibus & conviviis à Rege institutis, pompas moderatur. Legatos excipit & iisdem de necessariis prospicit. Senatum jussu Regis, vel vices ejus gerentis, per ministros, convocat. In comitiis silentium & audientiam præstat, & potestatem dicendæ sententiæ facit. Eos vero, quibus hic se ingerere nefas, & non vocati intrudunt, per satellites eliminari mandat. Turbas & tumultus in conventibus ortos compescit. Et Aulam Regiam dirigit; impensas, inspicit ac moderatur. Unde ipsi Marschalcus aulicus, Aulæ Magister, Magister stabuli & quicunque cellæ, culinæque regiæ & stabulo subserviunt, (nec non & Tribunus cohortis aulicæ, quoad ceremonias & quotidiana ministeria, alias enim à militari collegio dependet) parere tenentur; ne officium negligant, vel quid contra decorum admittant.

Armamentarius regni, ut ad militare Collegium pertinet, à quo &, post communicationem factam, resolutionem accipit; ita omnis generis arma, tormenta, pulverem pyrium &c. curat. Et quævis ad bellum necessaria prospicit ac dirigit.

Archistabularius R. stabuli & equorum regiorum, ubivis constitutorum, summam curam gerit.

Venator R. jura venationis, vivaria, nemora & saltus coronæ, summa cura, ad publicam utilitatem dirigit. Ne aves aut quadrupedes nisi legibus definito anni tempore capiantur, aut cædantur; ursorum vero ac luporum & cæterorum animalium noxiorum venatio, quam & antiquæ leges exigunt, ne negligatur. Arbores frugiferæ, mali, pyri, quercus, fagi, coryli &c. ne exscindantur, advertit.

Hæc quatuor officia vid. Marschalki, Armamentarii, Stabularii & Venatoris R. ordinarie Stockholmiæ resident.

dent. Muneris tamen ratione sic exigente, in provincias etiam, aliaque loca nonnunquam excurrunt. E.g. Armamentarius ad arces, munitiones, & loca, ubi arma funduntur ac cuduntur. Stabularius, eo ubi equi aluntur. Venator ad campos venatarios regios (*Konungzparkar* c.34. *Kon. B.L.L.*) vivaria & sylvas principaliores. Hæc de regiæ aulæ administratione & directione.

In urbibus & provinciis, ut omnia rite administrentur, mandata regia exequutioni mandentur, interesse coronæ non negligatur, Gnbernatores, Castellani ac Toparchæ resident; Quales sunt Holmensis in arce regia; *Oeffvverstathallare*, seu Castellanus Stockholmensis; qui rurali provinciæ nulli præest, sed arcis regiæ Holmensis structuras inspicit & urget, aliæque ædificia regia Holmiæ, cum muris & tabularis urbis. Is urbi peculiari authoritate præfectus est, ut privilepia ejus tueatur, politicæ administrationi præsit; ædificia, reditus, negociationes, cum huc pertinentibus, dirigat atque defendat. Arma & exercitia militaria civium lustret. Nec regalia coronæ in urbe diminui patiatur; aut, Rege inscio; quicquam fisci reditibus decedere. Ipse sempor unus è regni Senatoribus est, cui adjungitur Vice-Castellanus ex ord. equest. Qui in judiciis urbanis juxta coss. & senatum urbis præsidet; & justitiæ exequutioni intentus est. Cui etiam Capitaneus urbis & huic adjuncti satellites sine mora, vacabunt. Provinciis etiam hi praesunt: Uplandiae, Ubsaliae: Westgothiae, Scaris: Fenningiae & Alandiae, Aboae. Livoniae ac Ingriae, Dorpati; Wesmanniae & Montanorum, Arosiae, Smolandiae, in *Croneborg*. Careliae Viburgi: Ostgothiae, Linkopiae: Sudermannuiae, Nycopiae: Tawastiae & Nylandiae in *Tavvasthuus* aut Helsingforsii. Elfsburgensis ditionis & Dalensium, Gothenburgi: Calmarensis ditionis & Oelandiae, Calmariae: Dalekarlorum & Cuprimontanorum, Phaloniae: Nerikiae & Wermiae, Oerebroae: Bothniae occidentalis & Lapporum, Hudwikswal-

waldi: Orientalis Bothniae, Ulaburgi: Æſtiae, in arce Jervenſi: Ingriae & Alentakiae, Narvae. Kexholmiae & ditionis Kexholmenſis ibid. Vendici & Pernovici circuli Rigae. Qui tamen exigente publica utilitate, nutu S. R. M. pro temporum conditione mutantur: & jam plures, jam pauciores adhibentur: Nonnullis interdum Generaliori gubernandi poteſtate inſtructis. Ut nunc de Gothlandiae, Jemptiae, Pomeraniae, caeterarumque germanicarum provinciarum Gubernatoribus, nihil dicam.

Sunt etiam officiales inferiores & plebei, ut Prætores & Lensmanni (quales germani *Schultheiß* vocant) eorumque ſuffraganei, *Fierdingzman* & *Nambdingeman*, qui tributa exigunt, executioni judiciorum ruri inſerviunt, & hoſpitationes viatorum immediate curant. Atque hæc pro pagellarum anguſtia, hac vice, de moderna Politia Sueo-Gothica.

CAP. XI. *De Politia Fenningiæ, antiqua & moderna, in ſpecie.*

Fennos quoque Regium imperium antiquitus amaſſe ex ſuperioribus conſtat, ubi lib. 2. c. 7. priſci quidam eorum Reges enumerantur. Cætera officia in hiſtoriis diſerte non occurrunt, quæ tamen diſtincta fuiſſe patet, cum proprio idiomate nomina adhuc ſuperſint. Ut *Ruhtinas* Rex vel Princeps ſuperiorem non agnoſcens; (*Kuningas* enim una cum imperio à Suecis nunc habent.) *Paamies*, Dux ſeu Capitaneus, à *Paa*, caput. & *Mies* Vir, ſicut Suec: *Hæffvvidzman*, à *Hæffvvud*. *Opas*, eques; *Ratzasmies*, gregarius miles; *Sota*, bellum, *Sotamies* & *Sotalainen*, miles: *Sotaketo*, campus martius. Ut igitur diſtincta officia & gradus in bello, ita in pacifica adminiſtratione, procul dubio, fuere. Sueciæ autem ſubjecta Fenningia; cum religionem chriſtianam & Epiſcopos accepiſſet, ii & eccleſiaſticam & politicam directionem, magnâ ex parte geſſiſſe videntur. Ita c. 6. *Kong. B. L. L.* ſtatutum eſt ut

Epiſc.

Episc. Aboënsis cum R. Drotzeto, nomine Regis in Fenningia homagium acceptet.

Nec minoris authoritatis quèm prudentiæ viri huic officio adhibiti sunt. Ita Episc. Ab. 5, tus Bero Westgothi R. Erico XI. sanguine junctus & prius à secretis fuerat. Uti & 6. Ep. Ragvaldus, D. Birgeri *Ierl* antea Cancellarius; velut 7. Catillus R. Valdemari. Quin & quorundam prudentia atque industria apud exteros clara, sic 14. Episc. Ab. Iohannes P. Rectorem Acad. Magnificum Parisiis egit. & 18. Ep. Ab. Olaus ibidem Professoris & R. Magnif. munus laudabiliter sustinuit; Regumque postea Christophori & Caroli 8. consiliarius fuit. Et Episc. 17. Nagnus *Tawast* R. Erici Pom. Cancellarius erat. qui universæ parochiæ *Masko*, tributum & reditus, ad dies vitæ suæ, à Rege obtinuit. Hunc milites atque nobiles pari veneratione ac Regem prosequuti sunt. Is gravem in Satagundiâ seditionem cohibuit: Fennis jus comitiorum impetravit: & alterum etiam Legiferum (cum anteâ unum tantum in totâ Fenningia habuerint) ad meliorem justitiæ administrationem, procuravit. Non defuere tamen etiam olim Castellani & Gubernatores, quos Capitaneos vocarunt; (ut nunc ipsos subactores primos, D. Birgerum *Ierl* Tavvastiæ, & D. Torchillum Canuti, Careliæ, taceam.) tempore dicti Episcopi Magni *T.* Nicolaus *Lydikssön*, Capitaneus Aboënsis; Et Ericus *Axelsson Tatt*, qui arcem Savvolaxiæ *Nystat*, olim *Olaffsborg* dictam, extruxit; nec non hujus frater Ivarus *Axelsson Tatt*. Quinimo ipse R. Marschus, postea R. Carolus 8. ante & post acceptam coronam, frequentèr in Carelia stationen habere amavit, quod varia diplomata & sententiæ hic datæ comprobant. Quin & Dn. *Steno Sture* senior & Svante *Sture*, hanc regionem peculiariter gubernârunt. Et Ivarus *FLemming*, cum fratre Erico, superiori seculo hic potentes fuere. Post Evangelii lucem secularis potestas ab ecclesiasticâ planè dirempta est, Et Ducatus Fenningiæ Australis & Borealis cum Alandiâ, Jll. Ppi Johanni

Reg.

Reg. Gustavi 2. do genito anno 1556. assignatus fuit; cum urbe & arce Aboënsi, quam ædificiis magnifice auxit. Et dum vixit Pater R. Gustavus I. totius Fenningiæ Gubernationem tenuit. At post fata R. Joh. 3tii filio P. pi Johanni, ex decreto Norcopensi Ostrogothiæ Ducatus, pro Fenningia cessit. Quam aliquandiu Com. Axelius *Leyonhuffvvud* gubernavit & postea pro Sigismundo Polon. R. contra Pr. CAROLUM & R. S. Senatores, mordicùs tenuit D. Claudius *FLemming* R. Ammiralius & Fenningiæ Gubernator. Cui mortuo, brevi temporis momento, successit, ejusque vices gessit Arvidus Erici *Stalarm*; Huic verò Dn. Georgius *Boye* surrogatus est. Tandem nostra ætate magnâ cum laude græfuere, sz. ab anno 1623. Prælustr. & Generos. D. Nicolaus *Bielke* de *Saalstadh*, Lib. B. & Regni Senator, qui collapsam justitiam restituit, multaque in meliorem statum reduxit. Cui non minori laude successit illust. D. Gabriel Benedict: *Oxenstierna* R. Senator & Thesaurarius, anno 1632. Et tandem Gubernatio Generalis magni hujus Ducatus Illustriss. D. PETRO *BRAHE*, Com. in *Wisingzborg* &c. R. Senatori, Wesmanniæ, Montanorum & Dalckarlorum Legifero, anno 1637. fausto sydere demandata est. Qui 19. Nov. ejusdem anni Aboam appulit. Sed anno 1640. post multa hic præclarè & laudabiliter gesta, 6. Aug. Holmiam hinc navigaturus solvit. Ubi anno sequenti, Regni Drotzetus & sup. Parlamenti regii Holmensis Præses est creatus. Et aliquandiu post Academiæ Aboënsis Cancellarius salutari non renuit. Nunc autem ante biennium eandem Magni Ducatus Gubernationem, 19. Jun. 1648. reversus, omnium ordinum summo cum applausu, denuo suscepit. Quanta vero ejusdem in hanc gentem merita, Academiam nomine S. R. M. erigentis, Bibliorum editionem procurantis, Templa Scholasque exornantis, urbes erigentis, & provincias optime ordinantis, partim in Academiæ Aboënsis Natalib. breviter attingitur; partim vero posteritas plenius agnoscet ac deprædicabit.

Nec

Nec defuere interim olim & ante hac nec adhuc desunt, in singulis provinciis & districtibus viri nobilissimi ac prudentissimi, qui ut Castellani & Toparchæ præfuerunt ac præsunt. Generalem vero Gubernationem habuere hactenus supradicti: Non secus ac Livoniæ Gubernatores olim fuere Illustriss. Com. Dn. Jacobus de La-Guardie &c. Dn. Hermannus *Wrangel*, Campi-Marsch. D. Johannes *Skytte*, L. B. &c. D. Benedictus *Oxenstierna* &c. Dn. Ericus *Ryning*, Ammiralius, Dn. Ericus *Steenbock*, summus in Livonia militiæ præfectus & Vice-Gubernator; successive antehac; Et nunc est Illustr. Com. Dn. Magnus Gabriel de La-Guardie. Ita & Westgothiæ, Wermelandiæ, Daliæ & Hallandiæ utriusque Generalis Gubernator est Illustriss. Comes Dn. *Lenhard Torstensson* &c. Et Ingriæ ac Kexholmensis districtus Gener. Gub. antea D. Ericus *Gyldenstierna*, R. S. Huic nunc præest Gubern. Dn. Carolus *Mœrner*. Sed de Fenningiæ, in qua nunc vivo, Politica administratione, pauca ista specialius hic inserere libuit. Cætera iisdem nunc utitur legibus, politia & regiminis forma cum ipsis Sueciæ & Gothiæ regnis. An vero magis laudanda prudens ac felix gubernatio? anne fides gentis? quæ sextum jam seculum, sine magnis motibus, jugem obedientiam præstitit. Nisi quod Buggo quidam, ut suos in majorem libertatem assereret, anno 1316. Rex seditiose salutatus est. Sed, ut in tali casu fieri solet, eo per R. Sueciæ Birgerum occiso, duriorem suam conditionem Fenni effecerunt. Ut notavit Joh. M. Lib. 20. c. 24. Et rusticorum motus in Satagundia, sequenti anno, levi pulveris jactu, ab Episcopo, ut supra dictum, compressus quievit. Tumultus autem iste in Bothnia, anno 1597. (Quem vulgo *Klubbe Krijghet* vocant) non tam contra Coronam R. Sueciæ, quam R. Sigismundi & Claudii *Flemming* equites, nimis crudeliter in plebem grassantes, susceptus fuit. Nunc igitur, cum ut socii & fratres Fenni etiam habentur, feliciorem esse, quam olim magni hujus Duca-

tus conditionem & statum, cuivis sat liquidum esse potest. Ex hæc paucis de Politica Fenningiæ administratione.

CAP. XII. De Comitiis.

Quoniam autem Comitia, totius imperii quasi Epitome quædam sunt; de iisdem pauca subnectam. Comitia olim fere ob Regis electionem ad *Möraſteen* celebratæ sunt. Ut supra inculcatum & specimen Comitiorum habemus c. 4. p. 6. *Kong. B. LL.* Nunc ut de pace & bello legibus, tributis, Religione, Regis Coronatione, ordinatione politiæ, Ecclesiæ, Scholarum, & similibus agatur, Comitia à S. R. M. coguntur. Ad quæ patentibus literis, cum consilio & assensu Senatorum vocantur, qui intra Sueciæ, Gothiæ & Fenningiæ antiquos terminos habitant, vel specialiter votum impetrant: Videlicet, Comites, Barones, Equites & Nobiles; Episcopi & Superintendentes, cum duobus e singulis consistoriis; & Pastor ruralis ex quovis tractu. Tribuni militum, provinciales cum locum-tenentibus, Majoribus, Equitum Magistris & Capitaneis: Ex singulis Urbibus Consul cum Senatore vel alio Cive primario. Tandemque ex singulis territoriis Rusticus. Celebrantur Comitia, nonnunquam etiam alibi, ut plurimum Holmiæ: ubi cum ad præstitutum tempus ordines R. convenerint, Sessionis habendæ hora, tympanorum æneorum tubarumque clangore, addito præcone excelso Caballo insidente, per singula urbis compita, pridie promulgatur. Ipsa conventus die Sacris & invocatione Divini auxilii præmissis, sic congregantur: Marschalcus ordinis equestris, qui singulis Comitiis novus ab ipsa S. R. M. constituitur, cum Senioribus seu Capitibus familiarum in illustri Collegio comparet, ubi secundum votorum seriem locantur, terni ac trini in atrium Regis processuri, præcedente Marschalco solo cum baculo; quem proxime sequuntur illustres, Comites & Barones; hos Equites

tes & hisce suppares secundæ Classis, tertio Nobiles infimæ Classis juxta seriem, qua vel per sortem, vel successive inscripti sunt. Hinc S. R. M. in Cœnaculum Regni sic deducitur: Præcedit Regius Marschalcus cum aulicis & Nobilibus in illustri collegio sedem non habentibus, itidem trinis ac trinis. Deinde Marschi. Nob. quem nunc excipiunt Nobiles Tertiæ Classis, ut infimi primo procedant, & ita deinceps, Equites, Barones & Comites, terni ac terni. Regem Senatores R. proxime antecedunt eodem ordine ac serie. R. Marschalcus ante Ordines subsistit; Provincialis directe ante Nobilitatem. Rex ipse Thronum occupat, Senatoribus utrinque directa serie se locantibus.

Cæteri ordines in suis buleuteriis confluunt; Ecclesiastici in majoris templi Sacrario; Militares in suo collegio; Urbici in Curia Civitatis; Rustici in collegiali domo, *Gilleſtugun*. Unde in arcem progressi, Regis adventum in Regni cœnaculo opperiuntur.

Tum vel Rex ipse, vel ejus verbis R. Cancellarius ordinum obedientiam, frequentes confluentium collaudat, causaque conventus & studium suum exponit. Ac propositiones per Secretarium R. recitari jubet.

Ordines vero ordine, Equestris nomine hujus Marsch. Clericorum Archiepiscopus vel ejus vices gerens, Urbicorum Consul Holmensis, Rusticorum, unus eorum eloquio pollens, S. R. M. prosperam valetudinem, omniaque fausta gratulantur, eadem diuturna comprecantes: De regia & paterna reip. cura humilime gratias agunt. Propositorumque resolutionem, debita cum subjectione, sine mora pollicentur. Porrecta denique singulis ordinibus Propositionum copia, Rex ab equestri ordine in palatium reducitur; Et singuli in sua buleuteria, ut consultantium multitudo, indeque confusio evitetur, & sine impedimentis, tutius ac liberius sententiam proferant, recedunt: certumque tempus deliberationi destinant.

Illustri & Equestri ordini a suo Marschalco convocato S. R. M. propositiones ponderandæ exhibentur. Ubi disceptationes instituuntur; & vota per Tres Classes colliguntur. Prima est Comitum & Baronum, extra Senatum, qui dextram tenent. Senatores autem Regni hic nullum suffragium obtinent; etsi cum nomine Regis aliquid cum hoc ordine communicandum, supremam sedem obtineant. Secunda Classis Senatoriorum, quorum majores in R. Senatum ascripti fuere, sinistram tenent. Tertia vero loca deinceps utrinque occupat. Singulæ cujusque classis familiæ, sive pluribus sive paucioribus constent personis, singula vota obtinent; quod senior sive caput familiæ, cæteris tacite auscultantibus, pronunciat.

Primarius Classis suffragia in tecta paropside colligit; quibus numeratis enunciat, quot vota huic vel illi sententiæ accesserint. Marschalcus eadem excipit, collationem instituit, & generalem conclusionem, per Secretarium, formari mandat, quæ publice recitabitur. Singulæ denique Classes, quotquot constent familiis, unum conficiunt votum; Et duabus tertia, si forte renitetur, accedit. Ut sic in Comitiis totus ordo Equestris, unicum Votum habeat, quod Marschalcus, discursuum moderator, per Secretarium illustris collegii concipi recitarique mandat, ut generalem finalem conclusionem REGNI CANCELLARIO, prius subscriptam exhibeat. Pariter etiam Clerici, Episcopi, Superintendentes, Professores, Consistoriales, Præpositi & Pastores in loco Consistorii consultant, & per suum Secretarium conclusionem & votum formant. Negociatores & municipes cum urbium delegatis in curia urbis propositiones perpendunt; & per suum Syndicum conclusionem conscribunt. Rusticis in suo conventu peritus scriba adjungitur, qui eorum vota colligat, & ad generalem conclusionem revocet.

Tandem ordines vicissim, prædicto processu, in Cœna

naculo Regni, coram Rege & Senatoribus comparent, votaque, dato per R. Marſchalcum ſigno, publice Secretariorum voce, recitantur. Quod ſi vota mox non quadrent conſultationes ſeorſim reiterantur. Omnibusque bene concluſis, comitia ſolennibus gratiarum actionibus, gratulationibus ac votis, uti antea inchoata fuere, concluduntur. Decretis comitialibus ſubſcribit S.R.M. cum R. Senatoribus addito R. Sigillo. Marſchalcus illuſt. ordinis & cum eo ſingulæ familiæ Comitum, Baronum, Senatorum & Nobilium, ſuffixis earum Sigillis, quæ apud Seniores aſſervantur. Hinc Clerici cum Sigillis Capitulorum, Municipes urbium, & Ruſtici territoriorum Sigilla apponunt. Quod vero inibi concluſum, pro lege habetur; Magiſtratum & ſubditos, abſentes & præſentes æque ligans.

Sub finem Comitiorum, poſtquam Marſchalcus illuſt. ordinis Decretum, duobus ex ſingulis Claſſibus comitatus, in Regia Cancellaria obtulerit, in totius ordinis illuſtr. conſpectu, baculum cum officio ſeponit; actaque renovata, in archivo collegii, inſpectantibus deputatis, relinquit.

In Comitiis etiam gravamina & poſtulata ſubditorum audiuntur ac deciduntur. Quod ſi ſubitum aliquod incidat, in quo mora eſt periculoſa, Regni Senatores cum Epiſcopis, Toparchis & Holmenſi, Ubſalenſi, Gothenburg. Norcop. Aboënſ. & Viburgenſi Conſulibus ſaltem convocantur. Itemque ſi cauſa gravior, Majeſtatem & ſublimiora imperii membra concernens decidenda; quæ ordinum cognitionem requirit: Præſidet R. Drotzetus, vel (ſi is morbo aut impedimento detinetur) Cancellarius; reliqui Senatores, Parlamenta, Toparchæ & prædictarum Urbium Conſules, Regni ordines repræſentant. Quod illi ſtatuunt, ab omnibus ratum habebitur. Et hæc breviſſime de Comitiis etiam & conventibus; de quibus alibi plenius.

Imperii hæcce Sueo-Gothici est Politia perampli:
Tam firmo nixa est, machina tanta, talo.

LIBER VI.

De Potentia, Divitiis, reditibus & bonis Imperii Sueo-Gothici.

CAP. I. De Potentia ejusdem in genere.

Ad Vires seu Potentiam Regni alicujus, Thesaur. Polit. apotelesm. 1. hæc 6. pertinere tradit; 1. Subditorum amorem & benevolentiam; quæ ut merito inter præcipua numeratur, ita hic tam manifesta est, ut boni Reges vel in gremio cujusvis subditorum caput ad dormiendum tuto reclinare audeant; indeque vel soli vel uno aut altero puerulo comitati, subditis rheda aut cymba vehentibus, se concredere semper potuerint, tanto, inter eos, satellitio non indigentes, quantum exteri necessario adhibent. 2. Imperii antiquitatem, quæ supra lib. 2. breviter exposita. 3. Amplitudinem, quæ ex Chorog. descr. lib. 1. facile patescit. Simulque exinde 4 Vires unitas; 5 arma; & 6 Opes; De quibus præcipue hoc Libro paucis etiam agendum erit. Vires Coronæ Suecicæ, eique addictorum regnorum, ex ipsa experientia, certissima rerum magistra, clarissime relucent. Quæ cum amplitudine obruat & aciem intentionis abrumpat, prisca illa veterum Gothorum atque Sueonum gesta, quibus non modo cum finitimis luctati, verum etiam gentes longissime dissitas subegerunt, latissime victricia per orbem terrarum arma circumferentes, propositæ brevitatis causa, silentio transiliam. Nec proxima bella, nostra ætate, ad stuporem cunctarum nationum, a R. GVSTAVO M. & R. CHRISTINA Augustissima, feliciter gesta atque confecta, allegabo: De quibus satius est tacere, quam paucis & tenuiter dicere; præsertim cum omnibus in illustri & aprico posita sint.

Et

Et totus pro me orbis loquatur. Ea saltem, quæ parentum nostrorum memoria exantlata, brevibus attingam.

Quomodo exotici Reges, libera ordinum & populi Sueo-Gothici electione sceptri & Coronæ hic participes, posteaquam bonorum hujus imperii gustum plenis buccis hauserunt, eidem semper inhiarint, ex historiis plus quam manifestum, ac notorium est. Quæ vero causa, cur Dani Coronam Sueo-Gothicam tanto nisu ambiverint? tanta contentione unionem & fœdus sub R. Margareta urserint? (Quod quam sancte a parte Danorum sit servatum, nec ipse Erpoldus a Lindenbruch, in vita Marg. celare potuit.) Anne quod Suecos adeo amarent iisque bene cuperent? Certe nulla alia extitit, quam imperii Sueo-Gothici VIRES atque Potentia: nimirum ut hisce subnixi & aucti omnibus formidabiles, planeque invicti evaderent. At quomodo SVECIA ex hisce cassibus eluctata se extricavit, libertatem asseruit, triumphavit? Nullis profecto, nisi propriis, secundum Deum, viribus id obtinuit. Ecce enim cum proximo seculo vires, insatiabili exoticorum Regum & magistratum alienigenarum avaritia, infinitisque exactionibus & pressuris, ita attenuatæ & exhaustæ viderentur, ut nihil sibi certius, quam perpetuam Suecorum servitutem, promitterent: Accessit horrenda & paucis inenarrabilis, Reg. Christierni II. plus quam tyrannica sævitia; Quæ tamen in eo nonnihil, imo, plurimum, ut ait ille, profuit. Quod sic effectum, ut intolerabilibus agitatus injuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur. At quanta Christierni hujus Sanguinarii potentia! Is trium Regnorum ipse Dominus; Romani Pontificis favore munitus; Imperatoris Rom. tum etiam Hispaniarum & universi Belgii Regis hereditarii invictissimi affinitate, plurimorumque Regum aliorum & Principum consanguinitate, Potentissimarum civitatum amicitia & fœderibus firmatus, impedire non potuit, quin Sueci viribus suis usi, auxilio divino & auspice R. Gu-

stavo I. jugum, contra pacta & dirissima juramenta impositum, excuterent, tyrannum longe lateque procellentes. Nec mora, cum Lubecensibus etiam, qui tum satis potentes erant, & nimium sibi tribuerunt, gravissimum bellum habuere. Attamen vicinis adhuc suppetias ferre Suecia sustinuit atque suffecit. Laborantem, quippe rem Danicam, circa eadem fere tempora, Suecorum arma fulcivere. Exorto scil. in Dania bello, inter Comites Oldenburgicos & Principes quosdam Germaniæ, ad quod fœdera & affinitatis jura, Regem Suec. Gustavum I. pertraxerunt. Hic Sueco milite, suis & Coronæ sumptibus, Ductore tum Marscho R. D. Laurentio Siggonis (e familia Sparreorum, quæ nunc Baronatu illustris est) totam ferme Hallandiam, Scaniam & Bornholmium, recuperavit, & in manus R. Dan. Christierni III. ultro resignavit. Cui, (secundum Deum) Regni Danici coronam asseruit; qua posteri ejus deinceps adhuc potiuntur. Quamvis nec interea solida semper domi quies: Siquidem nulla ferme interjecta respiratione, periculosi motus Dackiani, in ipso patriæ gremio, exarserunt; multorumque exterorum sufflaminationibus foti, vix intra biennium restingui potuerunt: ut alios sat graves in Dalekarlia & Westgothia tumultus brevitatis causa subticeam. Mox bellum Moscoviticum exortum, quod Regno & Coronæ Sueciæ immenso sumptu constabat. Non solum enim Moschi potentia, omnibus vicinis terribilis extitit; quin & non pauci tum hosti commeatibus auxilium tulerunt: Nostrates e contra, Anglos, Gallos, Lubecenses, in mari infestos habuerunt. Nec parvam etiam auri & argenti vim expeditiones in Angliam absorpserunt, nomine R. Erici XIV. ob nuptias R. Elizabethæ susceptæ: quæ tamen fato prohibitæ sunt. Decedente autem R. Gustavo I. Arma in Livoniam contra Polonum translata. Et Danicum simul bellum, copiosa auri & sanguinis profusione, integrum septennium, sine armistitio aut induciis, continua-

nuatúm eſt: Multis Friderici Dan. Regis partibus palam faventibus atque ſuccurrentibus. Iſtis malis adhuc gravius acceſſit; Interna diſcordia: Qua R. Ericus in fratrem Principem Johannem Fenningiæ Ducem ferebatur. (Quam ſenes decrepiti, in hac regione *BrœderKrijget*, id eſt, fraternum bellum, vocant.) Eumque cum conjuge, filia Regis Poloniæ, arctiſſimo clauſum carcere, quinquennium tenuit. Hac tempeſtate multorum clarorum virorum ſanguine Suecica tellus commaculata & quævis diriſſima paſſa fuit. At vix dum compoſito bello Danico pernicioſiſſimum, tædioſum ac diuturnum illud Moſcoviticum, in annos 24. protractum viciſſim erupit; quod ſumptus & viros innumerabiles devoravit. Inde viciſſim interni motus, velut turbo, patriam corripuerunt; cum R. Sigismundus inſtructiſſimo exercitu, in gremium Oſtrogothiæ, ad ſuorum internecionem, infeſtis armis irruit. Quaſi vero id ſatis non fuiſſet, internis Sueciam quaſſari diſcordiis; cum potentiſſimis ſimul hoſtibus vicinis, Moſco atque Polono internecinum bellum gerere; Danus etiam, hanc occaſionem ſpeculatus, inſperato Regni Gothici fines invaſit, inque limitaneas arces, proditorum opera adjutus, penetravit. Ex quibus tamen omnibus difficultatibus, licet maximis atque denſiſſimis, Sueciæ Corona ſuo marte, ſuis viribus, propriaque potentia (divino tamen auxilio præſuppoſito) eluctata eſt; omnesque illos inſultus, intra ſeculum, maſcule ſuſtinuit, fortiſſimeque repulit & avertit. Idque ſuo milite, ſuis ſumptibus, incolarum & ſubditorum ære ac ſanguine: Regno interim nullius alieno ære obſtricto; nec vel unica arce, nedum provincia, extero cuiquam oppignorata. Nemo vicinorum, nemo exterorum, milite, commeatu, pecunia, vel tantillum ſubſidii miſit. Plures, uti dictum, clam vel aperte hoſtibus faverunt, ſuppetias contulerunt, progreſſusque Suecorum, poſito quaſi obice, tantum non prohibuerunt. Hi tamen propriis, per divinam

gratiam, lacertis cunctas istas difficultates superarunt. Unde *Potentiam & Vires* hujus imperii, tanquam in speculo & brevissima Synopsi, contemplari & dijudicare licet. Deridenda proinde Jonæ Koldingensis in Daniæ descript. Vanitas, ne dicam impudentia; Ubi Sueciam duo de viginti præliis attritam & conquisitam, regibus (quos ibidem recenset) Dan. Sacramentum dedisse asserit. Quæ quantum habeant veritatis, quantumque fidei mereantur, vel leviter saltem in historiis nostris, imo & Danicis, versatus facile deprehendit. SVECIAM certe ab ullo externo Rege vel Principe in provinciæ formam unquam redactam fuisse, ex fide dignis omnique exceptione majoribus documentis, nunquam probaverit. Quæ suis ut viveret legibus, externæ dominationis semper impatiens, armis obtinuit. Cum reliqua fere omnia Regna Europæa (si Scotiam excipias) vel Romanorum vel aliorum jugum aliquando senserint. At inquiet aliquis; Reges tamen Sueciæ a Danis sæpe victi & trucidati leguntur. Credo equidem: Sed cur non allegas quoties etiam a Suecis Dani victi fuerint, & luculentissimæ victoriæ reportatæ? Quod nec ipse odiose recensebo. Quoniam, ut canit Poëta:

Nullus ubique potest felici ludere dextra.

Et Eortunæ alea, si usquam, in bello valde lubrica est & instabilis; ut Seneca loquitur.

Quem dies vidit veniens superbum;
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Non tamen sequitur, Rege aliquando nefarie perempto, Regnum Sueciæ mox sceleris ministro sceptrum tradidisse & coronam destinasse. Consideret paulisper quivis prudens & rerum non imperitus, cum Reges prisco ævo sine magno satellitio Regnum obiverunt, aut in aulis suis securi degerunt, quam proclive cuivis nebuloni, paucorum male feriatorum manu stipato, in eosdem irruere, & nihil mali metuentes e medio tollere fuerit!

fuerit? Anne mox totum Regnum tali obnoxium fuisse putas? Valde, profectò, errat quisquis id crediderit. Non ea unquam Suecis mens fuerat, ut exteris Regum suorum parricidis diadema aut tributa offerrent: Sæpius armis obruerunt. Exemplum cupis? Cum Henricus Scatelet Danus, innocentissimum, optimumque Regem S. Ericum, nihil mali metuentem, clancularia irruptione interemisset, anne mox Regnum & Coronam acquisivit? Id testatur ac edocet templum in perpetuam rei memoriam, e spoliis & exuviis Danorum, quos Sueci audita cæde Regis, undique concurrentes ad internecionem omnes deleverunt, extructum; & adhuc hodie *Danmark* vocatum; quod dimidio Ubsalia miliari situm est. Sic Sueci regiis honoribus Regis sui occisores mactarunt. Sed ut ad Koldingensem redeam; libet paucis ejus candorem expendere: quomodo scilicet Suecia toties victa Regibus Dan. Sacramentum dederit. Et quod de Gramo dicit; Eccur eum Sigtrugo Sueciæ Regi ferro imparem, (cum nisi auro Sigtrugus superari non posset, ut diserte Saxo ait) ad notas conversus artes, largitiones nimirum, quibus velut aurea clava filiam Regis Suec. aliosque pertentans, ipsum tandem Regem sustulit, prout idem Saxo sub fabularum involucris, more suo, indicat, astu scilicet magis quam potentia & viribus victorem extitisse, non adjecit? Cui tamen ideo Sueciæ Regnum non cessit, cujus defensionem ac Regimen Scarinus Gothorum R. suscepit. Et cur Swibdagerum Suec. & Norveg. R. e Suecico sanguine, occiso in ultionem Scarini Gramo, fratrem conjugis Guthormum, tributa pollicitum, Danis præfecisse, ut Saxo ait, Daniamque tributariam fecisse, quæ verba sunt Meursii, dissimulat? Imo vero cum Hadingus, ut inquit idem Meurs. sub signis Regis Suec. omne tempus in operibus militaribus occupabat; anne tum etiam Suecia Daniæ subjecta fuit? Nec magis credo cum in gratiam Hundingi Reg. Suec. (quem Meursius

sius hac in parte Saxone fabulosior, a cane dictum comminiscitur) Hadingus Dan. R. sese suspenderat. Frothonem I. dum Regnorum Suec. R. falso proditionis insimulatum bello lacessit, armorum pondere & æstu strangulatum interiisse Saxo dicit. Sueciam vicisse aut subjugasse nusquam dicit. Qua igitur fide Meursius Regnerum Frothini affinem (quem Saxo Suec. regem fuisse diserte tradit) affectati regni (nisi Danici intelligat) licet falso incusatum dicat, ipse viderit. Joh. M. autem Frothonem istum bella ex orientis partibus in Sueciam transferentem, non modo a Regnero repressum, sed & captum atque in triumphum ductum, licet ad intercessionem sororis reginæ *Swanhwita* libertate donatum l. 2. c. 16. edocet. Cur vero Regem Dan. Roë a Suecorum Rege Hothebrodo (quem Lindenbruch Haraldum nominat) ter victum & ultimo prælio occisum, Daniamque Sueciæ subjectam Kolding. tacet? Helgonem etiam, clam in Hothebrotum hostem duxisse & victum cecidisse Meursius testatur. Externo patriam liberare dominio Helgonem voluisse, Saxo ait; non Sueciam subjecisse. Hothebrotum vero Patri Regnero in regno Sueciæ successisse, idem quoque Saxo tradit. Quæ itidem tributa Regi Dan. Rolvoni attulerint sueci, nimirum arma & faces, quibus eum extinxerunt; Nec non quomodo auxiliante matre Ursilia, vitrici sui Regis Sueciæ thesauros Rolvo furtim abduxerit, idem Saxo fuse commemorat. Hotherum autem R. Suec. Attili (Attissum vocat) fratrem & R. Regneri filium fuisse, idem Saxo clare testatur, eumque Sueciæ simul & Daniæ imperitasse. Quem iccirco, nec non filios Boum ac Rodericum cogn. *Slingeband*, indigenas & naturales Sueciæ Reges fuisse manifestum est. Daniæ etiam imperium tenuisse nemo negat. Sed quomodo hinc concluditur Sueciam tum a Dania victam & subjugatam fuisse. Contrarium certe firmius necti videtur. Balderum namque Daniæ inhiantem ab Hothero victum, non

non Sueciam unquam subjectam historiæ tradunt. Ecquis vero Historicorum, regem Daniæ Dan. 11. hominem abdomini & gulæ deditum, nullisque facinoribus clarum, Sueciam vicisse, ausus fuit asserere? Id certe Saxo, Ericus Pom. Lindenbr. Pontanus aut Meursius, qui inter historiographos danicos familiam ducunt, non annotarunt. Hugletum, Sueciæ tyrannos Hömothum & *Högrinum* (Navarchos Suec. Regis Botvildi fuisse ex Joh. M. patet) maritimo fertur oppressisse conflictu, scribit Saxo & post eum cæteri. At ibi de subacta suecia nihil. Nec de Frothone res est expeditior. Frothonem quartum, opera pugilis suecici fortissimi Starckateri, multa præclara gessisse legitur; sine eo ferme nihil. Nec Hiarnonem seu Hiarnum vel Hiarnerum sueciæ imperasse, apud ullum fide dignum reperies. Fridlevum 11. socium sibi junxisse Haldanum Sueciæ Regem, adversus Norvegos, legi; Sueciam rexisse non legi. Unguinus Gothorum R. Daniam quoque tenuit; Et a Rege Suecorum Rayvaldo victus & occissus, successorem habuit illum Sigwaldum seu Sigvardum Dan. Regem, qui Ragualdum eundem cruento prælio superavit. At hujus Reg. nepos R. Suec. Haquinus 1. Dan. Regem Sigarum vicissim oppressit. Quid vero de Dan. R. Haraldo 3. *Hyldetand* cognominato dicam? quem ab Haquino 2. cognomine *Ring* Suec. Rege ingenti & famoso prælio in Campis Bravallinis Smolandiæ, cum innumerabili exercitu victum fuisse constat; Et a victore Scanis Olonem; Sielandiæ, Fioniæ, & utrique cimbriæ illustrem fœminam Hetham impositam, attestante Sax. Meursio, aliisque Dan. Hist. Siccine Suecia attrita? Imo Saxo ait; Ita in potestatem sueticam, fortunæ varietas Danicum redegit imperium. Quod tamen Koldingensis dissimulavit. Omundus, quem Ormundum vocat Koldingensis, quomodo Sueciam vicerit non apparet. Ejus quidem filiam a Gotharo Suec. Rege raptam fuisse notum est, etiam ex historia Danica; Et

Sy-

Syvardum Omundi filium ab eodem S.R. Gotharo apud Hallandiam expugnatum Saxo fatetur: ubi etiam Dan. R. penſionem quam prius exigebat, exolvere ſubjungit. Num igitur hic Syvardus Lodbrog fuerit, cui ſueciam paruiſſe Koldingenſis innuit, ignoro. Iarmericus, qua arte R. Gotharum oppreſſerit, nimirum profugorum ac ſeditioſorum auxiliis, Saxo indicat. At Joh.M. Gotharum a fratre Faſtone trucidatum edocet, a quo tamen patria contra Jarmerum defenſa fuit. Snio, Regis ſueciæ conjugem doloſe abduxit (non regnum ſubegit) quas vero pœnas flagitii luerit, ipſa Dan. hiſtoria expo- nit. Sed quid Margareta, anne illa Regnum Sueciæ vi ſubegerit? valde profecto rerum oportet eſſe ignarum qui id vel aſſerat vel credat. Quippe quæ nunquam Albertum R. aut viciſſet aut captivâſſet, niſi ope Suecorum, apud quos ille ob injurias & avaritiam publico laboravit odio, adjuta fuiſſet. Eamque ſponte electam Reginam, documenta, Procerum R. Suvc. ſubſcriptione munita, quæ adhuc præ manibus ſunt, ſatis evincunt. Et Margaretæ imperium cum una Urbs Regia Stockholmenſis ſeptimum annum ſpreverit, nec prius portas aperuerit, quam Albertus, cui antea jurarat, annuiſſet: Quid ſi tota ſuecia, junctis viribus ſe oppoſuiſſet, anne Margareta nolentes ad ſibi ſacramentum præſtandum adigere potuiſſet? Cæteri etiam Sueciæ ac Daniæ Reges Ericus Pom. Chriſtoph. Bav. &c. quomodo regnum non minus Sueciæ quam Daniæ & Norvegiæ acceperint, nimirum per electionem non vi bellica, (etiamſi leges electionis a parte Danorum minus candide ſervatæ fuerint) res notior eſt, quam ut expoſitionis indigeat. Imo R. Ericum ab Engelberto Sueco, ſolis Suecorum viribus ſuffulto, bis una cum omnibus Danis regno Suecico expulſum fuiſſe ſatis etiam notum eſt. Et quas clades cæteri etiam Chriſtierni, etſi a multis Suecorum adjuti, acceperint, ſatis etiam in propatulo. Mirum igitur quid homini in mentem venerit, cum tam auda-

audacter orbi glaucoma objicere tentat asserens a supra nominatis Daniæ Regibus Sueciam duo de viginti præliis conquisitam, Sacramentum iisdem dedisse. Sacramentum dedit communibus Regibus; sed hoc non magis Sueciam Daniæ, quam Daniam Sueciae subjectam arguit. Neque enim ideo imperium Rom. Hispaniæ subjectum fuit, quod Carolum V. communem Reg. & Imperatorem agnoverint. Ex quibus ita breviter examinatis abunde patet quid de hac Koldingensis assertione, & similibus μεγαλορήμασι tenendum sit. Testor DEUM me altercandi studio, a quo natura abhorreo, haec minime tetigisse; sed sola veritatis aperiundae necessitate, qua astringor. Multo minus ut vicinis quicquam verae laudis detraham. Exaggerent usque libet Dani, amplitudinem ac potentiam suam: Nemo cordatus nostratium invidebit: Quin potius honori & emolumento ducet, vicinam gentem, imo origine, lingua, institutis & religione eandem, amicitiae & pacis fœdere conjunctissimam, potentem habere. Dummodo absint nugae aliis praejudicantes. Desinant igitur & facessant vaniloquia, multum jactantiae veritatis nihil, aut certe perparum habentia. Prout non ita pridem, quidam sine victoria triumphum cantans, Regi suo tergeminam victoriam tribus Suecorum disjectis classibus partam gratulatus est, & sempiternæ memoriæ dicavit. Tanto Regi quam plurimis virtutibus, Principe dignis, claro & communem sortem supergresso debitum elogium detrahere quis satagет? At fingere non visa, & mundo fucum facere, quid attinet? Sileant igitur inter candidos & cordatos hujuscemodi vanitates. Quod tamen, adhuc repeto, in nullius injuriam aut animorum disjunctionem, dictum velim; sed potius amicæ monelæ gratia, atque ut ostendam, hæcce viribus & Potentiæ Sueo-Gothicæ, de qua nunc ago, ne hilum officere. Hoc enim imperium, non tantummodo hostilibus insultibus avertendis par esse, verum quoque

vel

vel cum potentissimis, cominus & eminus, si necessitas postularit, congrediendi, jugis & diuturna experientia satis edocuit: Imo ab exteris etiam scriptoribus pridem notatum est. Ita, Saxo lib. 1. in prosopopœia ad Hadingum Dan. R. Sueciæ incursantem, loquitur.

Tetro penates omine patrios,
Liquistis, hoc rus Marte sequi rati.
Quæ vana mentes ludit opinio?
Quæ cæca sensus corripuit fides,
Hoc arbitrantes posse solum capi?
Non amplitudo SVETICA credere.
Non exterorum Marte valet quati. &c.

Et M. Adam Brem. in sua Sueonia inquit. Populi Sueonum multi sunt, viribus & armis egregii; Præterea tam in equis quam in navibus juxta optimi bellatores, unde etiam sua POTENTIA cæteras aquilonis gentes confringere videntur. Verba sunt Adami Bremensis. Nec minus clarum testimonium, Erasmi, Mich. rerum Danicarum, lib. 6. p.m. 301.

- - Gens est Sueonum latissima magno
Imperio: Cui sors vastos subtendere fines
In boream ac strictis subjectum Aquilonibus orbem,
Et proferre dedit. &c.

Item Lib. II. p. 456.

Pugnarit quantum libeat quantumque valebit
Dania; non tamen efficiet, quin Suecia Saræ
Libertatis amans contra pugnaverit, & se
Vindicet ac patrios gladio tueatur honores.

Et paulo post:

Non ea non Sueticis est insita moribus aut vis
Aut ratio, externis ut victa subesse Tyrannis
Et parere velit. Libertas æmula totas
Exstimulat mentes, nusquamque quiescere cogit:
Accenso donec se vindicet aurea bello
Rursus & hostiles cervicibus eximat enses.

Et iterum p. 457.

Idem

Idem animus Suecis semper fuit, & fuit idem
Semper amor patriæ & virtus, certe, impigra, regno
Quæ decus, ac propriis munimina fortia rebus
Conciliant. Non has mutabunt secula mentes,
Non sors asperior, non lætæ forma juventæ.
Semper erunt qui se pro libertate vovebunt:
Qui sese externis opponant hostibus, arma
Pro patria sumant, mortemque paciscier ausint. &c.

Ubi supra dicta Lætus, & ipse Danus, haud obscure confirmat.

CAP. II. *De Potentia Regnorum Imperii Sveo-Gothici in specie.*

Gothici Regni, quanta etiam olim fuerit potentia, ex ipsis historiis satis superque innotescit. Loquor autem non de Gothis extra patriam egressis, quorum gesta alii atque alii in suam laudem trahunt. Relinquam igitur iis, hac vice, alienam gloriam, qui propriæ diffidunt. Sed ut intra patriæ terminos maneam, unde primam fuisse Gothorum originem, jam pridem inter eruditiores & cordatiores in confesso est. Quam potentes hic fuerint Gothorum Reges, etiam cum Sueci & Gothi diversis paruerunt, vel exinde patet, quod nunc cum Suecis, nunc cum Danis, nunc cum utrisque simul gravissima bella gesserint, & non raro feliciter confecerint. Prout ex Joh. M. multis in locis constat. Qui etiam quantus exercitus & quot equitum ex sola Verendia, (*Warnsland*, quinque territoriis constante, & sexta circiter Smolandiæ parte, ut hæc Gothici regni vix tertia) educi possint, clare exprimit. Id certe absque temeritate asseri potest, Gothicum Regnum vel solum ad excipiendum hostem, & defendendos fines Austrum & occidentem versus, ubi situm est, sibi sufficere. Neque ad orientem minus robur. Magnus quippe Fenningiæ Ducatus, qui olim suos etiam Reges, eosque satis potentes, habuit, adversus Moschum pro muro est,

eique si necessitas imponitur, frænum injicere valet. Quantaque etiam antiquitus fuerit hujus populi potentia non modo in suis finibus, sed etiam in amicis ac vicinis defendendis, inter alia etiam ex Saxonis Lib. 9. patet, ubi inquit: Biarmiorum ignoti nominis Rex, subitanea hostium (Danorum) irruptione perculsus, simulque conserendæ cum ipsis manus fiducia vacuus, Matullum Finmarchiæ Ducem perfugio petiit. Cujus peritissima sagittariorum opera fretus Regneri (potentissimi Dan. Regis cognomento *Lodbrook*) apud Biarmiam hyberna peragentem impune laceravit exercitum. Et post aliqualem istorum temporum armaturæ & pugnandi rationis descriptionem, ibidem concludit: Credendum est tunc Regnerum fortunæ suæ imbecillitatem admiranter tulisse, cum se olim Romani culminis (Imperat. Rom. Carol. Mag. intelligit, quem devicerat) triumphatorem ab inermi inconditoque agmine ad ultimum usque discrimen abripi pervideret. Itaque qui splendidissimum Romanæ militiæ decus, maximique ac serenissimi Ducis insignes copias obtriverat, agrestis & ignobilis vulgi (ut ille ait) sordidissimo ac tenuissimo apparatui cessit: isque cujus bellicam antea alacritatem fortissimæ gentis vis hebetare nequiverat, despicabilis populi parvulam manum. (Sic enim ille per contemptum vocitat, quamvis nec adeo parvam manum nec despicabilem esse rerum periti & æqui æstimatores nunc satis intelligant) sustinere non valuit. Et si forte dicas magicis tum artibus pugnasse Fennos; experientia moderna, quantum nunc gladiis, sclopetis & bombardis valeant, satis edocuit.

Quanta etiam Livoniæ, Æsthiæ, Ingriæque potentia, in obscuro non est, quæ a suis finibus, præsertim cum latus maritimum sub Umbone Sueciæ tutum est, quemvis hostem facile submoverint. Ut ita Regnum Sueciæ presse sic dictum (olim Ubsalense) in meditullio situm a reliquis regnis & provinciis facile periculo vacuum præste-

præstetur, etiamsi plures undique simul hostes insurgant; ut nunc de Classe navali (de qua infra) nihil dicam. Nec de Helsingico R. seorsim quod Norvegiam potentia superare constat. Seciæ autem Regnum seu Ubsalense, antiquitus inter omnia aquilonaria potentissimum fuisse, Historici uno ore fere omnes asserunt. Nec uno tantum loco Chron. Norveg. Sturlesonii, id affirmat. Quin etiam tempore Suec. R. Olai *SkottKonung*, Reginam matrem *Sigrid* sua tantum modo allodialia bona, in Regno Sueciæ cum toto Regno Norvegiæ permutare noluisse asserit. Prout ipsa proco suo Haraldo Norveg. Regi in os dixerat. Quid vero de toto Regno Sueciæ statuendum, si solius Reginæ bona allodialia & privata tanti fuerant? Sed ad specialiora, quæ potentiam particulariter exprimunt, paucis accedam.

CAP. III. De Terrestri Potentia.

Terra partim ipso situ, partim arcibus ac munitionibus, partim militibus, equitatu & peditatu defenditur, Quibus omnibus, si ullum Regnum, Sueciæ certe; Corona, optime firmata valet. Situs, (ut ex libro 1. patet) hic est: Universum fere imperium Sveo-Gothicum vasto oceano & mari baltico alluitur; ubi ad plura miliaria altissimæ rupes, passim & latentia Saxa, Scopulique innumerabiles accessum ad littus, sine ductore indigena, impossibilem & ineluctabilem reddunt; Cætera nubibus contigui montes, impervii saltus, rapidissimaque & amplissima flumina muniunt. Quin etiam in ipsis regnorum meditulliis sylvæ, paludes, lacus, amnes, montes sæpe pro muris & propugnaculis fuêre: quo ex improviso irruente hoste, familia, & sustentationi inservientibus assumptis, majores non raro confugere: Hosti nil nisi vacuas ædes relinquentes. (Quas si combusserit, sylvæ mox novas suppetebant,) Unde si is numerosa caterva venerat, eo citius inedia premebatur & fame consumptus est: Sin exigua manu ac-

cessit, in angustis sylvarum thermopylis, inter flumina & montes, ubi sæpe transeundum, ab ipsis incolis & rusticis facile carpebatur, non minus quam a militaribus aperto marte in campis sternebatur. Nec plane tamen desunt arces etiam munitissimæ, utpote primum Regia Stockholmensis, quæ amplitudine, excelsitate & magnificentia parem in toto orbe Europæo vix habet: deinde Calmariensis & Elfzburgensis, illa balthico mari, hæc oceano imminens, utraque Gothici Regni clavis non immerito nominanda; Olim proditoriis artibus magis quam vi cedentes; Nostra vero ætate, per DEI gratiam & defensorum egregiam fidem ac fortitudinem, ab utraque æque immunes ac tutæ. Istæ arces citra mare limitaneæ sunt; mediterraneæ etiam non contemnendæ inveniuntur, utpote *Juneköpingz Slott* in Smolandia; *Wasteng-Nyköpingz-Stäkeborgz-* in Ostro-Gothia; *Orebroo* in Nerikia-*Wästeräås-Grypsholmß-Ubsala-* & *Orbyslott*. Item claustrum Regiæ Holmensis *Waxholmen*; Arx *Borckholm* in Olandia; & *Castelholm* in Alandia. Præcipuæ arces Fenningiæ sunt *Aboënsis* & invictissima *Wiburgensis*, quæ majorum nostrorum memoria Careliæ incolis & vicinis tutum contra Moschum sæpius præstitit perfugium, cujus exercitum, plus quam 100000. constantem & rabiose incursantem, exclusit ac depulit, nonnunquam in fugam convertit. Item *Tavvasthvvs* in Tavastia. Arx nova seu *Nyslott* in Sawolaxia. (Arx antiqua Episcopalis *Kusto* dimidio miliari Aboä in insula amœnissima distans, nunc desolata vix rudera monstrat.) Cis mare balthicum in Livonia sunt Revaliensis, Rigensis cum cæteris partim sup. lib. 1. in Chorog. descr. enumeratis; quibus etiam accedunt, invictissimæ & omni humana vi superiores, Narvensis, Nöteborgensis, Kexholmensisque arces, Jama, Coporio, &c. cum arte tum natura munitissimæ. Non enim nunc referam antiquas arces, superiorum seculorum bellis desolatas, Scilicet cum exterorum Regum insolentia & tyrannis reprimeretur; ne

ne ex arcibus provinciis graves essent exotici sanguisugæ, multa loca munita devastata & solo æquata sunt: quorum nunc nomina saltem exstant; ut *Borg* & *Nääs*, in insula *Wisingzöö*, *Eodzholm*, *Apesteen*, *Korsholm*, *Rumblaborg*, *Saxaholm*, *Dalaborg*, *Ringstadholm*, *Axevval*, *Brymschvvs*. *Pykzborg*, *Oesthammar*, *Agaholm*. *Staket*, Archiepiscopalis quondam Arx in lacu *Mäler* sita; ita & nobilissima Episcopalis Scarensis, & artificiosissime simulac fortissime constructa Cronebergensis, dimidio miliari Wexionia, vestigia saltem & rudera monstrant. &c. Neque nunc de arce *Lagaholm* & *Wardberg* in Hallandia; nedum munitiones in solo Germanico, Svecicæ Coronæ addictas repeto. Sunt insuper aliæ S. R. Majestatis & magnatum arces optime munitæ & ad defensionem aptæ, ut *Wisingzborg*, *Leckœ*, *Hœrningzholm* &c. Præter alias R. Majestatis & procerum domus lapideas in urbibus & ruris quæ quidem ad habitationem, delectationem & magnificentiam magis comparatæ, ut *Suartsiœ*, *Drotningholm*, *Braborg*, *Tynnelsö*, *Gæfle*, *Westervvyk*, *Linkœping*, *Norby*, *Arnœ*, *Rydboholm*, *Wanegarn*, *Witby*, *Tullegarn*, *Sundby*, *Mœreby*, *Kagleholm*, *Lycknaas*, *Greffnaas*, *Wyk*, *Finstadh*, *&c.* aliasque recentiores quamplurimas; quarum quædam hostili insultui, præsertim absque grandioribus tormentis facto, sese opponere non ineptæ sunt. In Livonia quoque sunt arces munitissimae; *Parnavv*, *Tackerort*, *Hapsel*, *Oesvver Pahlen*, *Wollmer*, *Ermitz*, *Wenden*, *Karkhus*, *Felyn*, *Burtnich*, *Padernorm*, *Marienborg*, *&c.* Fortissima *Wittenstein*, jám desolata est. Ex istis breviter allatis, facile colligitur, quam munita Sueciae, Gothiaeque regna cum subjectis provinciis olim fuerint & adhuc sint, quomodoque natura & arte contra omnem externam vim hostilem iisdem optime prospectum sit. Neque, viros atque arma haud deesse, ut probem quemquam praestolari autumo, qui in memoriam revocat, & quot hinc olim expeditiones susceptae, & quot quamque gravia bella ab hisce populis gesta; uti nec aliquem ita in

mundo hospitem esse ut quot, vel hoc seculo, exercitus, quot turmas & phalanges foràs emiserit, ignoret. De priscis Svecorum ac Gothorum armis & antiqua belligerandi ratione tum Joh. M. & Saxo sparsim agunt; tum Ol. M. ex proposito, Lib. 7. de bellicis instrumentis, situ, causa & cautelis; quæ apud ipsum videantur: Nec non lib. 9. de campestribus bellis, ut 10. de Navalibus scripsit: Et Lib. 11. de Glacialibus pugnis. Pugnabant olim clavis & sagittis, quin & proximis seculis securibus: Ut patet ex antiquis rythmis, de Strage Danorum tempore Christiern. II. R. Dan.

Complures *Holæwed*, de Danis *fullo Dœdha nedh*
Dat finem rixæ Danis, *Then Svvenske Bolyxe*.

Eric. Ubs. l. 6. p. 138.

Hodie armis & instrumentis militaribus, cum Germanis, Gallis, Hispanis, aliisque Europæis maxima ex parte communibus utimur. Pugnant vero tam equites quam pedites Sueo-Gothi & Fenni &c. utrisque bellatores optimi; Nec enim ulli genti arma tractandi dexteritate cedunt. Quantus vero exercitus non modo brevissimo temporis spatio comparari & educi possit, sed semper tam pace quam bello in parato sit, ex articulo 31. Formæ Regiminis clarum est; ubi turmæ cum suis Ductoribus, Tribunis, & officialibus recensentur, equitum, & peditum; qui in omnem occasionem jugiter aluntur & exercentur. Quinimo ex provinciarum, Ducatuum & Comitatuum numero, de copiis quoque militaribus facile fit judicium: cum ex singulis turma seu cohors peditum expediatur; Majores etiam, ut Smolandia, Westgothia &c. duas tresve peditum turmas, & unam equitum ordinarie alant, & in parato habeant. Ut de instructissimo ordinis equestris equitatu, nunc nihil dicam, quem ingruente bello propriis sumptibus ad fines regni educunt, postea a Rege sustentandum. Unde brevissimo temporis spatio, ex indigenis exercitum, 30000. aut 40000. peditum; 10000. aut 12000. equi-

equitum, ultra 6000. Nautarum, in unum locum S. R. Majestas Svec. facillimè convocare possit. Neque de hoc Germanis, sat scio, imo nec aliis dubium esse poterit, qui singula fere signa, Uplandorum, Ostgothorum; Smolandorum, Westgothorum, Helsingorum, Norlandorum, Fennorum, Carelorum &c. (*Regementer* vocant) nominetenùs etiam recensere possunt: præter alia subsidiaria & Regii corporis custodiæ destinata, ut (*Lijfregementer*) vel a coloribus denominata, ut Cæruleum (*BlaRegemente*) luteum signum, (*Gala Regementet*) nigrum, (*Suvarta Regementet*) Rubrum, (*thet Rœda Regementet*) &c. omnia verò particulariter hic percensere brevitas non permittit. Conf. P. Lotich. rerum Germanic. l. 32. C. 4. &c. Id obiter notandum, falsum esse quod exteri passim de Lappis, militiæ ascriptis inculcant. Nulla siquidem e Lappia vel equitum vel peditum, vel nautarum turma educitur: Sed piscationibus ac venationibus suis intenti domi relinquuntur. De re militari Suec. & Goth. bene atque exacte ordinatâ vide P. Berti: Comment. rerum germanicarum lib. 2, c. 16. qui etiam singulis provinciis certum equitum & peditum numerum definitum esse noverat. In Suecia Gothiaque inquit numerantur vexilla sive cohortes duæ & triginta. Singulæ quingentorum, interdum etiam sexcentorum aut septingentorum capitum &c. (Quamvis nunc numerus mutatus sit) Quinimò sola nunc Fenningia; hodie ultra viginti hominum militarium, equitum & peditum millia (prout ex certissimis ac fide dignissimis rationibus accepi) effective (ut dicunt) numerat. Ex quibus breviter dictis, de terrestribus Sueo-Gothici imperii Viribus & Potentia quodammodo constare potest.

CAP. IV. De Potentia Maritima.

Quanta etiam sit hujus Imperii potentia navalis, res ipsa per se loquitur. Unde Lotichius cit. loco inquit:

quit: Ad summam, Sveciæ Regem maritimis viribus, copiis, præpollere in confesso est. Quanta cum potentia, imo & successu R. Svec. Ericus XIV. superiori seculo etiam cum pluribus simul hostibus, satis potentibus, mari quoque dimicârit, annales edocent. Hinc non nemo utile consilium Reg. Hispan. dedit, (ut publica scripta testantur) cum Sueco, præsertim ob navalem potentiam, ad firmandas vires, fœderis jungendi. Nec mirum hic facile instructam haberi classem, cum non modo exercitatissimi Nautæ ex indigenis, urbicis & rusticis maris accolis facilime cogantur: Verum etiam omnia ad naves extruendas vel instruendas necessaria, domi inveniantur & tolerabili precio parentur, ut sunt trabes, asseres, tabulæ, mali, funes, pix, anchoræ; Omnis quippe materies, lignum, ferrum, æs, gummi, canabis, sub imperio Coronæ Svecicæ abunde provenit. Specimen vero potentiæ navalis ab expeditionibus vel hoc & proxime superiori seculo susceptis, sumi potest manifestissimum unde quantus fuerit apparatus Classis Suecicæ, quantusque navium numerus haud difficulter concluditur; Rex Ericus 14. Quantas etiam mari victorias reportavit, ex ejus historia clarum est. Unam habuit navim *Makalæas* i. e. *sine pari*; 200. tormenta vehentem. In Majo 1565. classem 48. navium eduxit. Danorum & Lubecensium classes aliquoties, profligavit, dissipavit: maris dominium sibi & Coronæ Sueciæ asserens. Portui Lubecensium imminuit; Ad *Mæn* & *Falsterbon* vectigal a Belgis aliisque per porthmum danicum navigantibus, in conspectu Danorum exegit. Et Rex Joh. 3. ante transactionem Stetinensem 70. naves majores eduxit, minoribus non numeratis, 18. hominum millibus classi impositis; ut etiam notatum in relatione de statu Regni Sueciæ ejus temporis apud Philip. Honorium. Expeditiones navales quanto apparatu sub R. GUSTAVO Adolpho M. susceptæ, in recenti adhuc fere omnium est memoria. Classem Regiam

giam e portu Suetico *Sandhampn* egressam, 28. Jun. 1625. Et Dunam Livoniæ feliciter, Deo dante, ingressam 30. Jun. ingeniosissimus Poëta D. Johannes Narsius eleganti carmine descripsit: quod hic brevitatis causa inserere non licet. Enumerantur autem inibi, præter onerarias, aliasque minores, bellicæ naves maximæ & instructissimæ, hæ sequentes: *Riikzaplet*, *Tree Croner*, *Riikz-Nyckel*, *Riikz-Scepter*, *Stockholm*, *Mercurius*, *Maria*, *Christina*, *Apollo*, *Hector*, *Elephanten*, *Achilles*, *Siæ-Hasten*, Andromeds, *Swerdet*, Orpheus, *Wastervvyk*, Hannibal, *Leyonet*, Mars, Jupiter, *Morgonstiernan*, *Engelen*, Jonas &c. Neque enim tota classis hic enumeratur, cum ultra 50 magnæ naves bellicæ, instructissimæ ordinarie semper in parato sint. Quantopere etiam anno 1630. cum inclytæ & immortalis memoriæ R. GUSTAVUS M. expeditionem in Germaniam susciperet, mare balthicum, Carbasis Suecicis constratum & exornatum fuerit, adhuc in recentiori est memoria, & a Chemnit. vol. 1. Bel. Sueco-Germ. lib. 2. in editione germanica fideliter annotatum; Ubi præter naves magna ex parte jam enumeratas, hæ etiam accesserunt: *Meermannen*, *Stoore Cronan*, *Leoparden*, *Norkœping*, *Sæderkœping*, Delphin S. Jacob, *LilleStutzer*, *Regnbogen*, *Eenhœrningen*. *Jungfruun*, *Arbogha*, *NyeSvverdet*, *Calmar*, *Svvarte Hunden*, *Pelicanen*, *Pagegoyan &c.* aliæque minores, myoparones, struthiones, uti vocant, celoces ac lembi Classem sequebantur. Quanta etiam quamque instructa classis triennio post, ad reducendum Volgasto in patriam funus regium, sub R. Ammiralio p. m. D. Carolo *Gyldenhielm*, &c. Nobilitate Suetica stipato, educta sit; (Auctor de se ipso,) ipse coram præsens etiam pullatus vidi, multique alii mecum. Taceo itidem Classis Sueticæ apparatum anni 1644. (ubi cum aliis supra nominatis, rem quoque strenue gesserant hæ naves; *SmalandzLeyonet*, *Goteborg*, *Nye* Fortuna, *Svvanen*, *Jagaren*, *Kattan &c.*) Paucis; nulla unquam instructior Classis enavigavit, nulla majoribus

triumphis opimioribus spoliis, luculentioribusque victoriis reversa est. Tantaque est navium Sueticarum firmitas, tantum robur, ut vel paucæ cum tota classe turcica, facilime dimicarint. Glorientur alii de multitudine navium, negociationibus & mercimoniis provehendis aptarum; Nusquam tamen quam hic invenietur classis nautica bellico apparatu instructior & marti aptior. Quid enim, Coronidis loco, de pulvere pyrio, qui hic in patria, etiam a rusticis, optime & copiosissime conficitur? Quid de tormentis bellicis, majoribus & minoribus? Quorum tanta copia, tanta præstantia; ut orbi non regno solum sufficere queat. Dicit Philippus Honor. in relatione de statu Regni Sueciæ 1578. tormenta ad numerum 8000. ascendere, & in sola Stockholmensi arce, 400. se numerasse. At ausim ego indubitato asserere, & Holmiæ multo majorem esse, neque a quoquam credi, nedum rationem inire posse (nisi ab illis, quibus hæc demandata sunt) quantus sub corona Sueciæ tormentorum numerus inveniatur. Cum ille proximis hujus seculi bellis non modo in immensum accreverit, sed & in officinis indies augeatur. Nec multis in re manifesta est opus.

CAP. V. De Divitiis.

Ut vero constet, unde tot ac tantæ machinæ, tantus militum numerus, tot officiales, pace & bello necessarii, sustententur, alantur ac remunerentur, divitias hujus imperii, digito quasi, brevissime monstrabo & attingam. Sunt autem eæ tot ac tantæ, ut admiratione suspicere & stupendam Dei, in hæc borealia loca, benignitatem tacita gratitudinis veneratione prosequi facilius sit, imo æquius, quam vana ostentatione, ob mundanam gloriam exaggerare. Divites ac potentes populi & politiæ quædam habentur, quibus ne annuus quidem victus domi suppetit, sed omnia, per mare, per terras alienas, conquirere necessum est; Imo nec ea media, qui-

quibus instructi quærunt, domi habent, nisi aliunde afferantur. At quid Corona Sueciæ, cui nihil ad sustentationem & vitæ humanæ usum necessarium natura negavit? Nonne præ omnibus merito dives judicabitur? si sursum suspicias, aër omnibus generis volucribus, plexus est; quales sunt tetraones, sive urogálli, tetraones minores, attagenes, perdices ac similes in deliciis habitæ; Olores seu cygni, fulicæ, querquedulæ, anates, anseres, sturni, palumbes, turtures, columbæ, turdi &c. Si aquas rimeris, copiosa piscium caterva in mari, in lacubus, in fluviis ac stagnis occurrit, quæ non modo necessitati sed & deliciis abunde sufficit; alias etiam regiones vicinas longeque dissitas ex sua abundantia sublevans. Solum si intuearis, lætissima pascua, fertilissimi agri, numerosæ pecudum greges sese offerunt; quin & ipsæ sylvæ, feris variis, cervis, damnis, leporibus aliisque scatent; unde fit, ut omnia hic victui necessaria minoris veneant; & Magnates, Comites ac Barones, aliique Nobiles, imo rustici in Suecia ac Gothia, latius & minori sumptu, in suis prædiis, vivere possint, quam ulli in aliis regnis. Optimæ istæ, fœcundissimæ, maximæque naturæ congruentes sunt divitiæ ex agricultura, pecuaria, piscatione, venatione & aucupiis provenientes, quibus etiam primi mortalium & deinceps Sancti Dei homines vacarunt ac delectati sunt. Unde & Lycurgus, optimum reip. statum introducturus, aurum & argentum relegavit, Chirographa combussit, terram colendam æqualiter dividens. Quantas etiam hic sylvæ utilitates praestent, divitiasque contineant, paucis dici nequit. Laudent alii pomos cydonios seu aurantios; nos Sueci haud minores ex nostris arboribus utilitates percipimus. Ex hisce domos, palatia, templa, naves ædificamus; hinc cortices tegendis ædibus, hinc asseres, tabulas, unde vasa & instrumenta quotidianis usibus apta petimus ac conficimus; hinc picem, oleum & medicinam haurimus; quæ omnia vel una abies, quæ alias vilissima videtur

ar-

arbor, hic frequentissima, præbet. Ut nunc de quercu, & fago, unde innumeræ suum greges, maximo cum emolumento, saginantur nihil dicam. Betulæ, imo & juniperi lignationi sufficiunt. Sed quis omnes enumerarit? Montium autem viscera, si quis scrutari occipiat? Hic demum se offert Thesaurus ille argenti, æris, ferri, omniumque metallorum & mineralium, quem Saxo lib. 2. sub velamine Poëtico indigitat, hisce verbis:

Insula non longe est præmollibus edita clivis
Collibus æra tegens, & opimæ conscia praedae,
Hic tenet eximium montis possessor acervum. &c.

Brevitas omnia persequi vetat. Paucis igitur; sub Corona Sueciæ non modo ac necessariam sustentationem facientia, victum & amictum praebentia, abunde suppetunt; Sed & aliis regionibus ac populis subministrant. Quæ enim majoris sunt ponderis merces, cunctae sub Corona Suecica abunde proveniunt, & ad exteros etiam deportantur; Quod ex indice vectigalium mercibus impositorum luculentissime constare potest. Ubi specietenus enumerantur: varii generis æs & cuprum, rude ac elaboratum; Orichalchum & inde facta; Ferrum & inde confecta, ut loricæ, globi, tormenta, anchorae, laminae &c. Omnis generis pelles nobiliores; ligneæ materiæ plurimorum generum, trabes, trunci, mali, asseres, querni & abiegni, aliisque variis usibus aptati: Corium multijugi generis varie præparatum. Linum & canabis: frumenti & seminis variae speties, triticum, siligo, avena, ptisana, pisa, lini semen: & ex supradictis confecta farina. Tum Pix cocta & liquida, nec non adeps phocae seu vituli marini, (vel quocunque modo commodius latine efferatur, Suetice *Sialtraen*, & *Traen* dicimus) Varia Piscium genera, salitorum & muria conditorum, vel fumo ex siccatorum; ut Esox, anguilla, Capitones, arengæ, oculatæ, lucii, cobites; Dehinc & alia, utpote mineralia victriolum, alumen, rubrica Suetica, sulphur: Item aliæ merces negociationibus

bus aptæ, ut Butyrum, ſebum, caſeus, lardum phocae (*Sialſpeck*;) cera, caro, adeps; variaque pecudum genera, ut tauri, equi &c. nuces, ſmegma, cinis, plumæ, pili alcis; pannus Sueticus, aliaque arte parata, caſtoreum, baccae juniperi, variorumque generum lapides, menſis, tumbis, ædificiis, molendinis, aliisque uſibus aptorum, quibus accenſeantur mei, lupulus; indeque cereviſia varie præparata, & vinum aduſtum. Nec non argentum, plumbum &c. Unde patet Adam. Brem. non immerito ſcripſiſſe; Sueonia ergo eſt fertiliſſima, ager, frugibus & melle opimus, extra quod pecorum fœtu omnibus antefertur, oportunitas fluminum ſylvarumque magna ubique peregrinis mercibus omnis regio plena. Nullis egere dicas Sueones opibus, excepta, quam nos diligimus, ſive potius adoramus, ſuperbia. Omnia enim inſtrumenta vanae gloriae, hoc eſt, aurum, argentum, ſonipedes regios pelles caſtorum & Marturum, quæ nos admiratione ſui dementant, illi pro nihilo ducunt. Ne minus apte Joh. Hugvetantius, J. C. Gallus ſcripſit in Elogio Sueciæ, quod æviterno gentis honori ſacrum ſtatuit, anno 1629. cum totum quadrimeſtre, ut ipſe fatetur, panem ei largita eſſet. Totum allegare brevitas non patitur; pauca excerpam; Poſt multa alia, ita habet:

Miramur ſoli tui genium, Cœlique
Quod prægnans tellus
Sub nivibus diuturnis quaſi ſub favillis caleſcat;
Farraque deinceps ſubitanee corpulenta,
Interſtitio perquam exiguo
Vireſcant, flaveſcant, metantur, edantur, bibantur:

Et aliquot, de Lappis, interjectis verſibus:

Apud te & domitas a te provincias,
Paſſim viſuntur animantes mirae,
Lynx, pardus Sueticus; musque Hermellinus;
Sciurusve monoculus, quadrupes volans;
Lutraque, cum Caſtore;

Mar-

Mardurusque Zabellusque, focus portatilis:
Et viverra, preciosus lucro.
Atque Ursus, candens ira, & pelle candidus
Rangiferque, lacte saturans aurigam suum;
Et epilepticos epileptica sanans
Regina cornutarum Alce;
Meliusque quam hæc, Bisons notus Cæsari,
Livonicusque, Urus, domitæ gentis Taurus indomitus
Et Bubalus, nervis valens & mole, sed
Catenata nare, ludibriosum spectaculum,
Hodiernæ eheu! icon Germaniæ,
Ad liberatorem suspirantis.
In sylvis abundat abies arbor gigas,
Quae fronte minitata diu Jovi syderi,
Tandem cedit;
Sed post casum
Neptunum fratrem verberat.
A Notburgoque & Kexholmia, Gustavicolumnis,
Ad metas usque Herculis
Aureo-glauca ventilat vexilla:
Victrixque fere semper, & ditata,
Ad Stockholmiæ sinuosum penetrale,
Per scopulorum ambages,
Ad tutelam (mirum) non ad perniciem natorum,
Millies tergiversans appellitur.
Sed hæc omnia, pygmæorum operulam putas,
Cum stupendis comparata laboribus
Quos exanthlant cyclopes tui,
Dum scrutantur Dalekarliae intestina;
Specusque Giganteas, e quibus effodiant
Metalla, terrae masculae duros fœtus,
Metalla, inquam, terrae sterilis messem opulentam.
Solum quippe Metallorum ferax, frugum minus est.

Sed totum (ut dixi) recensere per pagellarum angustias non licet. Credo autem ex jam allatis sat manifestum esse, naturam coronae Sueciae nihil ad sustentationem &

& quotidianae vitae usum necessarium denegasse; Voluptuaria fortassis nonnulla desunt; sed utinam perpetuo relegentur! Melius & res publica & privata valebit; Salubrius & diutius, ut majores nostri victuri sumus; Victum enim nobis convenientissimum, aër, mare, terra, domi suppeditant; vestitui lana, linum, pelles sufficiunt. Sed objiciat aliquis; Vino tamen & Sale Suecia destituitur. Vini certe levis & tolerabilis jactura; cum iste, si quis sit, defectus optima varii generis cerevisia, e ptisana & lupulo confecta, mulso & medone, uti vocant, (*Miœd* & *mælska*) addito etiam melle; nec non vino sublimato, vino naturali, sapore, colore, odore & efficacia sæpe non cedentibus, commodissime reparetur. Nulla igitur nobis imponeretur necessitas potus aut vina exotica inferendi, dummodo theologi permittere possent, quod Innocent. 8. Pontif. Rom. circa an. Chr. 1486. Norvegis concessisse scribitur, sine vino, scilicet, quocunque suo liquore, calicem sacrificare. Ut post Crispin. & Volaterr. Pontanus in Chorogr. Dan. descript. annotavit. Quod tamen etiam aliqua Sueciæ loca vites ferant & alant, quæ Sacræ Synaxeos usui sufficiant, si cultura accedat, non adeo absurdum videtur; quamvis ganniat Momus. Si enim prope Holmiam, & in ipsa Urbe, uvæ ad maturitatem perveniunt, & hic Aboæ, in horto Generos. D. Præsidis, Domini Joannis *Kurck &c.* jam per aliquot annos maturas uvas enatas, vidimus, palpavimus, gustavimus. Imo & Holmiam ad ipsam S. R. M. aliosque proceres transmissæ sunt; Quid statuendum, si vites solo Gothico ac Livonico, Soli propinquioribus debita cura, inserantur. Candidus & cordatus judicet; Zoilus omnia ridet. De Sale quid dicam? Credat ne aliquis Deum adeo immitem & naturam ita novercam, ut cui omnia reliqua abunde contulerint, optimum illud & quotidie necessarium condimentum subtraxerit? Materies certe, unde etiam apud alias gentes sal conficitur, aqua vidz. salsa, in mari deesse non

potest;

poteſt; etſi enim tantam hic non habeat ſalſedinem atque in Hiſpania, vel fontibus germaniæ, ad eundem tamen gradum, beneficio caloris, immo etiam frigoris: (Quod hyberno tempore congelante aqua, tenuiores ejus partes abſumit, ſalſugine relicta, ut experientia docet.) Neque etiam media, quibus ſal coquitur & concreſcit hic deficiunt nimirum calor Solis, noſtro horizonti & climatibus fere continue æſtate incumbentis, (quamvis etiam frigus brumale, uti dictum, hic adjumento ſit) & præterea calor ignis, ob abundantiam lignorum, negocium facile perficit; Cum ars imitetur naturam; Inſtrumenta item hic, receptacula ſz. aquarum e ligno & aſſeribus, tolerabili precio conficiuntur; lebetes ahenaque ex plumbo, quæ commodiſſima materies, aliisve metallis, longe minori ſumptu, quam alibi habentur? Cur non & ſal ſi conatus & induſtria accedant? Olim ſalem hic coctum fuiſſe; refert Ol. M. lib. 13. c. 43. & 44. Et ruſticos bothnienſes, maris accolas, adhuc quotannis aquam marinam, ſine compendiis & ſpecioſo artificio, ruditer coquere eaque loco ſalis uti novimus; quid ſi veram artem addidicerint? Hanc vero integritate & eruditione eximius Vir, Magnus Rhalambius, Regii Parlamenti hic Aboæ Aſſeſſor cordatiſſimus, longo uſu certa obſervatione & experientia, ipſaque natura eduxit: quam etiam brevi publicæ luci promittit. Ubi pariter & in magna ſatis quantitate, & tolerabili ſumptu, ſalem in patria parari poſſe, rationibus non levibus, demonſtrat. Rumpantur ut ilia momis.

CAP. VI. De Moneta.

Ad divitias cum etiam Moneta ſpectet, de eadem pauca ſubjungam: Eam vero ſemper ſub Corona Suecica, optimam fuiſſe (ex quo non ſimplici permutatione, ut priſco ævo, ſed proprie dicta emptione-venditione uti ceperunt) ſatis conſtare poteſt; cum metalla monetæ cudendæ aptiſſima, eaque optima hic abundent.

dent. Unde & in relatione apud Honor. de ſtatu regn. Suec. author taleros Sueticos propter argenti puritatem in Germania inter meliores haberi fatetur. Et Bertius, Taleri Suecici germanicis optimis nequaquam bonitate inferiores, inquit. De antiqua moneta, qualis ea in ſpecie ſingulorum regum fuerit, adeo exacte conſtare non poteſt, cum pauci extiterint antiquitatis curioſi cuſtodes; ex iis tamen, quæ adhuc remanſerunt, eque terra a foſſoribus & agricolis nuperius erutæ ſunt, & apud Magnates nonnullos aſſervantur, patet, Reges Sueciæ ante multa ſecula, pro inſigni genuino & proprio 3 coronas habuiſſe. Uſitatiores autem monetæ in genere fuerunt antiquitus, marca (quæ nunc 4 thaleri partem facit, ut drachma 8.) ora Suetice *Oere* (nunc 32 pars thaleri) indeque deducta *Oertrugh*, prout & leges multis in locis oſtendunt. *Skilling* ſeu *Halfœre*, i.e. dimidia ora adhuc uſitatus, 64 thaleri partem valens. Uſitata etiam fuit ſuperiori ſeculo ſub Chriſtier. 2. item R. Johann. 3. nec non aliquando tempore Guſtavi M. moneta cuprea quadrata. Et adhuc magno negociantium compendio, ob faciliorem numerationem quadrata moneta major, quæ 5. 10. 20. vel 25. &c. thaleris æquivalet, in uſu eſt, cui, ut & reliquæ monetæ, exteri avide inhiant. Et certe noſtri temporis moneta tam argentea, quam cuprea, optima, quod valorem ipſo pondere præſtet; nec quisquam eo vel mutato vel ſuſpenſo defraudari poteſt. De variato ſubinde monetæ valore, alibi fuſius. Cuditur etiam ſubinde, præter argentum & æs, aurum optimum: quod prioris & hujus ſeculi nummi ſatis demonſtrant.

CAP. VII. De Reditibus Imp. Sueo-Goth.

E dictis ſup. c. 5. reditus & vectigalia per ſe emergunt; ubi enim magni proventus & mercimonia, ibi reditus. Exacte vero omnia ad certum calculum revocare & ſummam abſolute definire, cum annuatim

aliqua varietas incidat, stolidum puto: utcunque in descriptione aliorum regnorum alii in ista ἀκριβείᾳ mirifice sibi placeant. Quis enim prudens œconomus, rationes accepti & expensi, etiam in domo sua, publice constare velit? Cum hoc inter Secreta domestica merito habendum; at quanto magis, Secreta regni, Secreta erunt? Imo apud nos nisi S. R. M. R. Senatoribus & inter illos præcipue, illustr. R. Thesaurario ac in ejus collegium ascitis hæc exacte rimari fas non est. Unde & author relat. de st. regn. Suec. fatetur se tributorum summam, utcunque magnam adhibuerint diligentiam, intelligere non potuisse. Et merito: non enim oportet nimis curiosum esse in aliena domo. At flumina, ne dicam maria, redituum Coronæ Suec. ad hosce 4 fontes seu scaturigines paucissimis revocabo: I. Fodinæ Metallicæ, argenti, æris, ferri, sulphuris &c. unde incredibiles divitiæ exundant. Quippe cum ex 1. cuprimonte antique ultra 15000 pond. naut. (*Skippund*, quorum singula 30. cent. tenent) optimi æris colliguntur. Quid de reliquis per universa regna fodinis quamplurimis judicandum? II. Vectigalia majora & minora, e mercibus exoticis & domesticis; quæ immensas summas conficiunt, & invalescentibus mercimoniis invalescunt. III. Tributa rusticorum, coronæ immediate reservatorum, ordinaria & extraordinaria. Nec non Urbium & oppidorum collationes. Hinc commeatus arcibus, locis munitis & classi nauticæ paratur. Unde R. Joh. 3. Legato Pontificio vere dixit, Bellum quod Regi catholico uno millione constaret, sibi centum millibus thalerorum non constiturum. IV. Omnium ordinum, ingruente necessitate, ultroneæ ac spontaneæ Contributiones, quas in Comitiis requisiti, pro ratione temporum promittunt, & promptissime præstant. Quanta hinc argenti, pecuniarum & victualium vis brevi haberi possit; Præsens ætas & proximæ tempestates edocuere. Sic latissimum & immensæ profunditatis oceanum unoque ob-

tutu percurri. Sapienti vel verbulum satis est: Stolide curioso nec volumen sufficeret.

CAP. VIII. De aliis Coronæ bonis.

Esset hic etiam de aliis publicis bonis agendum; utpote antiquo domanio Ubsalensi, (*Upsala øde*, cujus mentio fit, *Kong. B. L. L.* c. 2. c. 3. p. 4. & 6. ex parte recensetur p. 2. c. 11. *Helsing L.* eodem tit.) regis sustentationi olim destinato. Neque enim de principis bonis privatis, hic agere est instituti: Et Gustav. M. sua allodialia magna ex parte Ubsalensi Academia dicasse notorium est. Item de Archivis Regni, non modo Cancellariæ, sed & reliquorum collegiorum, optime ordinatis, tum Stockholmiæ, tum hic Aboæ, non minus quam in cæteris suis locis. De Bibliotheca S. R. M. quæ parem in orbe vix agnoscit. De armamentariis instructissimis. Exoticotamiis & κειμηλιαρχείοις, ubi ob raritatem preciosæ res asservantur. De granariis, seu Promptuariis & ærario. De thesauris inventis: Bonis caducis & vacantibus, Dana *Arff*; publicatis, Ereptitiis, Spoliis & bello acquisitis, aliisque fiscalibus & regni fiscum augentibus. Sed brevitate excludor, actum est plenius Disp. Pol. 7. de Bonis Regni &c.

CAP. IX. De Fœderibus.

Fœdera, quæ Sueciæ potentiam stabiliunt, potissimum sunt arctissima illa plurium regnorum (de quibus supra dictum) unio: Et Sueciæ, Gothiæ, Fenningiæque plenissima confœderatio. Quæ divino cum auxilio, Suec. Coronam, quibusvis considerabilem facit. Nec defuere tamen olim, magis quam h. 1. cum remotis & vicinis, fœdera utilissima. De antiquis Sueciæ & Angliæ fœderibus, vid. Joh. M. lib. 4. c. 30. Neque recentiora incognita sunt. De fœderibus cum Christianissimis Galliæ Regibus superiorum temporum in Chronic. Gust. I. agitur: Quam arcta vero fuerint nuperri-

me inter hæc Regna fœdera, quamque sanctè & inviolabiliter servata, universus orbis admirabundus suspicit. Nec defuere etiam pacta & fœdera cum aliis Principibus & Rebuspubl. Germaniæ & Belgii &c. Adeoque cum longe dissito, Portugalliæ Rege, amicitiæ vincula nexa sunt. Cum vicinissimis autem vel æterna aut Dan. & Mosco: vel Temporaria pacis fœdera, ut com. Polono, colimus. Quæ tamen perennitatem quoque brevi induere sperandum.

Imperium tantis fultum *Rebusque Bonisque*,
Anne, putas, possit dicier esse potens?

LIBER VII.

De Urbibus & Oppidis Imperii Sueo-Gothici.

CAP. I. De Urbibus in genere, & Holmensi in specie.

URBES, pro tanti imperii amplitudine, pauciores videntur: Causas præcipue hasce auguror: 1. Soli terræque genium necessaria (ut præcedente libro monstratum) producentis. Unde & prisco ævo simplici mercium permutatione contenti indigenæ, certa loca statis anni temporibus frequentarunt, (K*æping* vocarunt, à *Kæpa*, id est, emere, unde & id nominis adhuc in quibusdam Urbibus remansit.) Ubi frumentum, lino, panno, piscibus, butyro, caseo, lupulo, carnibus &c. permutabatur. Exoticis autem mercibus multiplicatis, consequenter & Urbes. 2. Urbium raritatem populi quoque indoles parit; Partim quod singuli ferme ex plebe, quævis artificia, quotidianis usibus necessaria, exerceant: Ipsi calceos, ocreas vestesque ruri conficiunt; Ipsi fabrilia tractant, currus aliamque supellectilem parant, ipsi soleas ferreas equinis calcibus aptant; ipsi panes, cerevisiam, vinum, mulsum &c. conficiunt: Et quid non? Ad

Ad Urbes igitur, nisi in solennioribus nundinis, vel animi gratia, aut deponendi tributi causa, (exceptis vicinissimis) ruriculæ rarius commeant. Partim quod septentrionales hi, agricultura, piscationibus, venatione aut bello & militia, magis quam negotiationibus delectentur. 3. Facit etiam, quod minus frequentia hic sint emporia, situs locorum; In extremum fere septentrionis sese porrigentium. Unde non sunt, quibus cum merces peregre advectæ ulterius communicentur; qua commoditate alii in medio, qui orbis portitores constituti, gaudent. Sed aliquibus ad sufficientiam allatis incolæ hic acquiescunt. Hasce potiores paucitatis urbium causas habeo, ut nunc de prisca politia, paucis fluminibus navigabilibus, & similibus nil dicam. Aliquas nihilominus etiam antiquitus fuisse, easque optime constitutas URBES, priscæ leges municipales de Urbium constitutione, politia, & negociationibus rite exercendis, cum ipsa historia sufficienter demonstrant. Prout quoque ex insigni quarundam antiquitate, mox infra patescet. Quinque antiquæ Metropoles in Sueopentaprotopoli D. Joh. Messenii videantur. Nunc autem excultis magis artificiis, nec ut olim crudis materiis exportatis, numerus & cum numero dignitas urbium excrescit. Ego de iis, quæ hac tempestate maxime florent, paucis agam, idque juxta seriem à S. R. M. in Comitiis Holmensibus 26 Jan. 1649. confirmatam. Pleniorem descriptionem & Elogia, majus opus, Deo volente, exhibebit. (Politicam Urbium administrationem, per Coss. & Senatum &c. sup. lib. 5. c. 10. attigi.)

HOLMIA, seu Stockholmia, primum, nec immerito, ob florentissima mercimonia, Regiam sedem & summum tribunal, reliquaque suprema Collegia, locum sibi vendicat. Insigne est caput S. Erici, preciosissima Corona aurea ornatum. Suburbii autem borealis est, excelsus ille mons *Brunkebarg* & supra eum fasciculus (*en Wase*) Corona aurea, infra ingens pons Urbis borealis. Cele-

berrimum hocce ac nobilissimum septentrionis Emporium, sub sign. scorp. (teste Ægid. Aurel. Upsal.) & gr. 59. situm anno Chr. 1260. à fortissimo Heroë, D. Birgero *Jerl*, Regn. Suec. Administratore, R. Erici Balbi affine, R. Waldemari Magnique *Ladulas* parente, loco & situ commodissimo, inter eximium dulcem lacum *Maler*, ipsumque balthicum mare, in insula fundatum est. Quam duo utrinque Meleri ostia, ingentes molas affluendo ac refluendo circumrotantia, cingunt. Australe S. Olao, Norvegiæ Rege, Sueciæ Regem Olaum *Skot-Konung* evadente, apertum traditur: Boreale, truncis & trabibus, ad avertendas hostium incursiones, antiquitus clausum, *Stocksund* dictum, Urbi nomen dedit. Suec. quippe *Stock*, truncum seu trabem, & *Holm* insulam minorem denotat. Illa etenim à tigno post excidium Sigtoniæ aquis immisso, fataliter huc appellente, derivatio fabulosior videtur. Neque etiam palis aut truncis tota insistit, cum in insula firmissima, maxima ex parte extructa sit: etsi viciniora mari ædificia tradibus pro fundamento indigeant. Varia urbis hujus fata fuere. Namque Ann. 1297. in ipso ferme nascendi principio, una cum Curia seu Dicasterio conflagravit. An. 1330. Dominica ante Asc. Chr. Civitas cum Arce concremata est. Feria II. post F. Pasch. an. 1407. iterum Urbs cum Dicasterio, & simul 400 homines, perierunt. An. 1419. vicissim Urbs cum Dicasterio, & in eo, irreparabili damno, antiquissima privilegia, libri, acta & documenta, flammis absorpta sunt. An. 1445. 5 April, tertia urbis pars incendio periit. Iterumque an. 1458. tota, Arce Temploque exceptis, deflagravit. Anno 1554. Suburbium australe, quod nunc elegantissimis urbibus non cedit, totum in cineres redactum fuit: Posteaque non exigua ejusdem pars, consimilem fortunam sæpius experta est. Et nostra memoria an. 1625. tertia ferme Urbis portio, occasum versus (*Wastan til*, sic enim dispesci solet; *Oestan til & Wastan til*) à lacu *Maler* ad templum

plum usque Germanorum (quo loci nunc magnificentissimæ plateæ, Regis, Reginæ & Regiminis, Suet. *Kongz-Gatun, Drotninggatun, Regeringzgatun*, &c. visuntur) exarsit. Itemque ann. 1640. orientalis pars suburbii borealis tota combusta est: Ut alia infortunia taceam. Nunc vero ita enituit, ut omnium istorum malorum plane oblita videatur. Neque etiam olim, inter tot lævæ fortunæ insultus, domi aut foris dignitatem & authoritatem posuit. In patria cynosuræ instar fuit; Ubi mulctæ quævis juxta valorem monetæ Holmensis æstimandæ c. 23. *Tingm. B.* Exteris quoque invidis sudes in oculis extitit. Unde & Regum exoticorum, præcipue Alberti, Christierni I. & II. temporibus, longe gravius quam ullæ aliæ urbes afflicta fuit: Civibus excarnificatis, muris (licet frustra, ut sup. lib. 6. c. 1. monitum) obsidione cinctis, magnoque demum numero, optimis civium immanissime contrucidatis, prout Crantz. Joh. M. l. 21. c. 26. & 27. nec non Jacob Zieglerus Lindav. aliique graphice depingunt. Superatis autem tot tantisque adversitatibus, sub indigenis vicissim Regibus, ex inclyta Gustaviana familia, quietem nacta hæc Urbs, prosperitate ac divitiis, pomeriisque protensis & ædificiorum splendore, populoque in immensum aucto mirifice accrevit. Hic nunc stabulantur non modo Sueci, Gothi, Fenni ac Livoni; verum etiam Germani, sc. Pomerani, Westphali, Mekelburgi, Saxones, Suevi &c. Scoti, Angli sive Britanni, Galli, Belgæ, Moschi &c. adeo ut nullus ferme in Europa natus, aliquem hic conterraneum non invenerit. Tantaque hic est omnium rerum & mercium affluentia & abundans copia, e reliquis Sueciæ urbibus per lacum *Mæler*, terra utrinque & mari allata, indigenarum & exoticarum; ut in universo septentrione parem frustra quæsiveris. Unde & urbis amplitudo indies crescit ac dilatatur; nunc longe lateque extensa, non tantum per antiquam insulam & primariam sedem, & ponte annexam minorem, olim *Gramunkaholm*, à Franciscanis

Monachis ibi viventibus, jam à splendidissimis illustrium palatiam *Ridderholmen* dictam; ubi cum aliorum Regum priscorum, tum GVSTAVI M. magnifica sepultura visitur; & per utrumque Suburbium, vel amplissimis urbibus palmam nunc præripientia. Majores, profecto, inter ἀδύνατα (impossibilia) numerassent, immensum Brunchonis montem, magna ex parte avehi, nitidissimis ædificiis & palatiis locum dare, spatiosissimasque plateas per tantam molem excavari ac duci: Quæ omnia tamen auspiciis Augustissimæ R. CHRISTINÆ, &c. & vigilante industria p. m. D. Claudii *Flemming*, Ammiralii & Castellani Holmensis &c. in effectum deducta. Verum etiam per insulam nauticam, *Skepzholman*, ubi Classis statio; item per aliam majorem, item ponte annexam, *Munckalaget* dictam, & latissimam planitiem, *Ladugardzlandet*, in immensum extenditur. Palatia hic passim videre est, reg. Principum, Magnatum, aulicorum, mercatorum & civium, ut nunc publicas ædes taceam, quæ splendore nullis exoticarum urbium cedunt. Unde & hic Comitia frequentius celebrantur: Legatique commodissime excipiuntur. Templa illustriora, præter S. R. M. in arce nunc florent, S. Nicolai, S. Francisci, S. Claræ, S. Jacobi, Germanicum, Mariæ &c. Schola itidem est & illustre collegium; adeo, ut nihil ad decus & splendorem tantæ urbis desideretur. Quæ tamen omnia hic inserere pagellæ vetant. Sic igitur claudo:

Holmia Naturæ mirandum pignus & artis,
    Urbs, qua nulla salo, commodiorve solo,
Tu sedes Regum, trucibusque invicta tyrannis;
    Mercibus exundans; Justitiæque forum;
Tu Regina velut, reliquas caput exseris inter
    Urbes. Imperii floreat hocce decus!

C. 2. UBSALIA, antiquissima Sueciæ Urbs, 7 mil. Holmia distans, a quinto filiorum Magogi Ubbone, ut perhibetur, ad flumen Uplandiæ Salam A. M. 1903. ante tem-

tempora Patriarchæ Abrahami, loco fertilissimo atque amœnissimo fundata. Ubi non modo priscorum idolorum cultus viguit, sed & antiquissimorum Regum sedes fuit: Indeque Sueciæ Reges, in vetustioribus Chronicis, Vbsalenses audiunt. Christiana autem religione confirmata Archiepiscopalis sedes facta. Nec non Academica universitate illustris, quæ munificentia, regiaque cura GVSTAVI M. & modernæ CHRISTINÆ Augustiss. reditibus, numero & claritudine Professorum, & hæc consequente, studiosorum frequentiam adeo aucta est, ut nulli ferme in toto orbe cedat, paucissimas vero pares agnoscat. Insigne urbis est Sacellum S. Erici. Templum hic, ut olim paganum longe lateque celeberrimum fuit; ita nunc cathedrale, magnitudine, symmetria & artificiosa structura incomparabile est: cujus fastigia & turres altissimæ, undique transparentes, velut tornatoris manu fabrefactæ, puriosissimo ære coruscant. Intus pater alia ornamenta varia, Horologium seu Tabula Astronomica, Solis & Lunæ cursum, annos, menses, septimanas, dies, horas, artificiosissime indicans, sumptibus Archiepiscopi Jacobi, pone Altare posita, veteres Astronomiæ haud imperitos fuisse indicat. Tabula Altaris artificiosissime de aurata S. Erici historiam repræsentat. Cujus Corpus, uti & R. Gustavi I. cum ejusdem Reginis, aliorumque Magnatum non paucorum cineres hic quiescunt. In tumulis autem ad antiquam Ubsaliam, dim. mil. distantem Regia funera in paganismo cremata sunt, Ea vero nunc est in hac urbe platearum amplitudo, justa proportio, rectitudo, & ædium magnificentia, nitor & elegantia. Nec non adjacentis palatii regii, in edito monte ab una parte inaccessi magnificentia, ut Regum Coronationes etiamnum hic non immerito frequentetur. Encomium aliquando sic exorsus, olim, Deo volente, absolvam.

En ego priscorum Sedes Regumque Deorum,
Sacra mage & Musis, quam fera bella colo.

Ubbonis dicor velut Aula, Ubsalia: Sala
Quam secat & campus cingit ubique virens.

C. 3. NORCOPIA, Ostgothiæ Metropolis & primaria Civitas, Urbs splendidissima ac florentissima, 18. mil. Holmia distans; cui soli magnificentia & mercimoniis cedit; Panni textura, tinctura, nitidissimæ papyri apparatu, orichalchi ingeniosa tractatione, variisque artificiis excellit. Ab aquilone (*Nor*) denominata; quod Sudercopiam, miliari distantem, austrum (*Sæder*) versus habeat. Insigne est prima nominis litera *N*, supra notata corona aurea, juxtaque securi aversa, quæ trabe separantur. Arcem habet adjectam elegantem & validam. Templa capacia, & ædes luculentissimas. Artificiis & negociationibus maximas commoditates præstat ingens flumen *Motala*, quod plurimis aliis auctum urbem bisecat, duas inibi insulas pulcherrimas & utilissimas efficiens, in sinum maris, *Brawijkan*, cui urbs adjacet, sese effundens. Loci amœnitas ac fertilitas paucis exponi nequit. Hinc oriundi fuere Petrus Joh. Norcop. Gothus e piissimis, vernacula lingua scriptis notus; & Doct. Joh. Botvidi, Gustavi M. Ecclesiastes aulicus, posteaque Lincopensis Episcopus. &c.

Quæ quondam fuerat tenuis Norcopia pagus,
Eximiæ titulum nunc merito urbis habet.
Et molitoris erat casa, nunc quæ urbs splendida claret;
Sic solet ex parvis magna ciere DEUS!

C. 4. GOTHEBURGUM, quasi Gothorum arcem seu propugnaculum dixeris, clarissima est Westgothiæ Urbs: non secus ac Holmia & Calmaria ad balthicum mare, ita hæc ad Oceanum defensionem præstans. Cujus insigne est flavus Leo Coronatus, dextro pede gladium, sinistro 3. aureas coronas, cum pomo, cruce deaurata ornato, tenens. Fundata est hæc Urbs circa ann. Ch. 1607. sub R. Carolo IX. in nobili insula *Hisingen* (cujus partem Danus, respectu Norvegiæ, tenet) e ruderibus Elfsburgi, quo Urbs *Nylœas* anno 1543. translata,

cum vigilia S. Laurentii, rupto ponte 60. homines, interque illos Nobilis fœmina cum 6. ministris, tum forte adequitans, periere, aucta est. Sed ab incomparabili Heroë GUSTAVO M. nova privilegia simul & incrementa cæpit. Insignis portus commoditas, famosi fluminis *Trallhattan* mira ministeria, canales & fossæ quaquavorsum per urbem ductæ, platearum amplitudo ac mundicies, situs & adjacentium locorum amœnitas, aëris salubritas, soli vicini fertilitas, lucrosaque commercia, & munimentum humanis viribus invictum, præ aliis hanc urbem commendant. In Politica Administratione cum cæteris convenit; nisi quod magistratus majori veneratione prosequuta, non tam Coss. ut aliæ, quam secundum Burggravium, Præsides salutet. Officia tamen eorum cum Coss. coincidunt.

Adspiciunt variis varii hanc obtutibus Urbem,
Albis cui Gothicus commoda magna vehit.
Mercibus est dives, Gotheburgum dives ab armis;
Hostiles igitur sibilat inde minas.

C. 5. CALMARIA, Antiqua Urbs Smolandiæ, clavis Gothici Regni ad orientem, a qua fretum Calmariense, (*Calmarsund*) inter Oelandiam insulam & urbem, nomen habet. Insigne sunt 3. excelsæ acuminatæque turres, ad defensionem comparatæ, quarum intermedia altitudine excellit. Sita est loco plano & satis amœno. Mare muro disjungitur, alterum latus aggeribus fossisque amplissimis clauditur. Arx adjacet invictissima. Cui etiam propugnaculum in mari, *Grimskar*, paululum distans, aqua dulci gaudens, prætenditur. De frequentibus urbis hujus impugnationibus; ibique habitis Comitiis & conventibus, vid. Ol. M. l. 9. c. 21. & seqq. Ubi tamen non omnium meminit. Circulari ferè figura est, & e centro fori, propter platearum rectitudinem, omnes portas spectare licet. Ante annos autem aliquot, casuali incendio, maxima urbis pars, cum templo magnificentissimo, consumpta est. Unde S. R.

Maje-

Majestati ansa oblata, (quod & felicis recordationis Gust. M. meditabatur;) urbem in vicinam insulam, *Qvarnholman*, commodioris navium appulsus, meliorisque defensionis gratia, transferendi.

Sive à colle maris, dicta est Calmaria; Sive, ut
Magnus Olaus ait, frigidiore mari:
Est portus præstans, Arx insuperabilis armis;
Hic prostant merces, exteræ & indigenæ.

C. 6. ABOA, Fenningiæ metropolis, in angulo inter Bothnicum & Fennicum sinus, *Abo* que amnis habitatio, (*Aa* enim amnis est, & *boo* habitare, dicta videtur. Fennis *Turku*, i. e. forum audit. Insigne habet lit. A. 4. rutilantibus in circuitu liliis decussatim positis. Montibus Urbs circumvallatur, qui inusitata alibi molendinorum alatorum multitudine conspicui sunt. Magna cum Holmensibus, Urbibus Vandalicis, Batavis & vicinis, mercimonia facit. Urbem non modo flumen *Aura*, magno emolumento secat, sed & inter alios, fons perennis *CupisKalla*, rivo limpidissimo perluit, amni sese in media urbe infundens. Valdeque hunc locum decorat templum, Anno 1300. in memoriam S. Henrici fundatum, magno sumptu variorum Episcoporum magnifice extructum, multa undique luce collustratum, nunc quoque tecto ære fulgente decoratum; Quod interius jam ita exornatum splendet, ut simile paucis in locis reperies. Aliaque publica hic ædificia coruscant, inter quæ Dicasterium Regium, Academia & Urbis Curia &c. eminent. Arx vero adjacens & munimento & ornamento est; inter quam & urbem deambulatio est jucundissima. Vicina insula *Runsalga*, thessala tempe amœnitate vincit. Eaque circumjacentis soli est fœcunditas, & piscationum ubertas, ut nullibi minoris obsonetur. A vulcano sæpius dira hæc urbs passa est: Ann. 1310. a Ruthenis direpta & cum templo Cath. exusta; 1425. templum die 8. corp. Chr. iterum conflagravit. 1429. Templum atque cœnobium casuali in-

cen-

cendio; Et 1459. templum cum urbe, fulmine tacta, deformata sunt. 1473. Urbs iterum fortuitis flammis periit. 1510. (al. 1509. 2. Aug.) die S. Laur. Otton. Ruut prædæ fuit: ut 1522. (al. 1521. 10. Cal. Jun.) Severino a *Norby*: & a Nicolao Andreæ accensa. 1537. die in-vento † cœnobium igne periit, nunquam deinceps re-stauratum, ex quo tamen 3. adhuc celebres plateæ de-nominantur. 1546. Major urbis pars, minori (*Lille fidhan Aen*) ad boream amnis excepta, conflagravit. 1565. Urbs in cineres redacta; uti & 1569. 15. Febr. 1592. quarta pars (*Mata Jerffvui*) 27. Maji exusta: Et sequenti anno, tota, cum nosocomio & promptuariis ad amnem: quo incendio Consulis uxor, & alii aliquot homines interierunt. *Mata Jerffvui* tunc & templo illæsis. Quod tamen iterum 1601. flammis vastatum. 1603. 4. Jun. maxima urbis pars a Cœnobio ad plateam pecorum (*Fegatun* F. *Karjagatu*) & *Matajervvi* igne absumpta est. 1618. platea templi, *Kyrkiegatun*, arsit: Et 1624. iterum *Matajervvi*. Nec omnia infortunia hic percenseri pos-sunt. Tot malis edocta, accuratam caminorum ratio-nem habere, contignationesque lapidearum ædium sic aggere, lateribus & calce munire, fenestras ferreis la-minis, ut rapidissima incendia sæpe innocua, ita custo-ditis, transierint; nisi quod supremum tectum, cortice & asseribus constans, absumptum: aliaque apta reme-dia suffocandis flammis adhibere didicerat. Habita hic Comitia ann. 1435. Ubi Engelbertus Regni Princeps declaratus. Et iterum sequenti anno, 3. Cal. Febr. Ubi Regni Proceres literas ad R. Eric. Pom. quibus officii & juramentorum admoneretur, dandas unanimiter de-creverunt: Et nisi legibus suis frui permitteret, se ei-dem renunciaturos, aperte significantes.

Justitia ac Musis quoque nunc illustris ABOA;
Navibus & variis mercibus ante fuit.

C. 7. WIBURGUM, Careliæ metropolis, sub gr. 63. loco ædito ac montoso situm, non modo terra, qua unis

ca saltem via per aggeres & muros firmissimos aditus patet, ob saxa & rupes cingentes in accessum, sed & mari ferme clausum, regionem istam inexpugnabilem præstat. Insigne est W. tribus Coronis suprapositis. Habet etiam arcem vetustam a D. Turchillo Canuti R. Marscho, ann. 1293. fundatam, circulari forma, turri altissima, inferius quadrata, superius octigona, altissimis aquis, septima quavis hora affluentibus ac refluentibus invictissimam. Quæ toties olim Moscorum furorem retudit. Pons huic incomparabili longitudine adjacet. Et portus ac statio navium commodissima, ubi naves magno numero quotannis stabulantur. Templa habet complura; Quod nunc Carelorum sacris servit, olim Cœnobium fuit, hac inscriptione:

CIↃ CD simul. L ter & X superaddito unum
Artificum manibusque opus inceptum æviternum.

Enumerat annum CHR. 1481. omnia brevitas notare vetat.

WIBURGO nullum Mars Mercuriusve probatum.
Ad sua Sacra magis duceret esse locum.

C. 8. NYCOPIA, quæ nova Köpingia, Sudermanniæ caput est. Urbs etiam maritima ac nitida: Cujus insigne arx cum eminentibus turribus absque muris & fossa, late autem se pandente porta. Holmia 12. mil. distat. Arce editissima hortoque regio amœnissimo clarens. Viciniam fertilem habet, unde frumento potissimum negociatur. Amplum flumen sinuoso flexu in duas qui urbes secat; quibus singulis singula templa & pastores sunt. Et Navigatio commodissima.

Hæcce novum referat quamvis Nycopia nomen:
Urbs perquam florens, non tamen ipsa nova est.

C. 9. WESTERWIKIUM, Smolandiæ Emporium in Tiustia situm; nobili portu, naviumque structura claret. Hic siquidem pix, asseres, trabes, mali &c. abundant; quibus quoque mercaturam exercet. Non incongruum igitur insigne datum; Navis malo, funibus, cæterisque requisitis parata consistens. C. 10.

C. 10. GEVVALIA, Urbs est Gestrikiæ antiqua, item maritima; Navigationibus & mercimoniis nota; Cujus insigne lit. G. (ut alii volunt Cervus.) Mediam dividit ingens flumen, duobus magnis pontibus stratum, quod amœnam insulam *Altraholman* mare ingrediens amplectitur. Et dimidio abhinc miliari propugnaculum in mari accurrit. 4. mil. abest *Elffkarby*, locus nundinis bis quotannis, oculatarum & esocis captura, amplo flumine & cataracta celebris.

C. 11. WISBYA, Gothlandiæ Urbs, sub gr. 58. sita, antiquitate, & olim celebritate conspicua; cujus vires veteres pomœriorum atque mœnium amplitudo hodieque ostentant: Nomen alii a virgine *Wissma*, quæ contra Regem Sueciæ Haquinum *Ring*, Regis Dan. Haraldi *Hyldetand* signa pertulisse fertur ann. Chr. 326. altera manu a Starchatero mutilata, deducunt. Alii a piscationibus, quasi *Wischbr*, pronunciatione germanica. Commodissime a Sinu maris, qui ad montem *Korpeklint* immittitur, ubi olim portum fuisse, indicia adhuc manifesta testantur; quasi *Wyksby*, per elisionem *K. VVysby*. Insigne olim V. prout ex antiquis monetis patet; postea muris cincta VV. habet. Ab octavo a N. Chr. seculo potissimum crevit, e ruinis ditissimæ quondam Urbis Pomeranæ Venetæ seu Winnatæ, varias nationes omnigenasque merces complectens. Templa olim 15 ibi numerabantur. Indeque antiquissimum jus nauticum prodiisse constat. Nunc pristini splendoris rudera tantum supersunt. Loci tamen commoditas maxima est. Quomodo autem quodam R. Suec. Magnus, Birgerus, D. Ericus, D. Valdemarus Suec. Principes, & iterum Magnus Erici R. Suec. Norveg. & Scan. ubis hujus jura & libertatem confirmârint; uti etiam quomodo nunc postliminio ad Coronam Sueciæ redierit, alibi expositum est.

C. 12. FAHLUN, ad ingentem Cuprimontem Dalekarliæ, primum ante duo lustra Urbis privilegia accepit; Urbi-

Urbibus jam diu ante potentior ac ditior; ultra miliare in circuitu habens. Et insigne furnum metallicum seu fusorium, cum duobus follibus. Hic videre est viscera terrarum non sine stupore spectantium scrutantes; Metalla igni & vectibus ex ipso profundo, incredibili calore & labore, eruentes; Machinas e fodinis amplissimis ac profundissimis aquam compendiose exantlantes; æs torreri, coqui, liquefieri, in tormenta monetam &c. converti. Specialiora alias. Paucis: Sueciam nescit; qui hunc locum nescit. Nec febris nec pestis hîc unquam grassatur. Atque istæ urbes jure stapulæ hactenus gaudent: Qua prærogativa de cætero fundandæ proximum huic consequenter locum tenebunt.

C. 13. AROSIA, VVesmanniæ primaria & antiqua Urbs, ad lacum *Meler*, 15. mil. *Fahlonia* & 10. miliar. *Holmia* distans. (Olim *VVastraahrhvus*, id est, occidentalis navium statio; ut Ubsalia *œstra-ahrhvus*, orientalis, dicta fuit.) Cupri ac ferri mercimoniis, Episcopali sede, insigni Gymnasio, celeberrimis nundinis, & antiqua Arce clara est. Insigne habet lit. A.

C. 14. ARBOGIA, limitanea etiam Wesmanniæ Urbs, ad amnem, qui paulo inferius eidem lacui *Meler* miscetur; (qui insulas tot habere dicitur, quot habet annus dies) Hic artificia & fabrilia summopere excoluntur. Panisque optimus pinsitur. Insigne habet Aquilam, expansis alis, & cruribus.

C. 15. OEREBROGIA, antiquum Nerikiæ oppidum, juxta flumen *Trosa*, lacum *Hielmer*, illabentem, in planitie situm; Arce aquis dicti fluminis circumflua claret. Insigne, olim prima nominis litera: nunc Aquila est.

C. 16. JUNECOPIA, a vicino fluento, *Junabeck*, ut putatur, nomen habet; ad littus extremum lacus *Weter* in Smolandia sita. (Oppidum magnificis Regum Comitiis memorabile in omni ævo sequuturo, vocat Ol. M. l. 2. c. 19.) Tempore Gust. M. in commodiorem locum translata, ubi ad boream *VVeter*, ad austrum lacuscu-

cusculus *Münkesiøn* munit; ad occidentem Arx firmissima, ad orientem fere paludes; inter quas & lacum transitus non adeo amplus relinquitur. Incolæ artificiis præcipue incumbunt ac ditantur. Regio Parlamento Gothici Regni hic locus nunc valde collustratur. Hîc & in vicinia sæpius visiones atque miranda contingunt. Jo. Baaz. Hist. l. 7. c. 5. 9. 17. & 19. item l. 8. c. 14. Et recentior experientia idem confirmat. Insigne Urbis est Episcopus cum arce tribus munita turribus, sed pyramide cassis.

C. 17. KOPIA seu Köpingia, Arosiam inter & Arbogiam ad prædictum lacum *Maler* in plano sita, mercimonia cum utraque nec non Montanis & Holmensibus exercet. Celebres item nundinas in Aug. F. Olai habet: ubi innumeri pecudum & taurorum greges, inter alias merces, coguntur. Insigne est Crux longius producta, cujus tres superiores extremitates itidem cruces minores referunt. Ad dextram stipitis, initialis lit. A. notatur. ut ait Messenius.

C. 18. HELSINGFORSIUM, Nylandiæ Urbs, ad rapidum flumen, unde nomen habet, a R. Gustavo Imo anno 1550. fundatum, ut mercium e Belgio & Russia stapula esset. Nunc ad commodiorem portum, aperto mari viciniorem, translatum eximia incrementa capit. Insigne antiqui Helsingforsii, dimidia esocis cauda; Neoforsii cymba in flumine natans.

C. 19. HUDWIKSWALDIUM, alias Hudingswalda, Helsingiæ oppidum est, cujus duo latera mare claudit; Cum Dalekarlis, Jemptis & Herdaliis ac Holensibus, aliisque negotiatur; & situ commodissimo gaudet. Insigne sunt tres Caprorum capita, propendente barba.

C. 20. WASA, orientalis Bothniæ oppidum non ignobile; ad mare situm, loco pascuis & frugibus abundanti. Insigne, Fasces, infra utramque extremitatem constrictæ. Suet. (*En VVasa.*)

C. 21. LIDCOPIA, Westgothiæ oppidum, 2. mil.

Scaris distans, ad littus australe lacus *VVaner*; cui flumen *Lyda*, a quo nomen habet, urbem pertransiens, se infundit. Mercatu e sylvis hujus incolæ ditantur. Insigne est, Episcopus cum suo ornatu sellæ insidens.

C. 22. MARIÆSTADIUM, Westgothiæ oppidum est, in fertilissimo territorio *VVasbo*, a R. Carolo IX. in memoriam thori consortis R. Annæ Mariæ, Heidelbergensis Elect. Ludovici filiæ, fundatum; Ludosiensibus civibus huc translatis. Ab uno latere magni lacus *VVaner* sinum habet; ab altero continentem: unde curribus atque navigiis commeatus, merces & sarcinæ pariter afferuntur; Nundinisque quaternis annuatim locupletatur. Vicina est Regia *Mariaholm*, flumine disjuncta. Insigne, Dimidius taurus, ingentibus cornibus flumini imminens.

C. 23. Carlstadium, ab ipso R. Carolo IX. denominatum, insulam ab ingenti flumine *CarlsElff*, ubi lacui *VVaner* miscetur, factam occupat, in meditullio quasi Wermiæ situm. Is locus olim *Tingvvalla* dictus, c. 11. *Kong. B. L L.* Equitum lustrationibus, nundinisque Festo S. Pauli & Luciæ celebris; quæ etiamnum a Gotheburgensibus, aliisque vicinis, magno cum emolumento frequentantur. Insigne Castor utrinque turri munitus.

C. 24. Lincopia, (a lini mercatu dictam volunt) inter antiquissimas Ostgothiæ Urbes in cujus centro sita, Episcopali sede, Schola & Gymnasio celebris est. Cujus cathedralis ædes sacra, nulli in toto septentrione magnificentia cedit; e quadrato lapide tota extructa: Quæ cineres R. Olai *Skot Konungz*, & utriusque R. Amundi *Kalebrannares* ejusdemque Filii. Hic nati Joh. M. & Ol. M. nec non moderni Episcopi Lincop. Antecessor M. Jonas P. aliaque clara ingenia. Insigne urbis est Caput Leonis.

C. 26. Stregnesium, Sudermanniæ oppidum est, ad littus australe lacus *Maler* situm, residentia Episcopi, Schola, & insigni Gymnasio clarum. Celebres hic nundinæ

dinæ *Samtingen*, 3. Mar. Cathedrale templum tum bis R. Caroli IX. & utriusque conjugis & Principis Caroli Philippi condecoratur. Insigne ibi S. Petrus claviger & S. Paulus ensifer.

C. 26. Hernösandia, Bothniæ occidentalis oppidum antiquissimum, ad mare positum, nundinas habet circa F. Bartholomæi, quibus nullæ in universa Bothnia celebriores. Insigne ejus est, Castor prolixiori cauda.

C. 27. Uhlaburgum, primum est orientalis Bothniæ oppidum ad boream; a flumine *Vla*, cui adjacet, munitissimoque ibidem castro, nomen habens. Magna hic butyri, salmonum, pellium, luciorum &c. copia prostat.

C. 28. Torsilia, quasi *Torgzhalla*; quod forum, *Torg*, super rupe, *Halla*, fundatum notat: oppidulum est Sudermanniæ, ad littus meridionale *Maler*, insigni flumine, molendinis, aliisque commoditatibus gaudens. Insigne est, S. Olai effigies, throno insidens & securim manu tenens.

C. 29. *Borhaus*, Oppidum est Westrogothiæ, in territorio *VVinharadt*, ad locum sylvosum ac montosum, juxta fluvium, indies incrementa capientem. Incolæ institores sunt impigerrimi, per totum regnum merces, linteum, pannum, utensilia, calcaria, cultros, tintinnabula, forfices &c. venum circumferentes. Unde & duas forfices insigne merito accepit.

C. 30. Wanersburgum, a *VVaner* cui ad occidentem adjacet, dictum; novum sed florens est Westgothiæ oppidum; Cui insigne Navicula expansis velis. Fortalitium adjacet invictum.

C. 31. Enecopia, Uplandiæ oppidum antiquum, in solo fertilissimo, ad lacum *Maler* conditum: unde incredibilis sapidissimorum olerum atque radicum proventus, Holmiam & aliorsum quotannis defertur. Insigne igitur, 4. lilia, transversis caulibus in crucis modum locata, ostentat. Hic ann. 1491. Rusticorum con-

ventus pro D.Stenone *Sture* habitus, & Nundinæ quotannis feria 20. Nat. Chr. celebrantur.

C. 32. Sahla; Ad celeberrimas atque ditissimas Argenti-Fodinas in Wesmannia sita, rotunda figura, & plateis latissimis, undique in foro, per rectam lineam, concurrentibus. Nec minora juxta hanc quam ad Cuprimontem videre est naturæ & artis opera admiranda: fodinas ad 2. stadia vel 300. cubitos, vi ignis excavatus; aquam cavitates fodinarum occupantem, arte extractam, alia artis opera trudere ac continuare. &c.

C. 33. Sigtunia, inter vetustissimas Uplandiæ urbes est, ad sinum lacus *Mæler* amœnissimum, Regia olim sedes & Regni metropolis, a R. Siggone, A. M. 2064. ut Chron. & Hist. asserunt, condita: Sed ann. Chr. 1187. a paganis combusta. E cujus cineribus Holmiæ, tanquam phœnix exsuscitata. Nunc vero Sigtunia Oppidulum est, piscatione & hortorum cultura vivens. Ubi 21 Febr. nundinæ habentur. Insigne est diadema regium duobus supra, una infra, stellis resplendens.

C. 34. Oeregrundia, item Uplandiæ oppidum est ad mare, in rupe situm, unde nomen habet; ubi optimi nautæ habitant. Apte igitur insigne nacta, Navim plenis carbasis volitantem.

C. 35. Telgium-Boreale, duobus mil. Oeregrundia, austrum versus, distans; artificiis clarum est; præcipue rem militarem spectantibus. Utpote Sclopetorum, gladiorum, loricarum &c. Et nunc illustr. Comit. ab *Oxtula* subest.

C. 36. Hedenmora, Dalekarliæ oppidum. Cupri-fodinæ vicinum, a qua & sylvis lucra capit. Ideoque insigne præaltam pinum, patulis ramis, ostentat.

C. 37. Lindesaas, Wesmanniæ oppidum, ad feracissimas ferri-fodinas *Lindesberg* positum; quod a ferri mercatu ingentia lucra colligit.

C. 38. Nohra, itidem Wesmanniæ oppidum, pariter campestre (aquis tamen ad ortum & meridiem circumfluum)

fluum) 4. mil. Orebrogia & Arbogia disjunctum; quibus etiam ferrum ex ditissimis venis, *Noraberg*, divendit; Nonnulli quoque ulterius ipsi Holmiam devehunt.

C. 39. Askesund, novum Nerikiæ oppidum est: Locus, olim nundinis tantum celebris, 5 circiter mil. Orebrogia distat. Ad boreale latus, lacus *VVater* situm est; unde cum omnibus eidem adjacentibus negociatur; nec non cum montanis in *Leerback* & *Snaflunda*, hi dim. mil. abjacent. Hic magnus optimæ cannabis proventus est.

C. 40. *Searæ*, Urbs Westgothiæ antiquissima, in ejusdem fere meditullio a Goth. R. Scarino, A. M. 2793. juxta Chron. calculum, ædificata: de cujus antiqua celebritate & vicina arce, multa Joh. M. Ol. M. Messen aliique. Nunc insigni templo cathedrali, Episcopali sede, & celebri Gymnasio tantum nota. Insigne ei est præstantissima templi cathedralis structura, cum duobus olim cœnobiis.

C. 41. Wexionia, locus etiam ante multa secula celebris; ubi S. Sigfridus, primus ibidem Episcopus, templum cathedrale, circa ann. Chr. 909. fundavit: ibique sepultus est. Privilegia urbis anno demum 1341. a R. Magno Erici accepit. In medio Smolandiæ sita, magnas habet nundinas 15. Febr. in festo S. Sigfridi, ad quas e Dania quoque mercatores confluunt, & Birgittæ in autumno. A saliceto, *VVie*, vel *VVide*, ubi condita, & lacu adjacente, valde piscoso aliisque confluenti, dicta videtur; *VVexsiæ* quasi *VVisiæ*. Jam diu florenti Schola, sede Episcopali: Et nunc quoqne regio Gymnasio aucta est. Insigne tenet primam nominis literam, W.

C. 42. Bogesund, Westgothiæ oppidum; inter lacum *Asund* & ingentes sylvas locatum: Insigne habet B coronatum.

C. 43. Suderoopia, Ostgothiæ antiqua urbs, quondam omnium rerum mercatu nobilis; nunc florente vicina Norcopia, multum de antiqua gloria remisit.

Hinc claræ prodiere ingenia, Doct. Laurent. Paulinus quondam Upsal. Archiepiscopus: Mag. Andreas Prytz Lincop. & M. Petrus Brugge Viburg. Episcopi moderni. Insigne urbis, olim Leo; jam quadripartitum scutum 9. stellis exornatum.

C. 44. Skeningia, Urbs Ostgothiæ vetustate celebrata, olim etiam amplitudine & populositate, quod hodieque plateæ longe lateque protensæ, & aptissime dispositæ, cum plurimorum templorum ruderibus testantur. A fluento eandem radente, quod autumno & vere, magno fertur impetu. (*Skena* enim Goth. correptis habenis luxuriose currere significat) denominata est. Nunc fertilissimorum agrorum atque hortorum cultura potissimum alitur. Insignis quoque ibi mercatus est boum & aliarum pecudum circa festum S. Olai. Insigne ipsi est, effigies B. Virginis Mariæ, aurea Corona & sceptro ornatæ, JEsum ulnis gestantis.

C. 45. Telgium-Australe, oppidum est Sudermanniæ, inter sinus maris & lacus *Maler*, cujus utriusque commoda participat. Hic S. Ragnildis, optumi R. Ingonis 4ti conjugis & S. Erici socrus sepulchrum habetur, in cujus memoriam ibidem fons S. Raguildis denominatur. Et insigne colitur, Regina sole vestita, dimidiæ lunæ insistens.

C. 46. Ekesiogia, *Ekesiœ*, a vicino querceto, (nam quercus *Ek* suet. dicitur) & non procul jacente lacusculo, (lacus enim *Siö* est,) nomen habere videtur, & Insigne, quercum tribus foliis, totidemque glandibus virentem. Oppidulum est Smolandiæ, pecudum mercatu negociationes præcipue exercens; quas cum vicina Ostrogothia aliosque communicat.

C. 47. Wadstenum, Ostrogothiæ antiquum oppidum est, quod undis lacus *VVætter* pulsatur; non tam amplum quam amœnum: Olim Cœnobio S. Brigittæ & reliquiis celebre. Hodie domo hospitali, pro læsis, truncatisque bello militibus: ubi exquisitissima eorun-

dem

dem ratio habetur. Nomen a saxis ad pontem Arcis collocatis, quæ aquis tecta olim ominosa habita, traxisse putatur. Templis nobilissimis planitie late circumjecta, hortis pomiferis, fontibusque limpidissimis gaudet. Insigni vero imagine S. Brigitæ, sellæ insidentis ad scribendum compositæ. In effigiem Cœnobii Vastenensis, quondam celeberrimi a Diva Brigitta auxilio R. Magni *Ladulaas* fundatum, & undecimo inde anno consummatum, quod sexus utriusque ordinis Brigittini Cœnobitæ quarta jan. primitus incoluere, sed 372. annis post, vlz an. 1595. idib. 7br. desolatum est: Ita cecinit Poëta;

Mira quidem pictura tibi, mage mira sed ipse
  Suggeret aspectus, Lector amice, domus:
Par decus eximiæ non conspecturus in orbe
  Structuræ: multus convena testis erit!
Sive peragrentur, quæ climata cernit Iberus,
  Ausoniæve domus, templa vel ampla Vari:
Gloria Vasteniis tribuetur tanta collossis,
  Cedat ut hæc nulli celsa decore domus.

Johannes Messenius.

Templum illud Cœnobii adhuc sartum tectum spectatur, Regum, Principum & magnatum tumbis ac cippis conspicuum; nec non circumpositi horti amœnissimi extant.

C. 48. Hio, Westrogothiæ oppidulum, ad oppositum lacus *VVater* latus jacet, sed australius. Insigne habens cymbulam navigantem.

C. 49. Skedwikium, item Westgothiæ oppidum; cujus insigne est Icon S. Claræ, baculum tenentis; & in circuitu ejusdem nomen. Vicinum habet fontem S. Helenæ, cujus aquæ vulgo salutares perhibentur.

C. 50. Biörneburgum, quasi ursorum castrum; Nam & Ursum pro insigni gerit: Septentrionalis Fenningiæ oppidum est, juxta ingens ac celebre flumen, non procul a mari situm: Salmonum, aliorumque piscium ubertate memorabile. Olim *Ulffzby* dicebatur: quod

nominis adhuc in templo & parochia adjacente hæret.

C. 51. Raumo, itidem Fenn. ſeptent. oppidum, commodo ſitu ad Bothnici maris ſinum poſitum. Inſigne Crux, litera R. ad quatuor angulos circumnotata.

C. 52. Tornö, Emporium in extremo ſinus Bothnici, ſuper inſula, quam flumen efficit, collocatum: Nec procul ab oſtio fluminis in mare mox ruentis, portus eſt commodiſſimus. De qua Urbe, ita Ol. M. l. 20. c. 1. Labitur ex montibus hujus Aquilonaris Bothniæ (id eſt fundi maris) undoſus, & profundus amnis: qui duobus oſtiis fertur in mare, relicto in medio brevi ſpatio, in quo fundatum eſt oppidum, quod Thorna, id eſt tunita inſula, dicitur: cujus latitudinis elevatio eſt circiter 82. grad. longitud. 42. Eſt autem hoc oppidum in loco plurimum amœno, & commodo ſituatum: nec aliud emporium frequentius in toto tractu ſuppolari, quam eſt hæc Thorna. Ad ipſam enim confluunt Ruſſi albi, Lappones, Biarmi, Bothnienſes, Fenni, Sueci, Tavaſti, Helſingi, & complures alii, ex partibus Norvegiæ, per altiſſimos montes, & vaſtas ſolitudines, ac Jempthiam regionem, & hi omnes partim oblongis naviculis, incitatiſſimis fluviorum caſibus aptatis, partim curribus domitorum rangiferorum, inſtar Cervorum utuntur, partim etiam pandis perticis, quibus conſperſa nivibus juga montium cito ſuperant, celerique allapſu concurrunt.

C. 53. Chriſtinæhampn, id eſt, Portus Chriſtinæ; Novum eſt Wermiæ oppidum, in patente, ad lacum *VVaner*, planitie: duobus amnibus ſcinditur, navigationibus aptiſſimum: unde & incrementa capit. Sub clim. 13. elev. pol. 60 gr. ſitum eſſe accepi. Quatuor Philipſtadio, & totidem Carlſtadio miliaribus abeſt.

C. 54. Sundsvald, Medelpadiæ novum oppidum eſt campeſtre, artificiis manuariis nobilitatum: ubi bellica inſtrumenta, bombardæ, haſtæ &c. optime parantur.

C. 55. Söderhampn; id eſt, Auſtralis portus Helſingiæ

giæ recens oppidum est maritimum, nobili portu, flumine perfluente, artificiis simul & negociationibus ditescens.

C. 56. Borgo, antiquum Nylandiæ oppidum maritimum, intra *Pelingskar* situm. Insigne habet, igniarium, seu instrumentum igni eliciendo aptum.

A Ruthenis Nlylandiam ad *Seckjerffvvi* an. 1578. invadentibus & Hellingforsium usque grassantibus male habitum: qui ingentem illinc Campanam abstulerunt: inde super glaciem de insulis *Peling* Narviam elapsi.

C. 57. Nova-Carleby, seu Neo-Carolina, orientalis Bothniæ oppidum est, ad vastum flumen, non procul a mari situm, negociationibus & florenti Schola insigne.

C. 58. Carleby-antiqua, non procul ab illa ad boream posita: utraque fertili & amœno loco a Gustavo M. fundata, ut Messen: cecinit:

Utraque Carlepolis. Gustavi condita jussu,
Sed Pater Vloniam, Vasamque forensibus ornat
Juribus &c.

C. 59. Uhmo, Bothniæ occidentalis emporium, Angermanniæ proximum, & maxime australe.

C. 60. Pitho, intermedium est ad amplum flumen, itidem non procul a mari situm.

C. 61. Lulo, tertium & *Tornæ* proximum est: Ista cum Lappis negociantur, pisces, plumas, pelles, pro mercibus aliis reddentibus. conf. Ol. M. cit. l. 20. c. 2.

C. 62. Neo-Stádium, florens est oppidum Fenningiæ borealis, ad mare positum, non tam antiquum quam dives. Vasa lignea ad circumjacentes vicinos, longe etiam dissitos atque exteros, copiose & lucrose defert; quibus navigia ad medium usque malum onerantur atque explentur: ut non navis sed mons, iisdem viminibus artificiose constrictis, in mari appropinquare videatur. Quæ navigia, etsi maxime onusta, ob impletas aëre vasorum cavitates, submersionem minus metuunt.

Nunc Caput est Comitatus *Wasaborg*. Insigne habens duos Lucios, sive lupos marinos.

C. 63. Ekenääs, quasi Quercuum peninsula, in loco amoenissimo sita; Comit. de *Raaseborg* paret & Nylandiæ oppidulum est maritimum.

C. 64. Philipstadium, Wermiæ oppidum, a fundatore Principe Carolo Philippo nomen accepit, in montanis & continenti situm, sub clim. 13. elev. poli 60 gr. 50 m. ingenti flumine in duas partes dividitur. Frumenti aliorumque commeatuum mercatu præstans; Et præcipue ferramentorum dives. Nec minus boum & equorum autumno commerciis viget.

C. 65. Fahlincopia, Westgothiæ oppidum est campestre: inter montes *Mysseberg* & *Alleberg*: olim quam nunc amplius: Summe fertilis agri ditescens. Frumento quippe & pecudibus præcipue negociatur. Insigne sunt 3. excelsæ acuminatæque turres.

C. 66. Allingsääs, itidem Westgothiæ oppidum est; Cervum quercui astantem insigne monstrans.

C. 67. VVimmerby; Smolandiæ oppidulum est, in edito colle situm, quod fluvius *Stang*, Lincopiam Ostgothiæ transiens, præterlabitur. Cujus inhabitatores agricultura, magis quam negociationibus occupantur.

C. 68. Trosa, Sudermanniæ oppidum; ubi ingens saxum, seu rupes, e mari Telghium australe navigantibus, sese conspiciendum offert; (Nautæ vocant horreum Throsæ, *Trosa ladu*.) Piscatui hic maxime dediti sunt.

C. 69. Osthammar, oppidulum Uplandiæ, duobus Oeregrundia milliaribus distat. Piscationibus item quam mercimoniis magis invigilat.

C. 70. Ahmola; Daliæ VVestgothicæ oppidum est ad lacus *Waner* in planitie situm. Amne alluitur; agricultura, & malorum navalium mercatu, nec non transvectionibus mercium Gotheburgum versus lucrum quærit.

C. 71.

C. 71. *Sather*, est oppidum Dalekarlorum, ubi metallis e montibus, bobus & pecudibus aliunde coactis, fœcunda mercimonia exercentur. Hic etiam cuprea moneta cuditur.

C. 72. *Mariæfred*, Sudermanniæ oppidum est in lacu *Meler*, ad Arcem munitissimam *Grypsholm*, loco amœnissimo ac fertilissimo situm. Atque hæ Urbes & Oppida, quantum quidem mihi hactenus innotuit, in hanc seriem hucusque relatæ sunt.

C. 73. Celeberrimæ olim Metropolis Sueciæ, *Biœrckæ*, (latine Birca flectunt) in lacu *Maler*, nunc rudera tantum apparent: Hæc cæteris quondam totique regno, imo & vicinis leges dedit; unde adhuc apud Danos *Birkeratt*, nomen retinet. Neque hic inseruntur Lodosiæ, *Gambleloœas*, *Nyloœs*, *Bratte*, Westrogothiæ &c: Nedum antiqua ac desolata quondam urbs Fenningiæ *Ulstara*, postea *VVanbiakyla* dicta, nunc *Ulffzby*, non procul Börneburgo; Quo loci jam prata & arbores virent, ubi olim navigiis transitus patuit; & arcis fortissimæ rudera spectantur. Neque alia adhuc vigentia oppida; in numerum veniunt; ut Vallisgratiæ, *Nadendaal*, duobus milliaribus Aboa disjuncti, in loco amœnissimo ac fertilissimo; ubi superiori seculo illustre cœnobium fuit, & templum inæstimabile, nostra ætate, incendio deformatum est. Et similia.

C. 74. Succrescunt & pluribus locis oppida, artificibus & mercimoniis non inculta; ut *Granna* in Comitatu *VVisingzborgh* Smolandiæ; *Kappœ* in parochia *Lapfierd* Bothniæ orientalis, medio fere situ inter Wasam & Biörneburgum; illinc enim 14. hinc 15. miliaribus distat: In Savolaxia ad Novam arcem, *Nystatt*, *Skardal*; In Carelia *Lapwest*, *Mala & VVekelax*, & ejus generis loca plurima; quæ propter insignes commoditates ac opportunitates municipalia seu urbica privilegia expectant.

C. 75. Ut nunc de multiplici nundinarum foro per singulos imperii angulos nihil dicam; incolæ *Mark-*

nitz-

marzplatzar vocant: ubi mercatus & negociationes statis anni temporibus, magno privatorum & reip. emolumento, non minores, imo locupletiores, quam in multis exterorum oppidis, more majorum, exercentur. Locorum nomina hic allegare brevitas non fert: sed illa ex Calendariis facile petuntur. Hactenus de Urbibus, Oppidis, & mercatus locis Sueciæ, Gothiæ ac Fenningiæ.

C. 76. Urbes insuper Suec. Coronæ subjectæ sunt & parent, aliæ etiam clarissimæ; utpote in Livonia REVALIA, sub 59 gr. 25 m. lat. & longit. ut putatur, 48. 30 m. ad mare balthicum, in circulo Wirico Ducatus Æsthiæ sita; Livonia enim à fl. *Dwina*, seu Duna, ad sinum Fennicum, in Lettiam, atque Æsthiam dividitur. Hæc in quinque circulos, Harriam, Wiriam, Alentakiam, Jerwiam & Wikiam, omnes frumenti tractus fertilissimos. Fundata est hæc urbs an. Chr. 1230. Sed an. 1566. Sueciæ Coronæ, ut contra Moschum defenderetur, ultro sese subjecit. Commerciis, portu & jure stapulæ, sive sistendi mercatus, valde nobilis, indeque & olim inter Hanseaticas civitates haud infima numerata fuit. Magnis adhuc ædificiis illustris, præaltis muris & insigni fortificatione munita est; A Moscho sæpius frustra tentata. Democratice gubernatur, per collegia & societates; (*Gilden & Aelderleute.*) Consistorium habet Gymnasiumque optime ordinata. Nunc iterum Episcopali sede insignis. In ejusque arce (vulgo *Domen* vocant) Generalis Æsthiæ Gubernator residet. Insigne urbis sunt 3 Leones.

C. 77. RIGA, Lettiæ caput, non procul ab ostio Duinæ, quinto abhinc seculo fundata; anno Chr. 1200. muro circumdata; anno 1563. Poloniæ Regi se subjecit; sed anno 1621. à Gustavo M. Suec. R. vi ad deditionem compulsa est. Prout Rigensium literæ & sincerationes ad Regem Poloniæ, & Ducem Radziwil, 20 Sept. 1621. datæ manifeste testantur. Et literæ apologeticæ spe-

ſpectabilis Senatus Rigenſis ad eundem Principem & Campiductorem Polonicum Chriſtoph. Radziwil aperte evincunt. Ut fruſtra ſunt, quæ urbi aliquod crimen inconſtantiæ impingere conantur. Hic 16 Sept. prædicti Anni, Rex victor ingreſſus; cui 25. ejusdem menſis Senatus urbis, cum ſelectis civibus, homagium in ſolenni forma ſub dio præſtiterunt. De neceſſitate deditionis, Regisque Guſtavi clementia, in literis ad R. Poloniæ ſic, poſt accuratam circumſtantiarum deductionem concluſere. Itaque omni humani auxilii reſpectu nobis præciſo, cum ne unus quidem de quingentis illis peditibus, quos Gedano ſubmiſſum iri R. M. V. promiſerat, compareret, eſſetque res ad extremum adducta diſcrimen, habito cum Domino Caſtellano Vendenn, aliisque Nobilibus tum Equitum præfectis Capitaneisque rei bellicæ peritis conſilio, rem deſperatam eſſe omnibus conclamantibus, in colloquium deſcendimus, pactique incolumitatem uxorum, liberorum, tum omnium jurium ac libertatum noſtrarum, in fidem ac ditionem Sereniſſimi Regis GVSTAVI ADOLPHI conceſſimus. Qua in re admirabilem victoris clementiam & lenitatem ſatis prædicare non poſſumus, qui ſumma moderatione animi hanc fortunam ſuam ſuperavit, ac nos vivere coëgit, idque ſupplicantibus nobis benigniſſime largitus eſt, ut ſi intra triennii ſpacium pax æquis conditionibus inter utrumque Regem coireſ, cum omni jure & libertate illibata, in ditionem Regiæ Majeſtatis V. redeundi nobis poteſtas ſit. Sancte coram S. R. M. V. affirmamus, idem coram Dei juſtiſſimi & omnium Angelorum facie, in ultima illa mundi disquiſitione teſtificaturi, paratiſſimos nos fuiſſe, una cum uxoribus & liberis omnibusque fortunis, certiſſimam oppetere mortem, ſi ulla vel laus vel utilitas ad S. R. M. V. & remp. promanare potuiſſet; niſi quoque pietas erga Deum & fidei noſtræ commiſſos, à tam crudeli facinore ac furore nos revocaſſet; quin ipſam R. M. V. id

im-

improbaturam: persuasum nobis fuisset. Quorum autem culpa hoc Reipub. Polonæ detrimentum acciderit, Deus judicabit, qui omnium animorum occultos recessus perspicit. Dum autem facere coacti sumus, quod divina humanaque jura ac naturalis ratio, tum omnium gentium laudata exempla permittunt, quæsumus R. M. V. non voluntati vel ullæ culpæ nostræ, sed fatali cuidam ac immutabili rerum conversioni imputare dignetur: quin summa ope in eam curam incumbat, ut omnis causa fundendi innoxii Christiani sanguinis in cœlum clamantis, e medio tollatur, pax firma tandem stabiliatur, vastationibus ac direptionibus finis imponatur, quiesque oppressis & defatigatis populis restituatur. Alioquin cœlum & terra testimonium contra injustos oppressores perhibebunt, & ira divina magis magisque incensa, iisdem dolorem sempiternum inuret. Certe Livonia omnis tantam Christiani sanguinis effusionem nunc nauseat ac horret, &c. Ex quibus, & vel sole meridiano clarius ex Apologeticis ad Radziwilium literis, Vanitas Joh. Werdenhagen dispalescit; qui sine fronte Rigensis cum R. Gustavo collusisse, asseverare non veretur. Riga, ut propugnaculis, muro firmissimo, turribus densissimis, vallo insuperabili, triplici tormentorum undique ordine, duplicatis fossis præ acutis stipitibus septis, arce & præsidio militari nunc plane invicta est; ita quoque mercimoniis, omnibus hujus tractus urbibus longissime præstat. Insigne urbis sunt duæ turres, ad defensionem aptissimæ; inter quas in porta Leo vigilat: duabus superne clavibus transversim in sublimi positis; & cruce supra has in medio eminente. Hic Livoniæ Gubernator residet.

C. 78. NARVA; Urbs in rapido flumine cognomini, Livoniam à Russia separante, 60 ab æquatore gr. sita, circa eadem tempora, quibus Revalia condita est. Dimidio supra urbem miliari horribili fragore flumen præcipitatur, & paulo infra eandem in sinum Fennicum

cum effunditur. Urbs non tam magna, quam valido munita præsidio. Ad aquas Arx est, in qua Generalis Ingriæ Gubernator residet. Ab altera vero fluminis parte, firmissima & triplici muro munita est Arx Iwanagorod, à Moscho quondam excitata, sed à GVSTAVO M. armis occupata. Pone hanc Arcem fuit suburbium, Russica Narva, quod à Moscowitis, quibus liberum religionis exercitium Rex permiserat, inhabitabatur, sed nunc supra flumen translatum urbi adjacet. De hisce tribus, proxime enumeratis, urbibus sic scribit, Lud. Guicciardinus in descript. Hollandiæ: Amsterodamum e solo septentrione bis in anno appellere videas ducentarum, ut minimum, nonnunquam 300 vario mercium genere, Gedani potissimum Revaliæ, Rigæ & Narvæ oneratum navium classes. In hac urbe plures quam ulla alia linguæ sunt vernaculæ & commodissime addiscuntur: utpote Suetica, Germanica, Fennica, Polonica, Ruthenica &c.

C. 79. *Dorpatum*, Urbs est antiqua Episcopalis, & nunc quoque residentia Superintendentis, Regiaque Academia & Parlamento clara. Jacet ad Embeccam, lacum Peipis & *VVortze Jerwi* interfluentem. Ubi victualia, si ullibi, parvo veneunt.

C. 80. *Parnovvia*, Odenpoæ Æstiorum maritima urbs præcipua, inter Hanseaticas, cum superioribus, à quibusdam refertur; à fl. Parnow, inter Embeccam & Arcem *Wittensteen*, in ampla sylva scaturiente, dicta. Situ commodissimo & ad mercimonia aptissimo.

C. 81. *Weyden*, antiqua urbs est Livoniæ, quæ nunc Illustr. R. Cancellario Com. Axelio *Oxenstierne* paret.

C. 82. *Felinum*, oppidum item est vetus, hodie in potestate Illustriss. Comitis Jacobi de la Guardie, R. S. Marschi &c. uti & Hapsal in mari situm.

C. 83. *Kexholmia*, ad ingentem lacum *Ladoga* sita, commerciis & navigationibus maxime opportuna est. Et admirabili salmonum captura celebris.

C. 84.

C. 84. *VVolmer*, antiqua urbs est Livoniæ, munitione insignis; quæ item Illustr. R. Cancellar. est.

C. 85. *Kekenbusium*, oppidum est Livoniæ, munita Arce adjecta notum. Ut nunc de aliis Livoniæ urbibus & oppidis, brevitatis causa nihil dicam. Duo etiam in insula Osilia oppida sunt.

C. 86. In Hallandia, (quam quindecim Civitatum altricem, & sexcentarum quindecim parœciarum rusticarum matrem esse Koldingensis scribit;) Sueciæ Coronæ parent hæ urbes: Halmstadium, ad fluvium oceano se infundentem situm, mercatu prænobile.

C. 87. *Lagaholmia*, ad fl. *Laga* itidem oceanum irruentem; Ubi celebres quotannis ad festum D. D. Petri & Pauli Nundinæ celebrantur.

C. 88. *VVardberga*, oppidum est Hallandiæ, ad sinum oceani; arcem habens adjunctam munitissimam.

C. 89. *Falckenburgum*, Hallandiæ oppidum itidem, ad flumen situm non procul à mari. Vbi olim lustrationes militum, c. 11. Kong B. LL.

C. 90. *Kongsbacka*, id est, mons regius, Hallandiæ oppidum est, mari imminens & Gotheburgo proximum.

C. 91. In Germania quoque vigore pacificationis inter Imperatorem Rom. & R. Sueciæ, huic coronæ urbes accesserunt non paucæ nec incelebres, quarum passim Instrumentum pacis meminit; Inter quas hæ sequentes eminent: In Pomerania Stetinum, ad Wiadrum, al. oderam situm; Urbs antiqua ampla & Vallis munitissima; Commerciis & illustri pædagogio florens.

C. 92. *Sundinum*, alias Stralsundium, maritima urbs munitissima & commerciis florentissima; ut antea per annos 20. Suecicæ Coronæ confœderata; ita adhuc, salvis privilegiis, Suecica præsidia habet.

C. 93. *VVismaria*, à conditore Wismaro, Vandalorum Rege circa An. Chr. 320. florente dicta; alii coloniam Gothorum ex Wisbya, Gothlandiæ Metropoli deductam affirmant, ut ait Mercator in Atlante. Cincta est undi-

que

-que oppidis minoribus, ex quibus ingens rerum ad vitam necessariarum copia advehitur: Et portu maris præ omnibus aliis urbibus accommodata est: Quo Hansæ socii conventus dirigere, atque ad eundem in rebus dubiis confugere solent. De hac & proxime præcedenti vid. multa apud Johan. Verdenh. de reb. Hanseat. part. 3. c. 22. aliosque.

C. 94. *Gryphiswaldia* quoque antiqua Pomeraniæ urbs, non ultima inter Vandalicas & Hanseatico fœdere conjunctas. Nunc munitissima; Et Academia, Anno Chr. 1468. erecta, valde florente, clarissima.

C. 95. *VVolgastum*, non ignobile oppidum est, ad ingens flumen e mari dulci, in balthicum fluente, a quo nec longe distat; Arce munita firmissima. Unde immortalis memoriæ regni GVSTAUI M. Funus, anno 1633. maxima pompa, in patriam trajecit.

C. 96. *Gartzium*, est elegans oppidum Pomeraniæ ulterioris, ad Wiadrum seu Oderam situm, ubi flumen ponte sternitur.

C. 97. *Dam*, oppidum est pulchrum, Stetino fere e regione, ab altera parte fluminis, non procul à Stargart positum.

C. 98. *Golnav*, ad fl. Stargart alluente positum, ulterioris item Pomeraniæ oppidum in loco amœno & commodo jacet.

C. 99. *VVollinum*, oppidum est insulæ, in qua locatum, cognomine.

C. 100. Sunt & Insula Rügen, quæ peculiarem Principatum constituit, oppida Bergen & Putbus. Et adhuc in Pomerania egregium Oppidum ANCLAM; item PASEWAL, cladibus bellicis notum &c. aliaque complura. Ut nunc de Ducatus Bremensis, (cujus caput est BREMA, ante hac Episcopalis sedes, Urbs ad VISVRGIM sita, ædificiis, munitione & mercimoniis inter præcipuas Germaniæ ponenda;) reliquis urbibus ac oppidis, quæ quamplurima esse, nemo istorum locorum

plane non ignarus ignorare potest, brevitatis causa nihil dicam; omnes enim in hac pagellarum & temporis angustia, hac vice inserere plane impossibile est.

Sufficiat itaque breviter præcipuas Coronæ & Imperio Sueo-Gothico addictas Urbes atque Oppida hic enumerasse; Quorum etiam, ut & reliquorum, Deo fortunante, alias uberiorem ac pleniorem declarationem polliceor. Et quæ hic concise posita à candido Lectore in meliorem partem accipi & exponi, uti spero, ita etiam officiose rogito.

Suecia nempe suis augetur, & Urbibus; ultra
Succrescat voveo! Civibus atque decus!

LIBER VIII.

De Familiis Illustribus & Nobilitate Sueo-Gothica ac Fennica.

CAP. I. De Antiqua Nobilitate in genere.

Prisco ævo nulli inter Suecos Gothosve Nobiles atque Illustres (*Adel och Fryborne*) habiti videntur, præter eos, qui regio sanguine oriundi erant. Unde & omnes antiquiores ac illustres familiæ ab ipsis Regibus originem suam clare deducunt. Potissimum ex familia R. Ingonis, *Inglingaslæchten*, (sicut in Dania *Scioldungar*, & in Norvegia, familia regis Haraldi *Harfager*) & aliorum. Indeque Nobilitas etiam ad exteros per Germaniam, Helvetiam & Hispaniam, cum antiquis Gothis transplantata, prout hist. evidenter monstrant. Adeoque etiam Nobiliores familiæ Hisp. se adhuc Fidalgos, i. e. filios Gothorum jactitant. Sic domus Gusman e Gothorum regibus originem habere scribitur; Heredia seu Herediarum familia; Gothof. Archont. & Nobilitar. Hisp. item Com. d' Olivares. de Medina; de S. Luca &c. Quin & ipsa domus Habsburgica, unde tot Rom. Impp. Hispaniæ aliorumque regnorum Reges extitere & adhuc

huc existunt, ad Gothos in Helvetia sedem figentes originem referre à multis fide dignis, revera perhibetur. Hinc & ipse Carol. V. se ex Gothico sanguine ortum, gloriæ sibi duxit, ut supra lib. 2. c. 4. memoratum; & Lemn. universam totius Europæ nobilitatem e Scandiæ & Gothiæ tractibus proseminatam fuisse asseverat. Interim & in patria clarissimi viri non defuerunt. Cuivis enim ex populo & infima plebe per virtutis viam ad summa eniti nunquam denegatum fuit: Rustici quippe, hic præcipuum regni fulcrum (ne dicam fundamentum) liberi sunt homines, propria etiam prædia possidentes, quæ expeditis in bellum equitibus, ab omni onere immunia & libera præstare possunt, prout §. 2. c. 11. tit. de Reg. & quotidiana experientia abunde testantur. Jura insuper in propriis fundis (præsertim minores feras) venandi, piscandi, avesque capiendi, ab antiquo habuerunt. Vota etiam (olim in Regis electione) adhuc & sessionem in Comitiis obtinent. (Quibus privilegiis omnes aliorum regnorum & populorum Nobiles, utpote Landsassi dicti, minime gaudent.) Possunt igitur, vel hodie, Rusticorum filii per virtutem & eximia in patriam merita, ad summas dignitates extolli. Scilicet Episcopi, judices, tribuni militum, equitum magistri, Capitanei, Consules & Senatores Urbium &c. præcedente virtute & meritis fieri. Rusticus enim nobis non servilem, ut aliis, notat hominem; sed *Bonde* quasi *Boeude* dicitur; i. e. ingenuus patriota fundum & bona in regno immobilia possidens. Sic olim *En godet Bonde*, dives Rusticus dicebatur, & adhuc dici potest. Unde & quidam R. Ericum X. cognomine S. talis rustici filium fuisse afferunt; qui ob excelsas dotes regiis nuptiis & corona regni est decoratus. Ita & Sigurd *Sirr* in Norvegia, etsi regio sanguine ortus, dicitur fuisse bonus rusticus seu agricola (*En godh Bomand*) qui multos aluit laboratores in agris, agriculturæ & pecuariæ sæpius intentus, *Snorre St.* p. 182. & cum nun-

cium de S. Olai privigni sui reditu accepit, in agro apud messores constitutus fuit, p. 190. & 191. domumque venit ad mutandas vestes priusquam filio occurreret. Hinc patet quanto in æstimio agricultura & pecuaria, etiam in his septentrionalibus (non secus & apud Populum Dei, quod S. Scriptura docet) vel olim fuerit, & nobilitatem non offuscarit, nedum sustulerit. Domi igitur pauci quodam fuere Nobiles genere sc. specialiter sic dicti; ex regibus nimirum per legitimum conjugium descendentes; qui ut plurimum summis officiis adhibiti; ut Drotzeti, Marschi, Senatorum regni & Gubernatorum &c, Cæteri virtute sola inclarescentes, quorum dignitas temporalis; neque ad posteros devoluta est, nisi id peculiari facinore meruissent; Quales Aurati Equites, Legiferi seu judices provinciales & territoriales. Postea quam vero sub exoticis regibus, quorum primus erat Albertus Mechelburgicus, solennis nobilitandi mos invalescere & frequentari cœpisset; numerus etiam Nobilium magis magisque accrevit; compluresque nobilitatis gradus olim etiam observatos ex ipsis legibus deprehenditur: utpote 1. Illustrium *Frijborne*, Equitum & Nobilium de Senatu; 2. Equitum & nobilium extra senatum. 3. Nobilium equitibus æquiparandorum. cap. 23. *Kong. B. LL.* Sed nunc ad specialiora.

CAP. II. *De Regiis familiis.*

Reges quoniam omnis nobilitatis fons & scaturigo sunt; de præcipuis eorum apud Sueo-Gothos familiis domesticis, initio aliquid notandum. Plurimæ quidem illæ fuere, quarum multæ alta oblivionis nocte jam sepultæ jacent, indeque certa earum Genealogia erui non potest, ut nunc primos gentis fundatores taceam. Inter celebriores tamen hæ annotatæ inveniuntur. 1. Beriçonis illius, etiam in exterorum Historiis celebrati, (quem alii Bericum, alii Ericum nomi-

nant) qui primus omnium e Scandinavia in transmarinas oras exercitum eduxisse, & longe lateque imperium propagasse scribitur. Ejus stemma domi in Solio Sueciæ, Gothiæ & Daniæ, ad octavam usque generationem perduravit. Ut ex Joh. Messenii Theat. genealog. 10. videre est. 2. Nec minus diuturnitate celebris fuit fortissimi Sueciæ regis Suibdageri familia, quæ ad nonum usque gradum, in sola mascula linea, continuata legitur ibid. genealog. 11. 3. Nec tacenda regis Suecorum Gothorumque Erici diserti & sapientissimi, qui Julio & Augusto Cæs. contemporaneus fuit. Cujus posteritatis genealogia ad septimum nectitur gradum, utque Asmundum Norvegiæ regem; unde cæteri ejus Regni Reges & Principes antiquissimi originem suam arcessunt. 4. Cumprimis vero celebris est familia Ingonis I. Regis Ubsalensis, à quo Sueonum reges multo post tempore *Inglingar* dicti (non secus ac Danorum à Rege Sciold Scioldungar) *Unge* enim Gothice filium seu natum significat. Duravit in hoc stemmate regum Suec. successio diutissime; prout & in Chronic. Norveg. Sturlesonii ad 21. generationem extenditur. At ex annalibus Sueciæ, continuatione facta, insertis etiam Astride Gothiæ Principe, R. Erici victoriosi fil. & CHRISTINA Ingonis quarti filia, S. Erici conjuge ad Ericum X. Suec. Regem dilatatur; Ex quo etiam modernum stemma regium, non excluso sexu fœmineo, haud incommode deducitur. 5. Ubi etiam Herothi Regis familia per multas generationes in regibus Sueciæ & Daniæ extenditur. 6. Quemadmodum etiam multi Reges Norvegiæ ex familia R. Suec. Olai *Trætelga* descendunt, usque ad Olaum Harquini R. Norv. & Margaretæ filium, Magni III. Suecorum R. nepotem. 7. A tempore Ingonis IV. Suec. Reg. An. Chr. 1120. decedentis, duæ familiæ regiæ, mutua æmulatione se invicem concusserunt, e quibus alternis reges sumpti, nimirum Suercheri XI. Senis (*Hin Gamble*) & dicti S. Erici, ejusdem Ingonis generi.

Suercheri familia in pronepote, R. Johanne juvene ejus nominis 1. an. Chr. 1222. quoad lineam rectam defecit; pronepos autem ex nepte fuit etiam D. Birgerus *Jerl*, de quo mox infra. S. Erici stemma, itidem ad pronepotem usque R. Ericum Balbum, continua serie, Suec. Reges dedit. Hujus Regis *Erici Lespe* sororem, Regis Erici X. filiam ducens fortissimus Ostgothorum Princeps Birgerus *Jerl*, D. Simonis Suercheri Seuis filii ex filia nepos, Regis Waldemari & Magni *Ladulas* Parens, novam regum prosapiam excitavit: quæ in Rege Erico XII. Sueciæ & Haquino Norvegiæ Rege, Margaretæ Danicæ marito, (vel potius hujus filio Olao) R. Magni III. filiis post quartam generationem defecit. 8. Alienigenis regibus abjectis, qui ultra sesquiseculum hæc regna afflixerunt; (Nisi quod Carolus IIX. Sueciæ, Gothiæ & Norvegiæ R. ex antiqua Bondorum familia inter Christophorum Bavarum & Christiernum primum insertus sit, nec non fortissimi Sturæi, regni Gubernationem susceperint.) Tandem felici sydere vicissim illuxit Stemma Gustavianum, quod alterum jam seculum, utinam adhuc diu! Regnis hisce maximo fuit solatio, honori & emolumento. Cujus stemmatis Genealogias ex laudatissimis antiquissimorum Sueo-Gothicorum regum familiis, imperatoribus, regibus atque Principibus Europæ vel sanguine vel affinitate annexas, videat cui volupe, apud Messenium & Chronic. Gust. I. part. 1. in pr. luculentissime. Nec in re manifesta multis opus verbis. Cunctis quippe mortalibus notum Sereniss. ac Potentiss. Reginam CHRISTINAM modernam, Monarcham omni laude dignam, ut immortali gloria præesse; ita majoribus Christianis Regibus augustissimis & Heroibus, sine intercapedine, summis, utpote patre Rege Gustavo Adolpho M. qui vel solus ad originis celebritatem sufficeret; avo etiam Rege Carolo IX. & proavo Rege Gustavo I. Patriæ & Orthodoxæ religionis defensoribus ac propugnatoribus acerrimis prognatam

tam esse. Ut nunc reges priores, Principes, Episcopos & Regni Magnates, heroës excellentissimos, ex quibus illi originem reperunt, brevitatis causa silentio involvam. Neque enim omnes, ut dictum, regiæ familiæ antiquiores, minus durabiles aut ex illis descendentes hic inseri possunt.

CAP. III. De Principum & Ducum Familiis.

Regum priscorum filii jam adultiores, vivo parente, assumptis navibus & centenis aliquot viris, piratas insequuti, aut ipsi piraticam exercuerunt, ut de filiis regis Alarici *Ingui & Alwer*, filiis R. *Ingui Jorunder & Erich*; aliisque antiquum Chronicon Sueo-Goth. loquitur: & tales etiam appellabantur vulgo reges. (Sed *Naas Konungar*, quasi peninsulares reges, aut *Wykingar*, i. e. sinum maris Domini, *Naas* enim peninsulam & *VVijk* sinum maris Goth. denotat.) Nec ullam regionem possederunt, prout cit. Chron. c. 14. in vita R. Oesteni refert; multos tum regium sibi nomen arrogasse, quibus nulla terra, ditio aut provincia erat: Reges Maritimi *SiœKungar* dicti; qui nunquam ex rivis & fontibus biberunt; neque sub tecto fumigante dormierunt. Mortuo autem Patre cum plures essent filii regna primitus inter eos divisa sunt; unde tot reguli, ut alius esset Ostrogothiæ, alius Sudermanniæ, alius Nerikiæ, alius Uplandiæ, &c. prout c. 15. Chron. indigitatur, & sup. in Chorograph. descr. innui. Atque hinc regni vires haud parum dissolutæ, donec tandem unanimi consensu conclusum sit, Ann. Chr. 241. unum debere esse regem, unamque regalem coronam Regnorum Sueciæ & Gothiæ prout c. 2. Tit. de Reg. insertum habetur. Regum autem filii, minorennes præsertim, non Principes aut Duces, sed Nobiles, *Junckare* tantum dicti sunt: quod varia diplomata & documenta indicant. Ut patet ex c. 16. *Erffd B. Helß. L.* & literis Varbergi A. Chr. 1243. datis, quibus filius Regis Suec. Magni Erici, *Juncker Erich*,

Rex Scanorum confirmatur. Hisce tamen jam adultis certi Ducatus aut Principatus assignati fuerunt. Ita R. Magni *Ladulas* filio natu maximo Regia corona & regnum cessit, Valdemaro Fenningiæ Ducatus, Erico Gothia. Sic etiam priscis temporibus multi in historiis Ostro-Gothiæ Principes, qualis Birgerus *Jerl*, Benedictus, Folcho, Suno; item Sudermanniæ & cæterorum ducatuum, qui & alias passim Ducas & Comites Suet. *Greffwar & Jerlar* nominantur.

Pariter post hereditariam successionem superiori Seculo plene introductam & comprobatam, Duces & Principes hereditarii declarati. Nimirum Gustavi I. filio primogenito R. Erico XIV. Regnum & Corona; D. Johanni Principatus Fenningiæ, D. Magno Ostrogothiæ & D. Carolo Sudermanniæ & Nerkiæ Ducatus assignati fuere. Quos tanquam feuda ab ipso Rege & Corona agnoscere tenerentur. Unde & in Coronatione ejusdem R. Erici XIV. cum is in Regem Sueciæ, Gothiæ & Vandaliæ proclamatus esset, solio insidens; sceptrum altera, pomum aureum altera manu tenens, astantes Principes Johannes, Magnus & Carolus fratres, ducales super capitibus coronas gestantes, ordine processerunt, genibusque innixi homagium, Secretario regio verba præeunte, Regi præstiterunt, posteaque osculo & blanda palpatione à Rege excepti sunt. Sed stemmata ista Ducum & Principum hereditariorum in hisce regnis plane jam defecerunt.

Sunt tamen & nunc temporis in Sueo-Gothico imperio Principes, quoad sanguinem maternum ex antiquo stemmate regio Sueo-Gothico videlicet R. Caroli IX. ex filia & Gustavi M. ex sorore, Seren. olim Catharina nepotes; quoad masculam lineam ex antiqua & celebri domo Palatina in Imperio Romano-Germanico à Ruperto Imperatore Romano descendentes; videlicet Celsiss. Princeps CAROLVS-GVSTAVVS, Comes Palatinus ad Rhenum in Bavaria, Dux Juliæ, Cliviæ & Montium, Comes

mes Veldensis, Spanheimii, Markiæ & Ravensburgi, Dominus in Ravenstein S.R.M. Regnorumque Sueciæ & Gothiæ Exercituum & status militaris per Germaniam Dux Generalissimus; Nec non Celsiss. Princeps D. JOHANNES ADOLPHVS, itidem Princeps Palatinus ad Rhenum &c. Cui, superiori anno, Illustr. Comitis D. *Petri Brahe* &c. Regni Drotzeti &c. Filia unica Illustriss. D. *Elisa-Beata Brahe*, Comitissa in *VVisingzborg &c.* ex antiquo Sueo-Goth. sanguine regio, nupsit. Quibus vitam longævam, conjugium faustum, omnemque felicitatem devote comprecor!

CAP. IV. De Comitibus & Baronibus Sueo-Goth. & Fenn. in genere.

Comitum tituli prisco ævo haud inusitati, aliquandiu tamen intermissi; uti & Baronum, superiori seculo in maxime solenni coronatione R. Erici XIV. ingenti pompa recepti sunt. Scilicet juramento, à principibus hereditariis præstito, ab eodem Secretario, Comites proclamabantur. D. *Suanto Sture* in *Hæningzholm*, Comes in *Stekeholm* & *VVasteruvijck*, Dn. *Petrus Brahe* in *Ridboholm*, Comes in *VVisingzborg*, & D. *Gustavus Johansoni* in *Hagha*; Com. in *Bogesund*. Hi primo toga ex candido damasceno induebantur, postea per supremum præconem gladio accingebantur, & tandem majora tunica superinjecta est. Quo ornatu Regem propius accesserunt, in genua procumbentes. Tum Rex Coronas eisdem Comitum imposuit, & sinistram maxillam gladio leviter percussit, inquiens: Defendite mascule Patriam vestram & Regnum SVECIÆ. Indeque & illi jusjurandum præstiterunt Et tandem, quod in proximis præcedentibus Comitiis, ab omnibus Regni ordinibus, unanimiter conclusum atque decretum fuit, ut more majorum, quibus *Jerlorum* dignitas frequentata fuit, Comitum ordo postliminio rursus introduceretur, Tympanorum æneorum & Tubarum applausu promulgatum ac publicatum fuit.

Novem præterea Barones eodem tempore proclamati sunt; videlicet D. Gustavus Olai de *Tarpa*, cognom. *Steenbock*, *Steen*, *Erichson de Graffznæas*, *Leyonhuffvvud*, *Byrger Nilson de VVynas*. *Gabriel Christiernson Oxenstierna de Mærby*; *Lars Flemming de Sundholm*, *Carl & Jœran Gere de Biærkevvyk & Allenæus*, *Claas Christiernson Horn de Amiano* in Fenningia; *& Erich Gœstaffson de Oerestén*. Quod laudabile exemplum, quoniam ad regni decus & virtutis incitamentum spectaret, cæteri etiam ex Gustaviana familia in solio successores, optimo consilio sequuti sunt. Nam & Rex Johannes III. fratri surrogatus, in suæ coronationis solennitate, prædictum D. *Steen Erichson Leyonhuffvvud*, Comitem in *Rasborg* creavit; Et D. Nicolaum *Gyllenstiernn de Lundholm & Foglevvijk*, R. S. Cancell. D. *Hogenschild Bielke de Lacko*; Pontum de la Guardie, exexcitus Ductorem fortissimum, & Dn. Claudium *Flemming de Svvida*, tit. Lib. Baron. insignivit.

Et R. CAROLVS IX. D. *Svvante Bielke de Krakerum*, R. S. Cancellarium: D. Nicolaum *Bielke de Saalstadh*, & D. Abrahamum *Erichson de Ekeberga*, eadem Baronatus prærogativa, maximis præcedentibus meritis, exornavit.

Sic etiam Regum maximus, R. GVSTAVVS ADOLPHVS M. incomparabilis virtutum æstimator, Comitem inauguravit. Illust. D. Jacobum de la Guardie de Leckö: Liberos Barones vero Præluft. Dn. Carolum C. *Gyldenhielm*, L. B. de *Berqvvara*, Regni Admiral. generalem; & D. *Johannem Skytte*, L. B. de *Duderoff*, &c.

Nec infima laus est Sereniss. ac Potentissimæ Reginæ Modernæ D. CHRISTINÆ, Suec. Goth. Vandalorumque Reginæ &c, quod ingentia merita, illustrium virorum, præclarisque virtutes, Sago togaque arte & marte declaratas, in suis fidelibus subditis, consimilibus titulis, dignitatibus & honoribus, ac nobilitatis privilegiis, remuneretur, excitet, confirmet. Prout infra modo patebit. Cumque laudatissimæ & immortali recorda-

dationis R. GVSTAVVS M. omnem mentis aciem in Patriæ commoda cunctorumque ordinum incrementum intenderet: Specialiter ad amplificationem, decus, honorem & emolumentum Equestris ordinis non modo ejusdem privilegia confirmavit & adauxit; verum & illustre Collegium (*Ridder Hvus* vocamus) in ipsa metropoli Holmensi excitavit; ubi in Comitiis & conventibus publicis omnes Illustres & Nobiles congregantur, consultant, deliberant atque vota habent per tres classes, prout matriculæ inserti sunt, hoc ordine.

CAP. V. De Prima Classe Illustrium.

Ad primam Illustrium Classem referuntur.

COMITES & BARONES, hisce titulis & gradibus a Sueciæ Regibus condecorati; qui uti & cæteri, secundum ordinem quo in Illustre hoc Collegium recepti, sessiones obtinent, hac serie:

Comit. Brahe de Wysingzborg.

Hæc familia velut ordine prima, ita etiam inter præcipuas ex antiquo Regum Sueo-Gothicorum sanguine originem trahit: Quippe D. Andreas de *Mohammar*, qui ante tria secula vixerat, R. Svec. Svercherum sen. agnatione mascula attigerat; cujus pronepotis D. Israëlis Birgeri, senatoris Regn. Svec. in Regis novi electione ratio habita: Qui tamen sceptrum sui Regis amori postponentis, cum eodem Norvegiam exul petiit. Hujus matris patruus Gothiæ Princeps & Regni Gubernator Dn. Birgerus *Jerl*, R. Erici 10. Sororius; & Regum Waldemari & Magni *Ladulas* parens fuit. Ex eodem stemmate erat S. Brigitta, nempe prædicti D. Israëlis soror; quemadmodum ejusdem ex filia abnepos R. Svec. Carolus VIII. cujus ex sorore nepos fuit D. Ericus *Johanson Wasa* de *Rydboholm*, R. Gustavi I. parens. Hic R. Gustavus sororem unicam D. MARGARETAM *Wasa*, Domino Joachimo *Bragde*, Eqv. Aurato & Reg. senatori in matrimonium dedit. Quorum filius D. PETRUS *Brahe* senior,

senior, ut R. Gustavi Imi ex sorore nepos, ita trium Regum sz. Erici XIV. Joh. III. & Caroli IX. consobrinus sive amitinus fuit; conjugis etiam sororem, Dn. Catharinam *Steenbock*, Reginam vidit; nec non hujus & illius amitam Margaretham *Leyonhoffvund*, itidem Reginam Sveciæ. Vitricus ejusdem D. Petri *Brahe* Sen. factus D. Comes Johannes de *Hoya* junior, Comitis Petri *Brahe* frater uterinus, ultimus in illa familia & Episcopus Osnabrugensis, Mindensis & Paderbornensis fuit. v. supra C. IV. hujus libri. Ille, inquam, D. Petrus *Brahe* senior ab Erico XIV. Svec. Rege Comitivam, uti dictum, dignitem accepit; & Comes in *Wisingzborg*, itemque L. B. de *Rydboholm* & *Lindholmen* inauguratus est. Nec modo Regni senator, verum etiam Drotzetus sive Archidapifer fuit. Quæ dignitas hanc familiam diu in filio, D. Com. Magno *Brahe* comitata; nunc etiam in nepote, Illustr. Dn. PETRO *Brahe* &c. immortali cum laude reviruit.

Nec tacenda hic laus fortissimi Herois, D. Nicolai *Brahe* Com. de *Wisingzborg* &c. qui (ut Frater, prædictus D. Petrus *Brahe*, legionis 8. cohortium equitum Smolandicorum Ductor,) 8. cohortium peditum Ductor R. Gustavum M. anno 1630. in Germaniam comitatus est. Hic inter alia præclara facinora, & egregia fortitudinis specimina, ob quæ Regi charissimus extitit, primus Rhenum, primusque Lycum, nobilissima Germaniæ flumina, armata manu transiit tandemque in prælio cruentissimo ad Lutzenum una cum Rege suo, fortissime pugnans, victoriis onustus Anno 1632. 6. Novembris læthaliter vulneratus est. Filium posthumum, sibi cognominem, ingentis spei nunc Juvenem, & filiam Com. Elsam *Brahe* Illust. Com. Erico *Oxenstierna* Generali Æstiæ Gubernatori, ante sesquianum nuptam, reliquit.

Interfuit etiam pugnæ isti famosæ olim, quarto a nat. Christo seculo, in campis Bravallinis Smolandiæ, a parte Svec. R. Haquini *Ring* victoris, contra Haraldum

Hylde-

Hyldetand Dan. R. heros quidam *Brahi*, teste Sax. Quem ex eodem stemmate fuisse haud absonum videtur.

Comit. *Leyonhuffvwud* de *Raasborg*. Quæ familia Reges itidem sanguine & affinitate, quam proxime, attingit. Siquidem D. ERICUS de *Loholmen*, Equ. Aur. & Gubernator VVestgothiæ generum habuit Regem Gustavum I. itemque ex nepte ac pronepte R. Gustav. & R. Joh. III. affinitate sibi junctos. Illius D. Erici fil. D. Steno Comes in *Rasborg* & *Graffneas*, jam vita functus, cum pro R. & patria cecidisset, in solatium conjugis & liberorum a R. JOHANNE III. uti dictum, Comes est proclamatus. De quo stemmate elegantes apud Messen. paraphr. in Theat. Nob. Svec. c. 19. p. 14. Schinneri versus extant. Ex qua familia insignis adhuc Heros superest, Illust. Com. Gustavus Adolphus de *Raasborg*, egregia fortitudine etiam in bello germanico clarus, unà cum fratribus illustrissimis ac fortissimis.

Com. de la Guardie in Leckæ.

Hæc familia, ut nomen indicat, e Gallia est. Quippe D. Pontus de la Guardie, heroica in bello Moscovitico fortitudine, (ubi superiori seculo exercitus ductorem egit strenuissimum) sub R. Johanne III. declarata, Baronis titulum meruit: veluti deinceps filius Illust. Heros D. Jacobus de la Guardie, Com. in *Leckæ* nunc Regni Marschus &c. Parentis virtutem non modo imitatus, sed summa felicitate supergressus, Moschorum terror evadens. (Cujus gesta lingua ruthenica in symposiis passim Moschovitæ cantant) comitivam ab incomparabili virtutum æstimatore R. Gustavo Adolpho M. digne assequutus est. De quibus etiam extat carmen Schaumii in cit. Paraph. c. 19. Supersunt & ingentis spei filii ex conjuge illust. Com. *Ebba Brahe* de *Wisingzborg*, &c. Illust. Comes D. Magnus Gabriel, General. Livoniæ Gubernator, cui nupta Celsiss. Princeps MARIA ELEONORA Com. Palatina ad Rhenum &c. Serenissimæ REGINÆ amitina. Nec non; D. Jacobus Casimirus, & D.

& D. Pontus Fridericus de la Guardie, Comites in *Leckœ*, L.B. de *Ekholmen* &c.

Comit. Oxenstierna de Sœdermœre.

Comitiva hæc primum Illustrissimo Heroi, Regis GUSTAVI M. fidissimo Nestori, belli pacisque arbitro, D. AXELIO *Oxenstierna*, Regni Svec. Gothiæque sen. & Cancellario inæstimabili; ob res plus quam humana prudentia felicissime gestas, fidelem ac faustam rerum in Germania, nutu S. R. Majestatis Illustrissimorumque Regentum, directionem; & immensa in patriam merita, restituta inter Svecos Danosque anno Chr. 1645. pace, a moderna Regina Serenissima ac Potentissima D. CHRISTINA, Regina nostra Clementissima collata est. Stemma Oxenstierniorum antiquissimum est, in quo longa serie abavi atavique Regni primates, Senatores, Gubernatores & A. Eq. numerantur; quales, D. BENEDICTUS Nic. fil. Eq. A. & Sen. Regni an. 1379. D. Benedictus & D. Nicolaus fil. D. Johannis de *Saalstadh* fratres, in absentia R. Christoph. & ab ejusdem morte an. 1442. Regni Gubernatores fidelissimi; Dn. Johannes Benedicti de *Saalstadh* Archiep. Ubsal. & Regni primas, qui R. Carolum 8. deposuit. Cujus laudes vid. apud Messen. & Joh. Magn. Sanguine quoque & affinitate hanc etiam familiam Regibus conjunctam Theatrum Nobilit. Svec. satis superque edocet. Quantam etiam laudem mereantur filii superstites, tanto parente dignissimi, Illustriss. Comes Johannes *Oxenstierna* Regn. Sen. & tot jam annos, tantoque cum successu regius in Germania Legatus & pacificator: Nec non Illustriss. Comes Ericus *Oxenstierna*, Generalis Æsthiæ Gubernator &c. Universo orbi satis in propatulo est.

Comit. de Wasaborg.

Cujus domus Antesignanus & volente altissimo, propagator existit Illustriss. D. GUSTAVUS, GUSTAVI Magni haud degener proles, Comes in *Wasaborg*, Lib. B. in *Wibyholm* & Dominus in *Saris*, Regni Senator, & S.R.

S. R. Majestatis Consiliarius; qui ut Reges numerat avos atavosque ita heroicis virtutibus splendens, eximia fortitudinis documenta, non fine sanguine & cicatricibus, in bello Sveo-Germanico reliquit. Ut igitur filius atque nepotes tanta stirpe non indignos videat, tota patria exoptat.

Comit. ab Ortala.

Quam comitivam primus meruit fortissimus Heros Illustr. D. *Linnar Torstensson*, Comes in *Ortala*, Lib. B. in *Wyrsta*, Dominus in *Forstena*, *Resta* & *Rasich*, Regni Senator & Campi-Marschallus; antiquo ac nobilissimo sanguine Sveo-Gothico satus. Cujus gesta, fortunam & virtutem militarem, vel hostes ipsi in proximis bellis Germanico & Danico obstupuerunt, omnisque posteritas perpetuo admirabitur. Unde & eidem hanc dignitatem, quivis sinceri patriotæ ex animo gratulantur; & ut in Illustriss. filiis magis magisque efflorescat, unanimiter comprecantur.

Nec isti solùm Comitatus, intra regnorum Sveciæ Gothiæque limites siti, ad illustre collegium p. t. referuntur; verum etiam Comitatus *Pernavv* in Livonia, quem Illustriss. Com. de *Thurn*, ex Italia quidem & Austria oriundi; Sed ut in Bohemia, Moravia & Germania Com. Henricus Matthæus Thurrensis, cum filio magnis gestis noti; ita ingentibus meritis præclarissime, a filio, patre & avo, in bello gestis, Corona Sveciæ devincti, tenent. Quorum hîc mentio inseritur, idque sine ullo præjudicio, cum comitatus extra regni, strictius accepti, limites jaceat (etiamsi prædia non pauca in ipsa Svecia obtineant) nec certam adhuc sessionem in illustr. collegio designatam esse cognovi. Hanc autem & locum assignare, S. R. Majestatis & ipsius illustris collegii esse, cuivis prudenti constat. Quorum decreto & dispensationi, in Majori Opere, me lubens accommodabo. Et hæc de Comitibus Sveciæ, quos hactenus in hanc seriem illustris collegii relatos intellexi.

BARO-

BARONES HI NUMERANTUR.

Steenbock de *Torpa*, *Oeresten & Cronbeck*, Quæ familia etiam perantiqua est & complures olim Regn. Svec. Armigeros, Legiferos & Castellanos, Regum consangvinitate ac affinitate celebres, suppeditavit. Primus in ea D. Gustavus *Steenbock*, Ostrogothiæ Gubernator, Regnique Marschus, Liber Baro est salutatus; cujus filia D. CATHARINA Gustavi I. tertia conjunx & Regina Svec. 60. post ann. in castissima viduitate agens, a quamplurimis Regibus, Reginis, & Imperatrice ipsa, mater salutata fuit. Supersunt adhuc ex eodem stemmate in utroque sexu magna lumina, excelso loco fulgentia.

Oxenstierna de *Mörby*.

Quæ familia eadem cum illustrissima de *Kimitho* primordia agnoscit. In hac illust. D. Gabrielis Gustavi, illust. Regn. Cancellarii fratris germani, ante aliquot annos Regni Drotzeti, filii & nepotes florent; in illa Illustriss. Regn. Thesaurarius D. Gabriel Benedicti, cum filiis & nepotibus coruscat. Nec desunt in eadem familia, ex alia tamen linea, viri fortitudine incluti.

Horn de *Aminne* in Fenningia.

In qua familia, etiam antiqua, primus L. Bar. extitit D. Claudius Christierni, R. Erici XIV. Ammiralius, qui superiori seculo classem Danicam Lubecensi junctam vicit & dissipavit; adeoque in freto *Oeresund*, in conspectu Dan. vectigal aliquandiu sustulit. Ipsi cognominis adhuc, magna cum laude, superest nepos; ejusque filii & nepotes.

Gyllenstierna de *Lundholmen*.

Hoc stemma, adhuc in Svecia, Polonia & Dania florens, ex Ottincaro, regia Danorum stirpe prognato; (Cujus Saxo lib. 10. & Crantz. metrop. meminerunt.) Andr. Vellej. juxta Ad. Brem. deducit. In Svecia certe perantiquum est; a D. Nicolao Catilli Eq. A. & Sen. Regni Svec. ann. Chr. 1360. originem repetens. Hinc per D. Ericum de *Winstorp*. Eq. Au. & Castellanum Borcholmen-

mensem, cui CHRISTINA filia R. Caroli VIII. nupsit, regia affinitate decoratum. Ex quo non pauci regni Senatores, Drotzeti & Cancellarii aliisque summis officiis claruerunt. Vid. elegans Haslobii carmen, in paraph. Messen. p. 141.

De la Guardie de Eckholmen.

De qua familia supra. Est enim ex eadem origine cum Com. de *Leckö*. At quoad lineam masculam in D. Johanne De La Guardie Regn. sen. ante aliquot annos decedente, desiit.

Skanck de *Teutenborg*.

Origine teutonica est, in Svecia jam etiam sepulta.

Bielcke de Saalstadh & Krakerum.

Prosapia ante annos 350. per E. Auratos Regni Senatores, variosque Magnates & Regni Gubernatores, Cancellarios & Legiferos, originem deducens. Birgitta D. Tutonis de *Krakerum* Eq. A. filia R. Caroli VIII. conjunx fuit. Ut Gunnila D. Johannis Gubernatoris Ostrogoth. filia, R. Joh. III. atque Johannis Ducis Ostgothiæ, & Reg. Svec. Principis hereditarii mater. Huic etiam ævo incomparabili Eloquentia & eruditione, vel in exteris admirationi fuit D. Steno *Bielcke* regni Senator & Legatus regius; Aliique excellentes Heroës ex eadem adhuc florent. Add. encomium Schinnari quod habet Messen. paraph. c. 16.

Gyldenhielm de *Berqwara*.

Hunc Baronatum meruit illust. D. Carolus *Gyldenhielm* general. nunc Regni Ammiral. &c. Rege Carolo IX. genitus; Ob præclara in patriam merita, & duodecennales in Polonia carceres. In cujus insignia, non inconcinne, sic Poëta cecinit.

Herois hoc insigne, Lector, Caroli;
Galea decorus aurea qui nomine,
Re Palladis Martisque dignus tegmine
Bellator eruditus atque strenuus.
Rex Sveciæ huic insigne fortitudinis

Testem Leonem, præmii loco dabat.
Vinctum sed esse vult leonem compede,
Captivitatis indicem Polonicæ.
Quam pro parente ac patria Heros pertulit
Senis bis annis; parte media temporis
Ferrata, contra pacta, portans vincula,
Conclusus arcte; & aere & foce carens.
Taurina & illi sunt dicata cornua,
Sertum rosarum quæ suave separat:
Frangentis hostem roboris justum decus,
Victoriæque gloriosa præmia.
Huic Nympha trinam juncta nymphæam gerens,
Ribbingiorum nata prisco stemmate
CHRISTINA, Martis quæ dolorem temperet:
Ac dulce refrigerium in ærumnis ferat,
Natura plantæ ut frigus efficax dedit.

Skytte de Duderoff.

Ab illust. D. Johanne *Skytte*; eruditione, prudentia & eloquentia incomparabili quondam Heroë, R. Gustavi Adolphi juvenili institutione, variis legationibus, senatoria dignitate, aliisque gravissimis negociis felicissime gestis, immortalem memoriam merito cepit; & adhuc in illust. filiis & nepotibus eadem familia mirifice crescit. Uterque hic Baronatus Gyldenhielmianus & Skyttianus a R. Gustavo M. in præmium virtutis collatus est.

Spens. Familia origine ampla est; sed per merita in regni Svec. illustre collegium recepta.

Kiffvvinhaller. Ortu germanica; sed pari de causa hic incorporata.

Sparre. Antiqua valde in Svecia prosapia Regibus, ante complura secula, affinitate juncta. Nam D. Nicolaus *Sirtensson*, Regni Magnas (cujus parens erat Dn. *Sixten* de *Toffta* R. Armiger) quadringentis abhinc annis *Maretam* R. Erici X. filiam, R. Erici XI. sororem, conjugem habuit. Indeque permulti regni Drotzeti, Marschi,

ſchi, Cancellarii, Armigeri & E. A. fuere. Hinc Margaretha filia D. Caroli de *Toffta* R. Marſch. & Legiſ. Uplandiæ R. Caroli VIII. mater, eademque avia D. Erici de *Ridboholm* R. Senat. & E. A. qui R. Guſtavi I. parens fuit. Ex hac familia fuit Dn. Laurentius *Siggeſon* de *Sundby* R. Marſchus & E. A. cujus fortitudini ſeditioſus *Nils Dacke*, ſuperiori ſeculo ceſſit. Regnumque Daniæ per eundem, mandante Rege Sveciæ Guſtavo I. contra Cæſarianos, Friderico, poſtea Daniæ Regi, aſſertum fuit. Unde Mich. lætus Poëta Danus lib. 5. in hæc verba prorupit;

Hæc Goſtave fides magnum te reddidit &c.
Et paulò poſt - - - - mihi Svecia tanto
Nomine perpetuis celebranda eſt laudibus.

Inde &c. Conf. Encom. Schin. in paraph. Meſſen. c. 17. Neque noſtro ævo clariſſima, ex hac familia lumina defuêre aut deſunt.

Et hæ ſunt familiæ Comit. & Baron. in matriculam illuſtr. Collegii Regni Svec. hactenus quantum quidem mihi innotuit, relatæ.

CAP. VI. De Secunda Claſſe Illuſtrium.

Ea horum eſt, quorum majores in Senatorium ordinem aſcripti inveniuntur, hac ſerie.

Lilichœæk. Familia ex antiquo ſanguine Sveo-Gothico orta; atque Comitibus de *Wiſingzboorg* & *Raasborg* affinitate juncta. Inde oriundus fuit fortiſſimus heros Dn. Johannes *Lilichœæk* general. milit. ductor, ante aliquot annos in bello germanico victor cæſus.

Krvvſe. Quæ familia ante 200. annos ex Bavaria in Sveciam transplantata. Hoc ævo D. *Ieſper Krvvs* Regn. Theſaur. in ea emicuit, cujus filii poſtea clari.

Ryning. Antiqua item familia, in qua non pauci regni Senatores olim fuêre. Inter quos D. Matthias quondam Stregnenſis Epiſc. & regni Cancellarius. Nunc Dn. Ericus *Ryning* R. Sen. & Ammiral. meritis clarus eminet.

Kurck. E Smolandia eſt; at fam. *Korck* enſem cum 3. ſtellis inſign. habens, cui iſta in Fenning. connubio juncta, jam deſiit.) Quam multi olim Eq. A. & magnates illuſtrârunt. Nunc a Generoſiſſ. Dn. JOANNES *Kurck* Regni Senator & Præſes Parlamenti Aboici &c, cum filiis. Cujus abavus fuit D. Canutus Erici de *Laucko*, (qui e Smolandia veniens filiam Claudii *Korck* de *Laucko* duxit.) R. Sen. Reginæ Catharinæ amitinus; is ſolus Lubecenſium privilegiis 1523. ſubſcribere detrectavit, quod evenit futurum prædicens (Chron. Guſt. 1. part. 1. p. 75.) Eſt & hæc familia cum illuſtriſſimis *Oxenſtierna*, *Steenbock*, De La Gvardie, *Bielke*, *Flemming*, *Horn*, *Bonde*, *Tott &c.* affinitate & ſanguinis propinquitate conjunctiſſima: Et prædictus D. Johannes *Kurck* D. JOH. Principi Oſtog. in 4to conſanguinitatis gr. junctus, ut D. Canutus ejus parens Reginæ Svec. *Gunnilla* in tertio gr. fuit. Prout genealogia oculariter monſtrat.

Forſtena, Familia antiqua: In qua celebris fuit exercitus Ductor contra Polon. D. Andreas *Linnerſon.* Comitis Leonh. *Torſtenſſon* &c. patruus ſub R. Carolo IX.

Baat. Inter antiquiſſimas familias merito numeranda; ex qua tempore R. M. Erici III. Svec. & Norvegiæ Regis, Orcadenſium Comites fuêre. Iſtæ enim inſulæ tum ad Norvegiam ſpectarunt; indeque multi olim Equites A. & Regni Senatores fuere; Nec adhuc Toga Sagoque (in Senatu D. *Sevved Baat*, & bello Dn. Nicolaus *Baat*) clariſſima lumina, deſunt.

Flemmingh. Proſapia antiqua, e pomerania ortum ducens, tempore R. Erici XIII. ante annos 245. huc translata; multos E. A. Legiferos & Caſtellanos, Fenningiæ potiſſimum; nec non R. Senatores, Gubernatores: aliosque Magnates dedit. Inter quos haud poſtremi nominis fuit D. Claudius *Flemming* Regni Senat. & Ammiral. Heros eximia prudentia & dexteritate in rebus gerendis, de patria bene meritus, qui noviſſimo bello Danico, fatali globo tactus, occubuit. Aliique adhuc cum laude ſuperſtites ſunt.

Kyle,

Kyle. Anno Chr. 1394. vixit *Herman Kyle* cujus nepotes Legiferi, Eq. Aur. pace & bello clari, ad septimam generationem, inveniuntur.

Gyldenstierna de Nynaas. Hoc stemma eundem cum Baron. cognom. fontem agnoscit: Regum igitur & Comitum affinitate illustre; & ingentibus officiis ac meritis clarum existit.

Lilia. Ex familia Gregorii Matthæi, cujus avus erat Ambernus Magnas Regni Svec. pater Sen. R. ipse etiam Marschus: uterque E. A. Eadem quoque Regibus, Comitibus & Baronibus affinitatis nexu jungitur. Hinc etiam oriundus insignis Heros D. Axelius *Lilie*, R. Sen. hoc bello germ. clarissime gestis notus.

Sparre. Ex eadem radice cum illust. Baronum cognominum, ex antiquo sanguine Sveo-Gothico pullulat.

Bielke de Akeræ. Jam extincta est.

Ulfsparre. Antiqua origine, magnis officiis & illust. affinitate itidem clara progenies.

Soop. Antiqua itidem familia, bello & pace clara, in qua nostra ætate D. Matthias *Soop* R. Sen. & vice-Drotzetus, Nec non Dn. Achatius *Soop*, armis insignis, aliique eminent.

Bonde. Ex hac antiquissima familia, quæ ab ipso paganismo repetit originem, fuit R. Sveciæ Carolus VIII, (ut supra dictum) & nunc eminet D. Carolus *Bonde* R. Sen. & præses collegii metallici.

Horn, de Kankas. Eadem hæc agnoscit primordia cum Baron. de *Åminne*; ex alia tamen linea, armis vere celebri: Ex qua superiori & præsenti seculo, complures exercituum Ductores laudatissimi; utpote D. Henricus *Classon* de *Kankas* Eq. A. Fenningiæ Gubernator & copiarum militarium Ductor superiori seculo, itemque D. Carolus Henrici Ductor exercitus in bello Moschovitico. Ejusque fil. D. Edvardus, Henricus & Claudius *Horn.* Nostra quoque ætas ignorare non potest gesta & merita illust. Dn. Campi-marschalli & R. Se-

natoris, D. Gustavi *Horn* Senioris. Nec non Dn. Gustavi *Horn* Junioris Generalis Majoris &c. Ut nunc cæteros brevitatis causa sileam.

B*aner*. Cujus stemmatis nomen & insignia ante annos 700. originem cepisse, Saxo lib. 10. in hist. R. Canuti M. refert, ut cæteros hic E. A. R. Senatores & Magnates, Regum cognatione illustres, nunc omittam; notissima sunt orbi immortalia in bello germ. proximo gesta & merita prælustr. Dn. JOHANNIS B*aner* Regni Senatoris & Campi-Marschalli &c.

Natt och Dagh. Familia diei & noctis insigne præferens; quod olim Dn. Stenoni S*twre*, Regni Sveciæ Gubernatori familiare fuit. Ex antiquissimo hoc stemmate adhuc superest D. Achatius *Axelson* R. Senator & Marschalcus. &c.

S*tierneskiæld*. Est & hoc stemma minime novum, in quo complures A. Equites & R. Senatores viguerunt; inter quos fuit haud postremi nominis Dn. Nicolaus S*tierneskiæld* Junecopensis Castellanus & Ductor Exercitus Smolandici & Westgothici. Quod etiam adhuc in D. Claudio S*tierneskiæld* &c. floret.

Posse. Longa serie avi atavique hic quoque recensentur. Floruit anno Chr. 1485. D. Canutus *Posse*, rei militaris peritissimus, qui exigua manu obsidionem maximi exercitus Moscovitici, a festo S. Matthæi ad S. Andreæ, Viburgi fortiter pertulit, hostemque profligavit. Claret nunc præcipue, D. Canutus *Posse* Regn. Sen. & Castellanus Holmensis laudatissimus. Fuit etiam Günnila R. Joh. III. Regina, Dn. Axelii *Posse* Regn. Senat. ex filia neptis.

Ribbing. Quæ ex familia Norv. R. Haraldi *Harfager* ortum ducere traditur. *Sivvard Ribb.* hic ann. 1360. floruit: cui prima S. Brigittæ filia *Mæreta* nupsit. Sunt adhuc permulti in hac familia sago & toga præclari superstites.

Tott. Et hoc stemma perantiquum, Reges sanguine

&af-

& affinitate quam proxime junctos habet. Erico enim Axelii nupta fuit soror R. Caroli VIII. Christina; sicuti & fratri ejus Ivaro Axelii Eq. A. & Gubernator Gothlandiæ, ejusdem R. filia Magdalena. Henrico autem *Tott* superiori seculo nupsit filia R. Svec. Erici IV. Quorum filius D. Achatius *Tott* R. S. Senator & Campi-Marschallus, bellica fortitudine vel exteris notus. Qui adhuc in filio generosissimo Claudio Tott, quamvis mortuus, vivit.

Leyonhvvffvvud de Ekeberg. Antiquitate etiam & clarorum virorum meritis conspicua.

Boye de Gennas in Fenningia. Quam familiam valde illustravit Dn. Georgius *Boye*, exercitus olim Ductor contra Moschum, & Regni Senator.

Wrangel de Skoo. Ex Livonia primitus orta; ubi olim Episcopi & Magistri ordinis Teutonici ex hac familia fuere. Quæ vero Coronæ Svec. officia præstiterint, tam D. Hermannus *Wrangel* R. Sen. & Campi-Marschallus &c. quam filius Dn. Carolus *Wrangel* incomparabili fortitudine & fortuna eodem munere laudatissime fungens; nec non hujus fratres; toti mundo constat. Sunt & plures in hanc Classem transferendi qui nuperius in Senatorium ordinem cooptati; vel qui majores suos olim eidem insertos fuisse certis documentis monstrant. Veluti Dn. Claudius *Bielkenstierna* Ammiralius &c. Quorum in Majori Opere justo ordine plenior mentio fiet.

CAP. VII.

Tertia Classis Nobilium Sveciæ, Gothiæ & Fenningiæ; Qui nec Comites nec Barones sunt; (in Svecia) nec eorum majores in Regni Senatum assumti. Quorum hæ sunt præcipuæ familiæ; juxta seriem qua vel primo per sortem, citra dignitatis aut eminentiæ præjudicium, in illustre collegium ascriptæ fuere; vel deinceps prius aut posterius in matriculam relatæ. Cumque hic, ut & in superioribus, cognomina, maxima ex parte, latini sermonis formulas dedignentur & respuant,

vernaculam familiarum nomenclaturam semper retinebo; hac continuatione.

Karpelain in Fenningia; quæ familia a R. Svec. Erico XIII. anu. 1407. instituta, in sexta generatione adhuc viget.

Rosenhane. In qua nunc eminent Skæring *Rosenhane*, aliquandiu Regius in Gallia Legatus & Johannes *Rosenhane* Viburgensis Castellanus &c. cum fr. Gustavo.

Stiernkors, in Fenningia antiqua familia; unde olim Episcopi & Magnates complures fuere.

Hierta de Hævvompa, in Fenningia. *Hinsseberg*. *Ællengreen* de *Haleby* in Westgoth. *Ervvse* de *Elghammar*. *Lilliesparre* de *Fykeskog* in Smolandia. *Rosladin* Krabbe. *VVachtmeister*. *Gyllenancker*. *Franckelin*. Bratie. Back. *Rose*. *Rosenbielcke*. *Lake*. *Gyllen-Creutz*. Berendz, ubi eminet Dn. Johannes *Berendz* antea Cons. Cameræ, nunc Castelllanus apud cuprimontanos. *Ulff*, *Ikorne*, *Raff* in Fenningia. *Hand*. *Hard*, ex qua est Carolus *Hård* Regni venator. *Ille*, in Fenningia; hinc Assessor Gustavus *Ille*, *Kyl*. *Meneskiæld* hic eminet *Carl Christersson* vice-Præses in Jud. Reg. Junec. *Sack*. *Tavvast*. *Lilietopp*, interiit. *Liliebæk* de *Galeræd*. *Kærning*, Comitibus *de Westervvijk* & Baronibus de *Kronback* affinis. Kagge, ante 275. annos nota in qua viri fortes claruere; nostro ævo in bello germanico insignis virtus strenuissimi viri Dn. Laurentii *Kagge* general. Majoris & Reg. Senat. &c. resplenduit, Krvvse de *Edby*. *Kafle*. *Skeding*. *Stubbe*. *Lilie* de *Oekna*. *Lilliesparre* de *Asa*. *Siæbladh*. *Yxel* orig. Liv. *Stierna*, antiqua familia, ubi claret Georgius *Stierna* de *Balinsnas*, Assess. Reg. Jud. Junecop. cujus avus erat Trib. milit. *Warnstet*, orig. german. *Store* in Westg. *Gyllengryp*; Ex hac gryphorum familia fuit conjugis meæ avus maternus D. Christophorus, olim Canonicus Wexionensis; postee Præpos. in *Elghult*, *Stalarm* & Skijtte in Fenningia. *Drake* de *Intorp* Westgoth. marte clara. *Stolpe*, in Smolandia, cujus ante aliquot annos linea mascula defiit;

fuit; a Nic. *Stolpe*, E. A. ante annos 200. huc usque continuata: Unde ego maternum genus duco; avia enim mea materna Clementis *Stolpe* soror fuit. Illius filii Petrus *Stolpe* senior & junior in bello Moscovitico, proximo seculo, clari fuere. Nec minus Petri *Stolpe* Vice-Ammiralii fides R. Carolo IX. ad victoriam de Fennis & Polonis anno 1594. profuit. *Oerneflijcht. Jacobsköld. Stuvuart. Strele. Tott* de *Skadsbo. Wildeman. Drake* de *Hagelbrun. Mörner*; Ex qua est generos. Carolus *Mörner* Gubernator Kexholmensis. *Creutz* unde Laurent. *Cr.* Toparcha Aboënsis &c. cum Fratr. &c. *Silffuverhielm. Birckholtz*, ex Marchia germ. oriunda; ubi Nob. Hieronymus *Birckholtz* U. J. Doct. Elect. Brandeb. Cancellarium superiori seculo egit. *Duffvua. Pauli. Statte. Stalhanske*, ex qua fuit fortissimus heros Gen. equit. Fenn. Ductor *Torsten Stalhanske*. Superest ejusdem cognominis, ex alia familia, inter Nob. doctissimus Johann. *Stalhanske* de *Gasterbij* & *Perno*. *Silfvversparre. Wreedh. Ekeblad. Ugla. Silfvverbielke. Oxehuffvud*, exspiravit. *Oxe. Bourens*, a præcept. R. Erici IV. orta. *Falckenbarg*, hic clarent Conradus & Melchior fratres prudentissimi. *Slang*, in fortissimo Tribuno Erico *Slang* terminata. *Boye. Ulffsax. Rosenstrale. Anckar. Lilie* de *Aspenas*, *Stake* in Westg. *Liustra* in Fennig. *Hiortæ* familia. *Stakelberg. Jagerhorn* de *Spurila. Ællengreen* in Fenn. *Gijllenhorn. Ralamb*, ex qua fuit Dn. Broderus Andreæ quondam Castellanus & Præses Jud. Reg. Aboënsis. *Bagge* de *Berga*, unde oriundus Benedictus *Bagge*, olim Tribun. milit. nunc diu Castellanus Cronebergensis in Smol. *Duvse* in Smol. *Liliestielcke* de *Oletorp. Hierta. Bagge* de *Boo*, hinc erat Jacobus B. Ammiralius; qui Danica Classe, præter spem, impetitus 1563. Ammiralium Dan. Jacob. *Brokenhusen* cum nave prætoria & duabus aliis, unaque ductorem militiæ Danicæ *Otto Krumpe* in captivitatem abduxit: familia nunc in masculis desiit. *Rosenqvvist*, in Smoland. *Sting. Rum*, in Fenn. *Bure*, ex qua familia sunt Andreas

B. & Jonas B. Secret. Reg. & D. Olaus Buræus, olim Consul Reg. Holm. Posteaque Vice-Præses parlamenti Aboici. *Bælja. Mannakiæld.* Familia de *Haggetorp. Munck* in Fenn. ubi superest Joh. *Munck* jud. Regii Assess. cum filiolo. *Gijldenmærs. Hastehuffvvud, Frille* in Fenning. *Papegoja Hammerskioeld*, bellica fortitudine inclaruit. *Krusbioern*, floret Toparcha Bothniæ occidentalis. *Eketra. Plata.* *Kase* in Smol. *Tegel. Svverd. Svvart*, Assess. Aboen. *Lindeloeff* in Fenningia. *Skalm. Svvinehuffvvud. Gyllensparre* in Smol. *Bagge* in Wermia. Familia de *Harlingstorp. Palm. Sabbelskioeld. Trana. Sabbel. Ulfffana.* Shytte *de sattra. Ram. Falck.* Lodh. *Rijtter*, ubi inclaruit Joh. Henrici Gothenburg. Castellanus. *Finkenberg. Spara. Broems. Galle* in Suec. *Holst. Rosenqvvist.* Posteri *Melchior Hikelssons. Stoeoer. Geet. GyllenCornet. Beat* ex familia *Einar Nilssons. Adler*, cujus caput D. Johann. Salvius olim Secret. & Legatus Regius, in Imp. Rom. non minus quam domi, satis notus. *Grubbe. Rusenstierna. Hans Lode Forbus de Lund. Sperling. Rotkirck. Skulman. Strijk. Oliveebladh. Von der lind. Tungel*, optime meruit Secret. reg. Nicolaus Nicolai *Tungel. Stiernhielm*, ubi eruditissimus ac prudentissimus Georgius *St. h.* eminet. *Grænberg. Duffova* in Westg. *Stælffvversvværd. Gyllenallen. Sabbelbierta. Hastkææ in Malegard, Sabbelfahna. Raff* in Smol. *Rosenduffvva* Delphin. *Grys.* Back. *Galle* in Fenn. *Klingspere. Bahrfeldt. Rosencrantz*, Assess. Christ. Nic. in Fenn. *Arnskiæld. Svvinhuffvvud* Westg. *Utter. Croil. VVirtenberg*, ubi clarus est R. Armamentarius & Ductor. Gen. militiæ in Germania *Arvidus VVirtenberg*, heros strenuissimus. *Ramso*, e Scotia illust. sanguine oriunda. *Gyldenlod. Ekelæff. Maneskiæld* ex Norvegia, *Grænfelt. Vittinghoff. Anckerfiell. Starck. Stræmfelt. VVaderhorn. Jägerhorn. Fogelhuffvvud. Hasteskiæld. Footangel. Pilefeld. Robertsson. Sælffvverarm. Storck. Tærneskiæld*, unde Commiss. in Fenningia doctiss. prudentissimus Jacobus *Tærnesk: Oernehuffvvud. Anrep. Patkul, Bille, Sylffvverpatron, Gyldensvværd, Phuulp.*

Du-

Duvvalt. Jordan. Skalm. Blafield. *Pois.* Bockila, Koskild: *Forbus.* (Hic aliqui *Fledvvod & Hammelton*, ex illustr. sanguine Scot. unde & priores duæ familiæ, inseri volunt.) *Lilieftræm*, ubi industria Joh. Nicodemi Secret. stat. multis experimentis comprobata. *Jernlodh. Soelfvver Cron. Pistol. LillieCron. Loefling. Gyldenstrale. Hestskoo. Svvenske. Nymand. Dackzberg. Gyldenax. Lind* in Westg. *Planting. Soelffvverlod. Sælfvverstierna*, quam illustrat. Secret. Reg. Johannes M. *Soelffvverst. Stalman. Garff.* Biernskioeld. *Gyllenkloo*; ubi eminet Secretar. Reg. Andreas Gyllonkloo. *Renskioeld. Ruut. Zelovv. Lilliebielke. Ankerskioeld.* Boose. *Groothvvs. Ogglevvie*, orig. Scot. *Hammarstierna. Gææs.* De La Mott. *Gyldengreen. Schildt. Ikornskioeld. Soelffvverbogel. Ekestubbe. Haftskoo in Finland. Rosenskioeld. Brockenhusen. Rosenschmit* in Fenningia. *Apelgreen*, ubi Commiss. *Johan Erichson Apelgreen* meritis notus. De Geere. *Stalhane. Lilliebrun. Svvanfelt.* Kohl. *Transehe. Grissbach. Bergenfelt. Tomessen. Bioernram. VVachtorn. Hiulhammar. Blom. Printz. V. Steinberg. Roderskioeld. Hildring. Garfeldt. Irvving. Orhane. Manderhielm. Anckerhielm. Andaflycht. Drakenberg. Rytter. Chronstierna. Loofeldt. Stormhatt. Sabelfelt, Enhoerning. Leyonskioeld.* Blanckenfelt. *Igelstroem. Pistolkors. Rosenberg. Cronehiort. v. Schvvalch. Leyonhusen. Appelholm*, Residens Amstelodami, Haraldus *App:h. Rosenhielm*, Assess. Parlam. Holm. Ericus *Rosenhielm. Oerncklo. Rutenskioeld. von Meyer. Kuhlefeldt. Oliequvist. Stierneflycht. Leyonstierna*, ubi Præsens Norcop. Dn. *Daniel Leyonstierna*, eruditione & prudentia excellens eminet. *Svverdskoeld. Grubbe. Graan*, Ass. Holm. D. Joh. *Graan. Linderoot. Lindegreen*, Affinis meus ch. Nic. Nic. *Lindegreen. Morgonstierna. Feigerskoeld. v. Radeke. Strussberg. Falckengreen.* Lagerfelt, hic Reg. Secret. Israël Israëlis *Lagerfelt* claret. *Broestfeldt. Mardenfelt. Rosenbohm.* Gyldenfalck. *GyldenPistol. Svvanestierna. Ekegreen.* Bioernekloo. *Kugelhielm.* Looberg. *Oernevvinge. VVerneskoeld. Hielmfeldt.* De La Wall. *Wudde. Tornerefelt.* Bioernehuffvvudh. Bioerneberg. Klingenberg. *Drake. Hulsthorst.*

borff. *BluxCron*. *Roßfelt*. *Stroewberg*. Wolffenskioeld. *Reenborn*. Larenburg. *Dreffenskioeld*. Kanterfteen, quam familiam colluftrat Secret. Reg. variis legationibus clarus, Laurentius Kant: *ft: Von Riddershufen*. *PalmCron*. *Glattftein*. *Lunn*. Werdelat. *Soelfvverlaas*. *Udnie*. *Silfvvergreen*. *Lindenberg*. *Ekehielm*, Reg. Holm. Vice-Caftellanus Benedictus *Ekehielm*. *Cronlodh*. Galavvitz. Brant. *Ahlerfeldt*. *Gyldenær*. *Wobe-leyouram*. Leyonram. Lagergreen. Brakenskoeld. Gyllenfting. *Slangenfalt*. Kempenskioeld, hic Secret. antea regius, nunc illuft. Collegii; Samuel Kempsk: antefignanus eft; in quo eruditio cum humanitate certant. *Pijlegreen*. *Suvanftroem*. Meffenius, cujus parens fcriptis notiffimus. *Lagercrantz*. *Soesffvverar*. *Strußhielm*. *Reuterfeldt*. *Ramfvvard*. Graß. *Hilleskoeld*. *Silffvverfpare*. Kloeffvverfelt. *Lilieftroem*. *Drakenberg*. *Soelffvvermusquet*. *Rutenfeldt*. *Fritz*. *Lagerkrans*. Weidenhein. Walsk. *Huffvvundskott*. *Aeldenberg*. *Chemnitz*. Gyldenboegel. *Rofenband*. Bioernfelt. *Landzberg*. *Urquard*. *Durell*. *Silfvverfvvan*. *Armlodt*. *Oernft*. *Oerneftierne*. *Diurfelder*. Lillieftierna. Wolffzberg. familia de *Melkyla*. *Hirtenberg*. *Armfeld*. *Jernskoeld*. Schaar. Klerck. *Gyllenflogh*. *Sparfeldt*. *Stierncreutz*. *Taubenfalt*. *Faltzburg*. *Lindorm*. *Didron*. *Stackinga*. *Clerck*. *Strußflyckt*. *Sinkler*. *Dramund*. *Redervvuder de Foerarp*. Lanck. *RytterCrantz*. Witten. *Dreffenfeldt*. *Noeding*. *Schalm*. *Muller*. *Sigrother*. Et plures, quæ nuper huic ordini infertæ; Utpote *Bilderfelt*, *Ekenberg*, quam decorat Petrus antea Vigelius dictus, Juris D, & Affeff. Aboënfis. *StierneFalck*, ubi eruditione, prudentia & meritis infignis eft M. Joh. Ol. Dalekarlus Reg. Secret. *LillieCrantz*, ubi eminet Joh. Gerhardi. *Weferman* dictus, Holmenfis Conful Regius ampliffimus, &c. Quarum Catalogus in pleniori defcriptione jufto ordine commodius inferetur. Quod vero omnium majores, gefta, virtutes aut dignitates hic allegare nequiverim; partim Synopfeos brevitas, partim documentorum & informationis, in extremo hoc aquilonaris mundi angulo, paucitas atque tenuitas, apud cordatos

&

& candidos quosque me facile excusabunt. Quorum requisitorum, si mature particeps fuero; Nemo divina affulgente gratia, se de cætero neglectum aut posthabitum fuisse, jure conqueri poterit.

CAP. VIII. De antiquis Illust. & Nobilium familiis nunc extinctis & in Illustr. Collegium non relatis.

Multæ etiam, præter enumeratas, olim fuere familiæ illustres ac nobiles, quarum ne omnia quidem ad nos pervenerunt; antiqui enim solo nomine proprio contenti, addito saltem cujus filius esset, nullam stemmatis seu insignium mentionem insinuarunt. Ut Dn. Torchilli Canuti fil. D. Matthiæ *Kettelmundsons* fam. Domini Brunchonis &c. Unde haud exigua etiam in genealogiis eruendis difficultas aboritur. Nostro autem ævo cognominibus, ex ipsis insignibus desumptis, Nobiles frequentius utuntur. Extinctæ nunc prorsus sunt, inter alias hæ familiæ olim valde Illustras; *Folckunga*, *Manneskioeld*, *Filbyter*, *Sture Hwijtbeen*, *Sprakelegg*, *Knaphoeffde*, *Puke*, *Skoeldinge*, *Ble*, *Pijk*, *Ryting*, *Hvveßing*, *Bese*, *Brask*, *Brvvn*, *Diekne* in Fenningia, *Dudde*, *Danne*, *Engel*, *Elg*, *Finke*, *Frende*, *Falck*, *Flycht*, *Fase*, *Foot*, *Gere*, *Gyita*, *Gedda*, *Gynte*, *Gyllengreen*, *Gramsoe*, *Glysing*, *Green*, *Hiul*, *Krumme*, *Kuse*, *Krage*, *Karing*, *Krook*, *Lunckar*, *Lax*, *Lumpe*, *Lake*, *Lakatt*, *Lenim*, *Loring*, *Nykoerkia*, *Nacke*, *Nasi Kong*, *Næffvve*, *Ovvin*, *Plata*, *Porse*, *Roode*, *Rask*, *Roede*, *Svvaan*, *Stock*, *Stoerle*, *Stare*, *Spaak*, *Svvijnefoot*, *Snyfle*, *Some*. (Cui familiæ Christiernum *Some* proditor arcis Calmarensis ann. Chr. 1611. tenebras offudit) *Snecka*, *Farla*, *Trolle &c.* Ultimum hoc cognomen, postrema gessit, Dn. *Anna Trolle*, uxor D. Caroli de Mornai, &c. Quæ ex relatione majorum, hanc nominis & insignium rationem reddidit: Videlicet, ante novem hominum ætates, pium ejus stemmatis heros in *Eed*, territorii *Oeßbo*, parochiæ *Wartorp*, habitasse; qui vigilia nativitatis Chri-

Christi, templum petiturus, obvium habuit manipulum immundorum spirituum, à proposito retardare tentantium: Unus autem specie virginis cornu potatorium manu tenens se obtulit propinans; Hic heros sinistra manu potum pone se excussit cornu retinens; dextra vero gladium stringens, virginis jugulum, in Nomine Jesu, petiit; caputque amputavit. A sacris autem eodem die, reversus virginis illius seu monstri figuram, qualem insignia Trollorum in Cathedrali templo Wexionensi & alibi exhibent, in media via invenit. Cornu, in rei memoriam, per 9 hominum ætates asservatum fuit; quod eadem Domina, se ante bellum Sueo-Danicum superiori seculo sub R. Erico IV. manibus sæpissime palpasse & 300 in eo colores oculis notasse asseveravit. At anno 1570. cum urbs & templum Wexionense a Danis combusta fuere, Cornu illud simul interiit; Hæc ex Concione funebri, gravissimi Theologi, R. D. Petri Jonæ Angerm. Episcop. Wexion. excerpsi. Qui relationem valde mirabilem fatetur; cum spiritus carne & ossibus destituatur: Satanam tamen mille artificem esse notum est. Et Oldenburgi in Frisia orientali, cornu inimitabili artificio cœlatum monstratur, id à Comite quodam, ante multa secula, parum dissimili ratione occupatum asserunt; quod etiam ipse Anno 1636. 22 Apr. vidi, sed de his obiter. Sunt autem omnes istæ familiæ ex antiquo sanguine Sueo-Gothico; ut innotescat vanitas Jonæ ab *Elvverfelt* de Holsatia; qui Regni Sueciæ Gubernatores D. Stenonem Stwre seniorem, Dn. Svantonem Stwre; & Dn. Stenonem Stwre juniorem ex familia Sturensi Holsatiæ, nimis quam inepte, at satis audacter, asserit. Quod tamen falsissimum esse multis modis patet. Primo enim Sturæorum origo ex stirpe illustriss. Principis Guthormi Suec. Ducis 1163. & Domini Erngislonis Orchadensium Comitis pullulat; quod Genealogia ad multa retro secula deducta monstrat; frustra igitur ille eam ex Holsatica familia dedu-

cere

cere tentant; præsertim cum familiæ Sturorum Suec. non minor sit antiquitas, quam Slesvicensium, quam ante annos 400. divitem ac potentem dicit. Nam & quarto abhinc seculo, divites atque potentes fuere Regn. Suec. Senatores Suno & Sveno Stwre, fratres, teste Isacio Pontano, quos rerum Danicarum lib. 9. in Historia Margaretæ R. ex nobilitate Suetica fuisse asserit. Quod vero hereditatem Sueci Sturæi in Dania expetiverint, hanc habere potuit causam: Nimirum D. Nicolatus Boëtii Stwre E, A. & Legifer Wesmanniæ, qui anno 1470. vixit; avum maternum habuit natione Danum, forte ex illa Slesvicensi familia descendentem. 2. Neque omnes Sturæi in Suecia ex eodem stemmate fuerunt; ut deinde suo loco melius constabit: Apprime igitur fallitur, qui eos omnes ex Sturensi familia Holsatiæ, quoad masculam lineam, derivare conatur. 3. Nec insigniis conveniunt, quod oporteret fieri, si ejusdem essent originis: sed Sturensis familia Holsatiæ, nescio quem, pisciculum insigne habet. Antiqua Stenonis Sturæi familia tria folia nymphea nigra per clypei aream à sinistra ad dextram oblique disposita, & se invicem sursum verso cuspide concomitantia, insigne habuit; Junior diei & noctis insignia prætulit, id est, ut Messenius cum Chytræo loquitur, Clypeum antiquæ simplicitatis in duas areas, superiorem fulvam & inferiorem cœruleam. Sed quæ hic cum Holsatiæ Sturis insignium communio? Quæ tamen inter familiares & ex eadem familia descendentes, esse solet ac debet. 4. Potest hæc familia Suetica magis commode ex Suetico idiomate deduci, ubi *Stuur*, quadam dialecto, idem est, quod *Stoor*, i. e. magnus. Unde à magnitudine hic cognominati videntur. Fuerunt & aliæ familiæ nobiles, à tempore exoticorum Regum in Suecia claræ, licet e Germania aut Dania oriundæ; quorum nomenclaturam videsis apud Messenium in specula c. 27. Et hæc breviter hac vice de antiquis & hodie extinctis illustr.

fa-

familiis. Nunc pauca de Equitibus Auratis Regn. Sueticæ addam.

CAP. IX. De Equitibus Aur. Sueo-Goth.

Haud alienum ab instituto fuerit, paucis hic etiam de Equit. aur. agere. Nam præter armigeros seu scutiferos, quorum frequens in antiquis Historiis atque instrumentis mentio incidit, qui sic dicti sunt, vel quod Reges atque Duces, ut fidissimi commilitones, à latere comitarentur, ARMA gestantes; unde quod initio nomen officii, postea dignitatis factum; vel à scutis seu insignibus iisdem inscriptis; Gothis enim *Wapn*, utrumque & arma insignia notat. (Priscis quoque nobilium cippis *Littireisi* inscriptum, *Reise* enim Pugilem significavit; hinc *Reisigtyg*, Phaleræ; & *Resenarer* armati equites) Aurati etiam Equites creabantur; quorum inaugurandorum ritus & solennitates, à remotissima hominum memoria, in Regno Suec. usitatos; nec non juramentum ab iisdem præstandum. Vid. apud Ol. M. lib. 13. c. 7. Quæ brevitatis causa hic omitto. Inter præcipuos Equites Auratos habebantur, sub pontificia religione, qui Jerosolymam ad S. sepulchrum Christi votivam peregrinationem susceperunt, indeque insignia retulerunt. Unde prædia, à talibus equitibus, religiosis donata, S. sepulchri, olim dicta fuere: Quorum annuos reditus Monarchi Eschilstunenses, ordinis S. Johannis de Rhodo, collegerunt, & Hierosolymam transmiserunt. Viguit autem mos E. A. à Regibus creandi ad nostra usque tempora; Ita R. Gustav. I. in sua coronatione Ubsaliæ 1528. humeros candidatorum stricto ense leviter feriens Equites auratos creavit Generos. ac Nob. viros Laurentium Siggonis; Ericum & Ivarum *Flemming*, armis fortissimos: Johannem *Thurson*, Thuronem *Erichson*, Birgerum *Nilsson*, Carolum *Erichson*, Nicolaum *Olsson*, Canutum *Andersson*, Magnum *Johansson*, Magnum *Bryntesson*, Petrum *Hard* & Benedictum *Nilsson*,

son. Filius vero R. Ericus XIV. in Coronationis suæ festivitate cingulo equestri (ut loquitur Messen. in paraphr. c. 4.) impertivit sequentes; uempe Georgium Erici de *Foglevvijk*, Thuronem Petri de *Saalstadh*, Dionysium Beuræum præceptorem suum; Nicolaum *Boye*, Arvidum *Trolle*, Ericum *Carlsson*, Nicolaum *Carlsson*, Claudium *Flemming*, Canutum *Knutsson*, Ericum *Mænsson*, Siggonem *Larsson*; Joannem *Bonde*, Benedictum *Gylte*, Johannem *Kyle*, Gustavum *Finke*, Nicolaum *Krumme*, Ivarum *Ivvarsson*, & Georgium *Norman*. Sequenti autem die Coronationis, eadem insignivit laurea Magnum *Svvensson*, Canutum *Haraldsson*, Ericum *Jærensson*, cum Danis quibusdam & Lubecensibus. Unde non indigenas solum, sed exteros, à Regibus Sueciæ Equites creati, gloriæ sibi duxisse manifestum est. Quinimo & ipsos Rom. Imperii Principes hunc honorem non detrectasse historiæ loquuntur. Nam R. Suec. & Goth. Magnus *Ladulaas*, in diæta Holmensi an. 1282. filium suum D. Birgerum tum electum Regem, Equitem creavit; hic vero Ducem Albertum Brunsvicensem & 40. alios cum ipso; Prout notavit Ol. P. in via ejusdem Regis; Et antiquissimus noster historicus Ericus Ubsal. lib. 3. pag. 143. & 144. fusius exposuit. Sed equestris hujus dignitatis, ne nomen quidem ad posteros transit, ut cæterorum Nobilitatis graduum. Etsi enim Comitatus ac Baronatus ad proximum agnatum masculum saltem devolvantur, Tituli tamen omnibus successoribus communes sunt. At Eques Auratus nemo nisi propria virtute & meritis salutatur.

Nec Jo. Ludovicus Gothofredus, in sua Archontologia Cosmica antiquos Regn. Sueciæ & Gothiæ militum, equestrem, ensis & balthei ordines tacuit; ubi lib. 3. de Suecia, insignium in magnifico portu Angoviæ (sic enim ipse vocat) incisorum meminit. (Hunc portum non existimo alium quam *Hangæ* ad littus Nylandiæ, de quo supra lib. 1. in Append. ad finem; ubi olim clas-

sis Sueticæ statio fuit Ol. M. lib. 2. c. 25. lib. 5. c. 27. Et superiori anno, Regum, Principum & magnatum insignia, cautibus incisa fere innumera, admirabundus spectavi.) Habebant, Inquit Gothofr. milites Suec. Christiani facti, aliqui pro insigni torquem aureum ex compluribus Cherubinis & Seraphinis inter se contextis compositum, patriarchali † intermixta, & Christi imagine ornatum. Postea de alio in Suecia Ensiferorum ordine, symbolo & insignibus fuse agit. Sed de hisce est nunc satis.

CAP. X. De Legibus quibusdam & Conditionibus Illustris hujus Collegii & Nobilitatis Suecanæ.

Ut ad modernum Illustre Collegium Regn. Sueciæ respiciam, leges aliquot & conditiones ejusdem breviter excerpam. In supradicta collegia domo, *Ridderhuset*; specialibus privilegiis, immunitatibus & exemptionibus munita, velut Bursa, tum ad lites, judiciarium processum non exigentes, terminandas; cum ad consultandum in comitiis conveniunt, votum & sessionem habent, in aliquam trium istarum classium relati: & nulli alii, cujusvis nationis, status, dignitatis aut conditionis.

Nobilis, patre Sueco aut Fenno genitus, votum & sessionem cum privilegiis obtinet; Extraneus vero Nobilis, nobilem in hoc regno ducens, privilegiis, quoad bona, frui potest; Sessione autem & voto nullo; donec à S.R.M. pro naturali subdito agnitus & matriculæ collegii inscriptus fuerit. Horum autem liberi, jure nativitatis, Comites & Barones in suo ordine, cæteri in suo, juxta seriem, qua annotati fuerint, ista omnia obtinent.

Infamatam & prostitutæ pudicitiæ ducens, etsi nobilis sit, liberos voti & sessionis paternæ incapaces gignit. Quippe qui in ultimum locum detruduntur; donec egregio facinore, virtute ac meritis, accedente speciali S.R.M. gratia, restituantur, aut peculiare suffragium & votum obtineant.

Olim

Olim quidem maritus nobilis uxorem ignobilem, liberosque legitimos nobilitavit. Nunc nisi nobilis ducatur, nobilitas in posteris labefactata habetur. Quæ ab hereditate immobilium excluditur, admissis proximis heredibus, & consanguineis nobilibus. Pariter etiam Nobilis fœmina ignobili nubens, prædiis privatur, quæ proximis agnatis cedunt, exclusis plane ex hujusmodi connubio prognatis.

Sic quoque à quocunque extra conjugium compressa jus hereditarium iu fundis amittit. (Jam enim à tempore D. Birgeri *Jerl* Fœminæ trientem bonorum hereditate capiunt; unde antiquas familias haud parum debilitatas cordati judicant: cum sic bona in alias atque alias familias distrahantur.) Neque ita maculata in congressibus nobilium toleratur. Virgo sine consensu parentis; aut tutorum & duorum agnatorum totidemque cognatorum nubens, una cum sponso, biennales prædiorum reditus perdit, proximo Xenodochio cedentes; illa quoque in nuptiis nobilium & baptismi solennitatibus infra alias nobiles conjuges rejicitur. Quin etiam proprium sponsum, ante nuptias, ad concubitum admittens, eadem una cum ipso mulcta tenetur, infimum semper locum inter fœminas nobiles habitura. Nec non filius ante nuptias conceptus a torneamentis & hastiludiis arcetur. Unde quanta hic honestatis observantia patet.

Nobilis Suecus sub exotico magistratu domicilium & fortunarum sedem figens una cum posteris sessionem & suffragium in hoc illustri collegio amittit. Feuda, si quæ habet, ad proximos heredes, vel his deficientibus ad coronam relabuntur. Allodialia tamen, præstito rite equitio, retinere potest. Sin ipse aut filius resipiens, reversus novo fidei vinculo S. R. M. & Coronæ sese obstrinxerit, in priorem sessionem & votum, postliminio reducitur.

In tantum autem degenerans, ut odio & contemptu

patriæ in exotica loca discedat, ibique resideat, liberis ac posteris regni hujus contemptum atque odium implantans, & monitus non destiterit: Non modo sessione & suffragio verum etiam feudis, si quæ obtinuit, privatur; quæ ad proximos heredes, vel si nulli sint ad S.R.M. & coronam recidunt. Hereditaria bona, nisi ante mortem vendiderit, ad proximos in regno heredes devolvuntur. Talis vero, una cum liberis, plane pro extero & alienigena in hoc Regno habebitur.

Sessionem semel destinatam (sine detrimento tamen dignitatis & authoritatis in aliis congressibus;) unusquisque cum posteris in hoc collegio tenet; donec legitime in superiore ordinem transferatur. Nemo alterius insignia aut cognomen sibi arrogabit. (In diversis tamen provinciis, ut *Skalm* in Carelia & in Fenningia &c. idem nonnunquam cognomen occurrit.) ne familiarum inde confusio suboriatur.

Singulæ familiæ sigillum commune habent, solis insignibus absque nomine notatum; quo solum in publicis actibus & decretorum comitialium obsignationibus utendum. Ut patet ex comitiorum descriptione.

Ex singulis 500 marcarum reditibus (olim ex 400.) non numeratis prædiis intra 1 lapidem; viri majorennes equitium præstabunt, juxta leges & ordinantiam de servitio equestri. Quæ omnia hic enarrare brevitas non patitur.

CAP. XI. De Privilegiis ordinis equestris Regnorum Sueciæ, Gothiæque & Fenningiæ.

Magnis illustres ac Nobiles horum Regnorum privilegiis & commoditatibus fruuntur. Unde & S. R. M. magno vicissim affectu prosequuntur, nec vitam pro ejus salute profundere detrectant. Neque minus antiqua quam ampla sunt ista privilegia, ipsis legibus, & priscorum regum ac recentiorum confirmationibus stabilita. Extant adhuc confirmationes R. Magni *Ladu-*

laas;

lias; R. Birgeri; R. Magni Erici; R. Alberti; Reginæ Margaretæ; R. Erici XIII. Pomerani & Christierni I. &c. Potissimum vero à R. Gustavo I. ejusque filio R. Johanne III. necnon nepote R. Gustavo Adolpho M. majorem in modum amplificata sunt. Quorum hæc brevis summa est.

1. Illustrium ac Nobilium vita, fama, possessiones & ministri specialiter vindicantur, honor & libertas asseritur.

2. Ex illustrium familiis supremorum in Regn. officiorum administratores leguntur; utpote Drotzeti, Marchi, Ammiralii, Cancellarii & Thesaurarii; Legiferi & Senatores. Quorum dignitas Pariatui Franciæ seu Galliæ haud absimilis. Hinc Præsides Parlamentorum & primæ classis Assessores sumuntur: Hinc provinciarum Gubernatores, Castellani & Toparchæ, Regni Marschalcus, Armamentarius, Legati, Duces belli, cæterique militares officiales superiores deliguntur. Qui omnes liberalissima accipiunt stipendia. Militibusque cum nullum intercedit bellum, domi manere licet, ac bonam stipendii partem parsimonia conservare.

3. Illustriss. Familiæ, utpote Comitum, in suos colonos & subditos merum imperium & omnimodam jurisdictionem exercent. Duæ quippe instantiæ priores, simul cum executione iis concessæ sunt. Unde proprios judices tam provinciales quam territoriales, cum jure gladii habent. Appellatione tamen, in gravioribus caussis, ad Tribunal Regium reservata. Cæteri interim illust. & Nobiles deterioris non sunt conditionis, etsi proprios judices non alant. Sumptibus enim, in judicia conferendis, relevantur; ex publico collatis. Et proprios carceres seu custodias habent; Neque in alios, delinquentes eorum homines à quopiam detrudi fas est: Nisi vel in flagranti crimine deprehensos, vel lata in capitalibus sententia. Tum enim regiis officialibus ad executionem traduntur. Quod si vita condonetur,

 aut

aut alias pecuniaria, per judicem, mulcta irrogetur; pars ejusdem, quæ alias regio fisco tribuenda, Domino cedit.

4. In venationibus, aucupiis, sylvis, piscationibus, molendinis & metallicis fodinis quoad proprios fundos, Regali ferme jure utuntur.

5. Nullum tributum pendunt. Ab omni contributione & onere liberi; Nisi quatenus urgentibus publicis necessitatibus, spontaneo consensu præcedente, aliquid conferant. Nobilium quoque coloni, in collationibus publicis, dimidium ejus, quod cæteri rustici coronæ immediate subjecti contribuunt.

6. In Inferioribus instantiis Nobiles de delicto non conveniuntur; sed à solo tribunali & judicio regio judicantur.

7. Nobilibus etiam proprios habere artifices, ad necessitatem, fas est.

8. Jus patronatus in Ecclesias, ubi habitant, illis competit.

9. Et liberrima in Comitiis Nobiles habent vota; quæ per tres istas classes prædictas eunt: ubi singulæ familiæ, votum obtinent, & sententiam dicunt; ab infima ad supremam progrediendo. Unde latis in propatulo est, quantis Nobilitas Sueo-Gothica & Fennica, præ aliis, privilegiis gaudeat. Prout in ipso originali, quod sæpius typis excusum in omnium fere manibus est, exprimitur. Præterquam quod nonnulli in residentiis suis, prædiis aut insulis, (quale exemplum supra lib. I. c. 32. de Insula *Engzæ* inductum) specialia quædam privilegia, immunitates & jura jam ab antiquo, regiis diplomatibus stabilita habeant. Quæ omnia hic allegare brevitas prohibet.

28. Quanquam autem tot ac tantis illustres ac nobiles hic emineant privilegiis & prærogativis, rusticos tamen suos atque colonos, (nisi qui exterorum mores, suo etiam cum damno, in libero populo, imitari attentent) hu-

humaniter & modeste tractant. Unde & Dominorum & colonorum facultates magis in tuto sunt, magisque augentur.

Atque hæc breviter de nobilitate & equestri ordine in illustre collegium Regn. Suec. relato.

Neque enim nunc instituti est de reliqua Nobilitate Coronæ Suecicæ subjecta agere. Utpote LIVONIÆ; ubi familiæ etiam inveniuntur Nobilissimæ & bellica virtute clarissimæ, in illustris hujus collegii matriculam nondum relatæ. Nec earundem nomina & series mihi plane cognita. De priscis Equitibus ensiferis & Militibus Christi in Livonia, videatur Archontologia Cosmica Joh. Ludov. Gothofr. lib. 3. pag. 5.

Neque hac vice de Nobilitate Germanica, quæ nuper in Ducatu Pomeraniæ citerioris, Episcopatu Bremensi ac Verdensi &c. Suecicæ Coronæ accessit, tractatio suscipitur: Cum ultra antiquos terminos calamus jam non extendatur.

Nobilitatis & hic totuplex almæ gradus: Ex qua
Induperatores non piget esse satos.
Stemmata conserva, Deus optume, tanta & adauge:
Ut vigeant Regni robora firma diu!

LIBER IX.

De Regibus Sveo-Gothicis.

CAPUT I.

Regum Sueciæ Gothiæque seriem exhibeo; non ex græcis & Romanis authoribus, ut quidam stolide exigunt; quippe cum hi antiquissimos nostratium ignorarint, donec emigrationes ac bella eos aperuerint: Sed ex patriæ monumentis, (de quibus sup. lib. 2. c. 2.) & tabulatis ac documentis domesticis; quibus hic major debetur fides, quam exterorum quorundam nugamentis ac conjecturis futilibus, qui omnia ex invidia, aut præconcepta opinione dijudicant. Quanquam etiam in-

inter eos nonnullis cordatiores, ut Ericus Pom. Bertius, Alstedius, aliique hunc eundem ordinem, ex annalibus nostris eductum, candide servarint. His primus gentis & regni conditor salutatur MAGOGUS, Patre genitus Japheto & avo Noacho. Hic favore omnipotentis, diluvii aquis non extinctus, repressa inundationis mole, in monte Ararat, navigio exiens, septentrionis primum sedes cultoribus replevit. (Conf. sup. cit. lib. 2. c. 5. & Joseph. l. 1. c. 6.) Tres filii erant Cham Africam, Sem majorem Asiæ partem, Japhet reliquam & Europam occupat. Tandemque Magogi filii.

Sueno Sueoniam sive Sueciam. | Ut Gethar vel Gogus (al. *Gaye*) Gothiam constituisse à scriptoribus non futilibus perhibentur.

Cap. 2. UBBO frater postea mortuo Suenone Rex Sueonum creatus est. Cujus memoria in fundata ab ipso urbe Ubsalia conservatur.

C. 3. SIGGO autem huic post interregnum aliquot annorum, successit. Qui ob commodiorem regni adversus orientales populos transmarinos defensionem, propinquiorem mari urbem est meditatus; Et ne impune in lacum *Maler* irrumpentes vicina loca popularentur, Sigtuniam ædificavit. Utiles populo dans leges diu prudenter regnavit. Tandem mortuus Ubsaliæ humatus est.

Imperante adhuc Suecis Siggone, Gothorum R. creatus est Ericus I. Sapiens & probus Princeps tam legum optimarum promulgatione, quam imperii dilatatione clarus. Unde carminibus atque cantilenis, quæ isti ætati loco historiæ fuere, plurimum celebratus. Is enim primus in insulas, quæ nunc Daniam constituunt, (antea *Wetalaheed & Wijdaslatt* dictas) colonias misit. Regni fines proferre quam defendere haud minus gloriosum ratus. Quapropter & à nonnullis primus Gothorum R. salutatur.

C. 4. Sueci a Gothis adhuc divisi, jam a Regulis seu Toparchis, quos judices alii vocant, aliquamdiu regnabantur.

Post hunc, Gothorum regnum ad quintum usque seculum Reges aliquot tenebant, quorum (non secus ac imperatorum id temporis in 1. Monarchia,) sola nomina historiis innotuerunt. Quæ ne quid antiquitatis, quod saltem apparuit, negligatur; Et regum series, non interpolata, habeatur, hæc fuere: Uddo, Alo, Othinus, Carolus I. Biörno I. Gethar II. Siggo. Nec absonum, regimini horum tot annos tribuere, si vivacitas ejus ætatis consideretur, climatisque salubritas, sub quo vitam ultra 100. annos adhuc produci non infrequens est. Et diu post eorum tempora Romæ a 7, regibus, annis 243. regnatum sit; quorum tamen alius ante naturalem vitæ terminum discerptus, alius fulmine ictus, alius ab antecessoris fiscis occisus, alius generi scelere oppressus, alius, diu ante obitum, clausis portis exclusus.

C. 5. BEricus tandem, qui aliis Ericus II. dicitur, utriusque regni potens; ut patriam innumerabili hominum multitudine, quæ annonæ caritatem variosque motus gignere solet, mature relevaret; nec minus ut injurias ac damna ab Ulmerugis, Curetibus & Livonis, aliisque maris accolis illata vindicaret; concione habita; Quid subditi, eorumque majores, a dictis populis, non semel tantum passi fuerint, quidque de cætero expectandum sit, ni mature occurratur, exponit. Quantum sit vindicta bonum, exaggerat. Et virorum esse metum inferre non pati. Quod si differrent, hostem brevi imparatis imminere. Iis autem qui animose aggrediuntur, utcunque res ceciderit, indelebilis apud posteros gloria manet. Nec mora; tanto fervore concurritur, ut amplius non stimulis, & calcaribus ad incitandum, sed freno ac retinaculis ad moram injiciendam opus habuerit. Neque sexus etiam imbellior expedi-

tionis consilia improbat. Tantus proinde hominum numerus egreditur, quantum naves, quæ tum præsto fuere, capere potuerunt. Classis ad Gothlandiam, (al. Gothiscanziam) colligitur. Hinc in Rugiam & Ulmerugiam progreditur. Cum vicinis luctatur; donec vicina ac remota subjugârit: Variosque populos deleverit, constituerit. Hinc Gothi externi & Gepidæ, primo per contemptum dicti (nam & adhuc dicimus *Din Geper*, id est tarde & insulse) quem virtute postea absterserunt. Quorum gesta suis assuentes alii passim persequuntur. Mihi, hac vice, intra patriæ limites manere animus est.

C. 6. HUMULPHUS egressi Regis primogenitus, traditis a Patre, ante abitum, habenis diu pacate usus; Regnum decedens filio, (ut alii volunt nepoti) reliquit.

C. 7. HUMBLE in locum avi (sive parentis) unanimiter electus ex Gesilda regina, Suetico sanguine orta, 4. filios, totidem postea Reges, suscepit: Danum, qui Danorum regno & genti nomen dedit; test. antiqu. Chron. Svec. & Erico Pom. Hist. Dan. aliisque. ANGLUM, qui Angliam, NORUM, qui Norvegiam (*Norrighe* quasi *Nores Rijke*) gubernârunt. Quartus Sueciam Gothiamque retinuit. In memoriam Humblis, complures adhuc loca nomen retinent; ut H*umbleback* in Selandia in Smolandia H*umbleboda*, H*umbleback*, H*umblerijd &c.*

C. 8. Gothilas igitur parenti in avitis regnis, electionis jure succedens, pacem bello prætulit. Undique securus opem popularibus, & in illis Amalo exterorum Gothorum Regi, ad compescendum Mechelburgenses, Pomeranos, Curetes & Æsthios misit. Unde & hi Gothico imperio parere didicerunt.

C. 9. SIGTRUGUS nepos illi successit; ab idolis Ubsalensibus, quæ summo colebat studio, plus ab auro quam ferro sibi metuen-

SCARINUS, Gothorum Rex, post diuturnum & felix domi imperium; audito, in extrema senectute, consangvinei Sigtrugi Sv. Regis

dum edoctus, contra Gramum Daniæ Regem filiæ Groæ raptorem, fortiter pugnans cecidit. Sax. l. 1. Expugnato enim aureis donis animo virginis aliorumque amicorum fide, facilis, ut fit, etiam de fortissimis victoria.

Regis obitu; ne regnum vicinum in exterorum manus deveniret, exercitum opposuit. Cui se imparem Gramus deprehendens Senem ac decrepitum Regem ipse juvenis ac vegetus in arenam provocare non dubitavit. Scarinus animo quam lacertis firmior, cunctis licet ob disparitatem ætatis dissuadentibus, congredi non detrectans, facile prosternitur. Quem consanguinei tanto casu consternati, haud ægre sequuntur.

C. 10. Nec adhuc tamen Suecorum Gothorumque partibus Defensor defuit. Quamvis enim occasione iniquissimi raptus, regius hic sanguis defecerit; Rex tamen Norvegiæ SWIBDAGERUS, ex eodem oriundus & cognatus Scarini, hujus mortem & vim filiæ illatam vindicare certus; Suecos Gothosque ad regnum, ultro deferendum obstrinxit: ut non tam in alienam familiam translatum, quam ab eadem defensum videretur. Nec spes fefellit. Swibdagerus enim Gramum morte ejusque sororem prostituta pudicitia mulctavit. Quod posterius ut Ethnicum istius tempestatis furorem sapit; ita prius heroica Regum facta minime tacendum. Atque ita Swibdagerus trium regnorum potens, Norvegiæ, Sueciæ & Daniæ, quem hic sextum in ordine hujus historici ponunt, septimum Daniæ Regem Guthormum Grami filium majorem constituit. Necdum tamen regio sanguini parcitum. Swibdagerus enim ad Gothlandiam ab Hadingo, altero Grami filio, ex improviso superveniente opprimitur. Hanc reddidit gratiam, quod in Suecia exul optime habitus & militaribus exercitiis

citiis enutritus, quicquid in iisdem profecerat, Suecis merito acceptum ferre debuisset.

C. 11. ASMUNDUS, Swibdageri filius, cum neque ab Hadingo sine armis tutus esse posset, exercitum parans, una cum filio Henrico sese objicit. At non meliori fato, quam ut uterque in acie caderet. Hadingo tamen ita imminuit, ut perpetua hujus luxatio, Asmundi præsentiam ad extremum usque halitum ipsi in memoriam revocarit. Regina vero Asmundi Gunnilda de casu mariti certior, dolori succumbens, ferro voluntariam sibi mortem intulit. Cui una cum Domino suo Ubsaliæ parentatum, ubi cineres requiescunt.

C. 12. UFFO, alter Asmundi filius, adhuc superstes, in patris locum eligitur; Quem summa coxit cura, ne parentis necem inultam relinqueret. Daniam igitur cum exercitu petit, obvia quæque vastans ac proterens. Nec arma intra quinquennium posuit. Hadingum vero obsidione & inedia inaudita pressit. Sed insidiose tandem ab eodem occisus; Ubsaliæ in monumentis Regum tumulatus est.

C. 13. HUNDINGUS, (cujus nomen male interpretatur Meursius, canem denotare commentus; cum tamen hic Suecis pariter & Danis *Hund* dicatur; non *Hunding*; quod hominum proprium est: & Selandiæ quidam R. Sivaldi II. successor eodem fatente, nomine Hundingus fuit.) tertius fratrum, populi Suec. votis Rex constituitur. Hujus animo cum fraternæ cædis majorum cumulatæ ultio, non minus quam pericula & adversa nuper Hadingo imminentia obversarentur; res per arbitros, sano consilio, eo deducta fuit; ut, omni utrinque hostilitate posita, sincera pax coleretur; Et avitis regnorum terminis uterentur. Quod miro exemplo successit, Et inter antea infensissimos, tam arctum amicitiæ vinculum intercessit, ut uterq; nunciato amici fato mortem sibi consciverit. Suecus fallaci rumore permotus, (dubium an fraude Danorum ut fidem exploraplora-

plorarent) instructa diæta mulso; Danus ad veriorem famam laqueo vitam finivit.

C. 14. REGNERUS fil. post intolerabiles novercæ *Torilda* in se & fratrem *Thoraldum* injurias, quos a regia ad pastoritiam conditionem in Helsingiam detrudere ipsam non puduit; a Svanhuita Hadingi filia excitatus & suffultus, ordinum Regni Suec. consensu R. proclamatur; Et Swanhwitam conjugem ducit. Cum qua diu vivens feliciter regnavit. Ita, volentibus fatis, ex Regibus pastores, & ex pastoribus Reges fiunt.

C. 15. HOTHEBROTHUS Regneri filius populi consensu succedit. Hic Regem Dan. ROE tertio prælio superatum occidit; Daniam occupat: Imperiumque inter flumen Albim & Tanaim extendit. Sed in Danos Duce Helgone aliisque deficientes iterum tendens, naufragio vitam finiit; E regina Gyrita Norvegio stemmate filios reliquit Attilum & Hotherum.

C. 16. ATTILUS Patri in Regno successit, qui non tantum defectione Danorum, sed & opprobriis Helgonis Dani in Suecos & Rolvonis cum matre Ursilia Danica, thesauros furtim amoventis injuriis exasperatus, canem Danis Regem præfecit. Suspicabar hic sub fabula tantum veri aliquid contineri: Regem scilicet caninis moribus, impudicum, rixosum, malevolum. Sed D. Ol. Wormius Danus in altera serie regum Daniæ e codice legum Scanicarum hæc verba runicis literis habet; *Ok Swerigis Kunung stipade en Racka at warda* Kunung *i Danmark*. Et manuscriptum quoddam idem confirmare fatetur; Præterquam quod antiq. Chron. Suet. Joh. M. aliique id diserte asserant. Alii ab Attilo III. id factum ajunt. Utut sit; A Rege Sueciæ Danis Regem datum esse, & quidem in ira, minusque commodum, sat manifestum est. Attilus vitæ satur Ubsaliæ mortuus est.

C. 17. HOTHERUS, a fratre Attilo adhuc superstite ad petitionem Danorum, ut cum exercitu venientem placarent, Daniæ Rex constitutus, seditiosum Balderum in

in freto *Balderſund* ſuperavit, Daniæ Regnum ſibi aſſerens. Sed a fratre Balderi *Boo*, ſive Boo, Ruthenorum Principe, occiſus eſt.

C. 18. RODERICUS *Slingeband*, ab armillarum infelici jactu, quas in navim Ubbonis Pugilis, præmium fortitudinis trajecturus in profundo perdidit, cognomen accepit. Patri Hothero in regnum Sueciæ ſucceſſit; itemque Daniæ ſceptra, Boo ſive ejecto, ſive mortuo, recepit. Et Meurſio 16. Rex Daniæ eſt. Is etiam Curlandos & Vendos in littora Suecica irreptantes, vicit ac defectionem meditantes ſubjugavit. Horvendillo Dano filiam Girutam nuptam dedit; ſimulque Regnum, ſub annui tributi penſione, conceſſit. Senio confectus exſpiravit.

C. 19. ATTILUS II, filius Roderici cum vicinum orientem domuiſſet, arma in Vermundum Daniæ præfectum, debita tributa negantem convertit: eiusque exercitus Ductorem Frovinum Sleſvicenſem duello perimit; Danumque imperata præſtare cogit. Sed a duobus Frovini filiis, Retone & Vigone ſubjectionem ſimulantibus, ſolus & imparatus impellente promiſſis Veremundo tandem occiditur. Unde plus opprobrii quam laudis conſecuti, teſte Saxone: Cum duos contra unum decernere iniquum; immo antiquitus probroſum. Indeque prov. *Attiles Bane, bræt gamble Kampars vvane.*

C. 20. BOTOLPHUS, alias Botvildus Attili ſive filius ſive nepos; unanimiter in Regem Sueciæ & Gothiæ cæſo parente eligitur. Ob crudelitatem & ignaviam in hiſtoriis male notatus eſt. Ideoque regno pulſus fuit; ſed ad reſiſtendum hoſtibus Dano & Rutheno conjunctim invadentibus revocatus eſt. Redux emendationem meditatus obiit. Ubſaliæ ſepulchris majorum illatus.

C. 21. CAROLUS II. Botolphi nepos juſte & prudenter regnavit; inhoſpitales lege coërcuit. Pacem coluit,

coluit, niſi quod Tordonem Norvegiæ Satrapam generum ſuum cum exercitu occurrentem ſuis manibus interfecerit.

C. 22. GRIMMERUS tandem, homo impius, crudelis & avarus, ad regnum pervenit: Qui ut Deos Ubſalenſes auro ſpoliavit; ita ferro ſtrangulari meruit.

C. 23. TORDO, filius Patri longe diſſimilis: ideoque magis fortunatus & bello felix: Æſthiorum, Curlandorum & Ulmerugorum validam claſſem devicit. Saxonesque Sueciæ bellum inferentes profligavit. Hinc diu tranquille regavit. Exitus in incerto eſt.

C. 24. GOTHARUS I. Patris ſucceſſor, optimus princeps, occiſo Frothono II. Dan. Rege, ſoceri ſui Frogerti Norv. Regis doloſo interfectore, filium Frothonis Danum III. 12 annorum puerum Dan. Regem conſtituit: Eique regnum contra Saxones tumultuantes aſſeruit. Tandem honoris & dierum plenus decedens, Ubſaliæ ſepultus eſt.

C. 25. ADOLPHUS Patris ſui Gothari ſucceſſor Danum Saxonum & Vandalorum viribus ſubnixum ſeditionem molientem ingenti prælio fudit: Toſtonemque ſeditionis authorem morte mulctavit & Daniam ad obedientiam redegit.

C. 26. ALGOTHUS prædeceſſoris nepos vel alias conſanguineus, juſte & pacifice imperavit: De concordia inter Suecos & Danos magis quam bello ſollicitus.

C. 27. ERICUS II. Patri in tribus hiſce regnis ſucceſſit, pius ac prudens princeps: Æſthios ac Curetes ſub poteſtatem redegit. In Weſtrogothia mortuus ac ſepultus perhibetur.

C. 28. LINDORMUS, Erici filius poſt fata parentis eadem tria regna accepit. Quo in bello contra Ruthenos & Æſthios occupato Dania Ductore Friedlebo *Snare* i. e. celere defecit.

C. 29. ALARICUS Lindormi nepos in Regno Sue-

GESTIBLINDUS Senex a Gothis, in electione Alarici

rici

ciæ sufficitur. Cum Gothorum Rege certans, ab Erico diserto Norvego Gestiblindi Parastata in duello haud inultus expiravit. rici præteritis, Rex salutatur. Suâ autoritate & prudentia tantum effecit ut Ericus adjutor suus utrumque regnum obtineret.

C. 30. Ericus Disertus (aliàs sapiens, *Hin Wijse*) Regibus Sueciæ & Gothiæ sine liberis decedentibus, unanimiter successor est electus. Heros ingenio, lingua & manu promptus: Frothonem III. Dani: Regem eloquentia, tergeminos fratres Grepas in Dania nimis potentes etiam viribus superavit. Frothonem naufragio eripiens ejus sororem Gunvaram conjugem meruit. Eique vicissim Alvildam Gethari Norv. Regis filiam astu adduxit. Diu feliciter præfuit: In eo felicissimus, quod ipso imperante Salvator Jesus Christus nasci voluerit.

C. 31. GOETHRICUS Erici primogenitus paternarum virtutum imitator, ut motus domi gliscentes præveniret, numerosa hominum caterva Pomeraniam trajecit. Hinc Suetzeri in Helvetia: Picti in Scotia originem habent. Ipse Ulmerugos, Curetes & Lithuanos tertia exercitus parte subegit: Cui Philmerum filium præfecit. Et in Patriam reversus apud Westrogothos fatis concessit.

C. 32. HALDANUS fratri succedens, 15. Norvegiæ pugiles prostravit. Fridlevo Frothonis filio regnum Daniæ contra Jarnum vindicavit. Sed a regni proceribus tandem ob asperius imperium trucidatus est.

C. 33. Philmerus Götrici filius, in Patrui locum surrogatus est, postquam Heruitum Ruthenorum regem armis Samogetarum, Ulmerugorum, Curetum & Lituanorum, quibus a Patre præfectus fuit, superasset. Hic iterum regni terminum ad orientem Tanaim habuit.

C. 34. NORDIANUS Philmeri filius ab Heruito Rutheno in Regno Sueciæ Turbatus, in Gothiam confugit. Herviti tamen filius patri cognominis a Suecis extranei regiminis impatientibus, mox sublatus est.

C. 35.

C. 35. SIVARDUS Haldani filius & Göthrici nepos ob parentis severitatem ægre admissus; vicit tamen autoritas Helsingici pugilis, jam a temporibus avi Göthrici, gestis per orbem celeberrimi Starckateri, ea lege ne unquam paternæ cædis ultionem meditaretur. Frothoni vero Regi Daniæ filiam Ulvildam in matrimonium dedit. At a nepote Frothonis Haldano, quod suspectus esset tanquam conscius cædis Haraldi hujus genitoris, Sivardus confossus est.

CAROLUS III. a Gothis, Sivardi imperium in odium parentis, plane detrectantibus, in solium evehitur. Hic Haraldo Dano Frothonis fratri, filiam Signem nuptum elocavit: ex qua Haraldus & Haldanus suscepti. Quorum nepotum suorum patrocinium ac tutelam gerens, proditoriis Frothonis artibus Carolus interiit. Quod illi haud inultum reliquerunt.

C. 36. *Ericus IV.* Sivardi ex filia nepos avo succedens, in cujus ultionem Haraldum Danum adoritur & tertium victor obtruncat. Quod frater Haraldi Haldanus ægre ferens, Ericum insidiose & crudeliter perimit. Causas tot Illustrium funerum, tantarumque cladium, matrum dissidia & instigationes extitisse historici augurantur.

C. 37. *Haldanus II.* Caroli Goth. R. ex filia nepos, quod acriter parentis & avi necem vindicasset a Sueciæ proceribus regno non indignus habebatur. Cum agnato rege Gothorum pacis fœdera sancte coluit. Saxis e montibus pugnans *Borggrim* dictus Piratas domuit. Quorum Duces A-

Unguinus Gothorum Rex, cum quo Haldano sanguine juncto firmissima, dum hic vixit, fuit amicitia Gothiæ regnum pacifice administravit. Quin & ab eodem Haldano, morti jam vicino, Suecis ut sibi succederet est commendatus. Quod etiam respectu virtutum haud difficulter obtinuit.

mundum & Tochonem extinxit. Sivaldum illustri loco in Suecia natum cum 7. filiis tumultuantem occidit. Fortes etiam pugiles, Harthenum & Grimonem devicit: Thorildamque Norvegiæ R. Hotheri filiam duxit; Unde Asmundum progenuit. Ex quo Regum Norvegiæ stemma descendere putatur. Et Senex tandem vita functus est.

tinuit. Nec æmulo tamen caruit. Quidam enim Suecorum potentiam ejus metuentes, Regnaldum quendam non ignobili loco natum, Regem elegerunt. Ungvinus igitur (quem alii Euginum vocare malunt) jam decrepitus & viribus deficiens, hoc casu consternatus, animi dolore vitam finiisse traditur.

C. 38. *Regnaldus* alias Ragvaldus, in Sueciæ Regem contra Unguinum evehitur: Sed ab hujus filio Sivaldo acri prælio vincitur atque e medio tollitur.

Sivaldus Unguin. fil. in Regno Gothiæ & Daniæ Patri successit. Qui, ubi cum Regnaldo per triduum pugnam continuasset, tandem victor extitit.

C. 39. *Amundo I.* Regnaldi filio jam seni sceptra Sueciæ commissa sunt. Qui otio delectatus regni curam Hachoni primogenito commisit. Fuerunt ei præterea tres filii, quorum amicitiæ & dissidia cum Regis Danorum filiis, nec non Haboris seu Hagbarti & Signes amores ex historiis & antiquis cantilenis satis noti sunt.

Huic mortuo in Daniæ regno filius Sigarus successit. Cui tres fuerunt filii, Sivaldus, Alfo & Algerus, nec non filia pulcherrima Signe.

C. 40. *Hacho*, sive Haquinus post obitum Patris suo nomine regnum administravit. Hic fratris Hagbarti suspendium ulturus Regis Dan. Sigari excubitores ramis sylvestribus delusit,

Sivardus Gothiæ Rex ab Haquino Suec. Rege, in bello cæsus est.

Hujus filia Alvilda primum virgo modestissima, deinceps pirata fortissima Alfum Daniæ R. filium adportum

Regemque ipsum arma opponentem interemit.

portum natura munitissimum *Hangœ* Nylandiæ armis imminentem sagittis & ferro excepit ac repulit. Mox ejusdem amori cedens, novam Regum Daniæ progeniem dedit.

C. 41. *Ingo* primus sive Ingolphus unanimi populorum consensu, post fata prædictorum Regum, regnum utrumque conjunxit. Hunc Gylpham habeo, Cujus tempore Othinus Asiaticus superstitionem suam instigante diabolo ut crescenti Doctrinæ Christianæ sese opponeret longe lateque per orbem spargens, in Sueciam pervenit. Instituto igitur Ubsaliæ idolorum cultu Rex quoque electionem Regum, non procul ab eadem ad *Morasteen* semper habendam statuit. Qui gravis ætate decedens Ubsaliæ tumulatus est.

C. 42. Nearchus primogenitus Patri surrogatur. (Hunc Sturleson *Niord* vocat, Othini filium asserens, sicut adhuc Imperatores & Reges Summorum Pontificum filii salutantur eosque vicissim sanctissimos Patres resalutant.) Tranquille & pacifice, regnavit.

C. 43. *Frotho*, Ingonis secundogenitus, quem Sturlesonius F*rei* nominat, fratri succedens, a pacis studio *Hin* F*redgodhe* dictus est. Hic templum Ubsaliæ condidit; & Ubsalenses divitias (Ubsala *Oede*) ordinavit.

C. 44. *Urbarus*, (Quem Sturl. *Oder* appellat, eique conjugem Sacris præpositam, pulcherrimam ac sapientissimam, Friggam seu Freyam assignat: Cui divini honores delati, & ab illa nobiles fœminæ *Frwer* dictæ.) ob peritiam artis militaris in qua filios quoque sub Gunnone diligenter exerceri curavit, unanimiter ad Imperium evectus est.

Fiolmus (Chron. Norveg. fiolner) tertius Ingonis filius Gothorum sceptra retinuit. Homo luxui & gulæ deditus: In mulsi dolio, sive casu, sive ludibrio ministrorum, suffocatus perhibetur.

Svercherus I. Patris successor, robore corporis insignis, laude digna gerere, equo delapsus præmatura morte prohibitus est.

C. 45. *Ostanus* Patri succedens fratris Nordiani cædem in Norvegos per Gunnonem informatorem suum, severe vindicavit. Quibus, devicto Regnaldo, canem præfecisse fertur. Conf. Sturles. Chronic. Norv. pag. 72. & 73.

C. 46. *Attilus III.* Ostani filius natura quidem ad pacis studium inclinans; sed & marte bonus ac clarus fuit: Nam & Danos sub potestatem redegit. Et Ruthenos armis superavit. Unde cum Valander Goth. R. Danis sibi obnoxiis immineret, Attilus in ipsum quoque ferrum strinxit. Eumque in conflictu læsit. Sed mox finitum est hoc bellum firmaque inter Sueciæ & Gothiæ Reges pax coaluit. Et ipse multis præclare gestis celebris moritur atque Ubsaliæ sepelitur.

C. 47. *Dignerus* (Sturl. Digwi) Ostani ex sorore nepos & Domari Regis Goth. filius primus *Konung* salutatus; Reges enim ante eum *Drotter* dicti sunt. Ubsaliæ morbo occubuit.

Valander Svercheri filius conjugem accepit Driwam Fennorum Regis Snionis filiam ex ea filium Visbur. At cum post decennium monitus ad eam in Fenningiam non rediret, filium remittens, ipsum opera veneficæ Huldæ interemit: unde incubo dormiens suffocatus perhibetur. Egregius bello fuit, Scaniæ, Hallandiæque Dominum tributa pendere coëgit: ulterius in Daniam progessurus; nisi ab Attilo Svec. R. impressionem in Ostrogothos faciente retardatus fuisset,

Visburus avaritia subditis pariter & filiis exosus. Quocirca Grisæus & Amundus ex priori conjuge Audæ divitis filia quam repudiavit, cum dotalitium secundum Jus Sueorum in nuptiis promissum ipsis denegaret, patrem exusserunt.

Domalder Visburi ex altera conjuge filius, sceleratus & impius: Diis Ubsalensibus, ob annonam, a subditis mactatus est.

Domarus filius majorum exemplis territus pacifice & modeste regnavit. Ubsaliæ exspiravit & regio more crematus est.

C. 48.

C. 48. *Dagerus* Digneri filius prudens ac fortis R. utrumque Regnum conjunxit. Devicto pirata Ruthene Ruthenis tributa imperavit. Danisque subjectis, nimium fidens ex insidiis in Juthia periit.

C. 49. *Alaricus* Ruthenos a Patre subactos & tributum denegantes in ordinem redegit. Aliis placida morte in patria obivisse, aliis fræno a fratre Erico, qui regnum ei invidebat, occisus notatur. Tanto cum periculo solium conjunctum est.

C. 50. *Ingemarus* (vet. Chronic. Suet. & Sturlesonio *Ingwi*) Alarici filius, patrem, avumque imitatus, Ruthenos sub jugo retinuit. Validum etiam in Dan. R. Haraldum parasse exercitum; sed dolis Reginæ Dano cognatione obnoxiæ, per sicarios præventum hist. notant. Supra citati *Inguvi* fratremque Alverum mutuis vulneribus in cubiculo concidisse asserunt.

C. 51. *Ingellus I.* Ingemari fil. (antiq. Chronic. *Huglech* Alveri filius) Haraldum Dan. R. prælio terrestri & navali superavit, sororemque ejus Geram abductam sibi copulavit. Ob cujus impudicitiam a fratre interemptus est. (*Huglech* ab Hacone Norvego in *Furisvvald* prope Ubsaliam superans scribitur.

C. 52. *Germundus* alias *Jornnder*, parentis successor, a Danis, remisso in patriam exercitu, contra pacta diris juramentis confirmata comprehensus in freto *Ottesund* suspenditur. Fide sed cui fide.

C. 53. *Haquinus* cogn. *Ringh* (alias *Anne*) Germundi fil. perfidam patris necem vindicare ardens. Haraldo *Hyldetand* Dan. R. bellum indicit. Septennium utrinque præparantur. Hinc fretum balthicum navibus constratum, & innumerabiles copiæ collectæ: quæ in campis Bravallinis Smolandiæ concurrunt. Hic victus Haraldus, & cum eo 30. ducum M. a parte Danorum ceciderunt. Ringo victor victo parentat ac honorifice sepeliri jubet. Selandiæque fœminam Hetham, Scaniæ vero Olonem pugilem præficit. Diutissime vixit, ætatem

ultra annos 200. ut habet antiq. Chron. Suet. & Sturl. in Chron. Norv. extendens. Quam longævitatem immolando Diis Ubſalenſibus 9. ſucceſſive filios impetraſſe fabulantur.

C. 54. *Egillus Wendelkraka* Patri ſurrogatus, a ſeditioſo Tunnone octies victus nono conflictu victor extitit. Ipſe tandem a Bove confoſſus Ubſaliæ tumulatus eſt.

C. 55. *Gothar. II.* al. *Ochtar*, filiam Sivardi Dan. R. per Legatum Ebbonem nuptum petit, optatumque reſponſum accipit. Sed cum idem Ebbo ſponſam adducturus, ex inſidiis in Hallandia vix elapſus: Gotharus Sivardo bellum infert, eumque in Hallandiæ finibus ſternit. Et Hallandiam, Scaniam atque Selandiam D. Simoni *Snare*, Sueco gubernandas tradit. Gotharus a fratre Faſtone ob trucidatum Sibbonem virum illuſtrem, Stupri ſorori Regis illati falſo incuſatum, occiſus eſt.

C. 56. *Faſto* fratri ſuccedens Jarmericum Danum Sueciæ inhiantem fortiter reprimit.

C. 57. *Gudmundus* Faſtonis filius poſt parentem regnum tenuit; ſed geſta ejusdem hiſtoriæ exciderunt.

C. 58. *Adelus* Gothari ſive filius ſive nepos Rex ditiſſimus Jarmericum Dan. & Olaum Norveg. R. ſuperavit. In ſacris Diſæ equo collapſus, contuſo ad lapidem cranio, interiit.

C. 59. *Oſtanus II.* poſt Patrem regnavit, ſed nimis avare ac luxurioſe, quocirca Nycopiæ una cum aulicis ſuis combuſtus eſt; Cineribus in profluentem ſparſis.

C. 60. *Ingemarus II.* prædeceſſoris filius patrem virtutibus & belli gloria longe ſuperavit. Danos enim Ruthenos, Curetes ac Æſthios ſubjugavit. Tandem ſecurus in *Longœ*, Balthici inſula interfectus obiit.

C. 61. *Biörno II.* Sueciæ Rex Regis Goth. Holſtani filiam conjugem accepit; Et poſt ſoceri fata utrum-

Holſtanus I. Ingemari filius Gothiam retinuit. Cujus filiam *Snio* R. Dan. ambivit, ſpe Hallandiæ & Scaniæ

que regnum conjunxit. Sed conjugem *Sniæ* Danus dolose abduxit. Quam Biörno armis recuperat: Raptorem obtruncat; Daniamque subjicit. Et paulo post Ubsaliæ fatis concedit.

niæ simul obtinendæ. Sed repulsam passus Æschillum Holstani præfectum tollit: Dictasque provincias ad breve tempus occupat.

C. 62. *Ragvaldus II.* Biörnonis filius ut Suecis ac Gothis mitissimus, ita Danis ob matris raptum, gravis fuerat: Fœminas eorum passim prostituens.

C. 63. *Svartmannus* in sceptra Sueciæ Goth. & Dan. successit. Qui pariter istis placabilis; His, præsertim res novas agitantibus, truculentus extitit. Post 28. annorum imperium in Ostrogothia vita excessit.

C. 64. *Tordo II.* fil. diu post Patrem eadem tria regna tenuit. At Dani tandem auxilio Gallorum & Anglorum Duce Haraldo, rebellarunt. Quos Arcturus Angl. R. paulo post graviori jugo pressit. Hinc patet unde historiæ Danicæ deliquium supplendum. Tordo ab aliis Scaris, ab aliis Ubsaliæ tumulatus dicitur.

C. 65. *Rodolphus* in locum successit, laudabilis princeps, Qui sponte abdicato imperio, ad Gothos in Italiam contendit.

C. 66. *Hathinus*, a quo Regia olim sedes Hätuna dicta putatur; Herulis filium sibi cognominem Regem petentibus dedit.

C. 67. *Attilus IV.* tutam pacem incerto bello præferens: Defendendis magis quam ampliandis regni finibus incubuit.

C. 68. *Tordo* Rex Suec. & Goth. illis successit: Cujus nulla in historiis facinora memorantur.

C. 69. *Algothus II.* illi proximus, in laudatissimis Regibus habendus; Leges æquitatis quam rigoris pleniores tulit. Rotherum cum sua Russia sub tributum mittit. Satyrosque suppolares devicit. Provectæ demum ætatis decedit & Ubsaliæ conditur.

C.70. *Ostanus III.* inexplebili avaritia subditos vexavit. Unde non immerito Sueciæ *Godztagh* (nam *Godz* bona & divitias, *Taga* rapere denotat) dicitur: sicut antecessor *Algot* (*al* enim omne sive totum, *godh* bonus est) appellatus; Ut nomina personis exacte quadrarent. Sed ut humili & obscuro loco ortus est *Godztagus*, ita cunctis invisus facile dejectus.

C.71. *Arthus* igitur Algothi filius fœde cæso tyranno cum asseclis, diadema communibus suffragiis accipit. Princeps omni encomio major; apud vicinos & late per orbem formidabilis pariter & gloriosus. Cujus aula in tanta æstimatione habita, ut felicem prædicârint qui in eam recipi mereretur. Livonos, Russos & Curetes simul subjecit. Metasque imperii Tanaim & Albim fl. agnovit. Hic etiam pro insigni regni TRIBUS CORONIS utebatur. Ubsaliæ requiem nactus scribitur.

C.72. *Haquinus III.* Ostani filius, parente aliquanto mitior successit. Quem tamen laude aliquid dignum gessisse ex historiis erui nequit.

C.73. *Carolus IV.* Patris successor, cujus ut breve regnum, ita nihil memorabile.

C.74. *Carolus V.* ut Patri antecessori cognominis; ita imperii diuturnitate ac celebritate æquiparandus.

C.75. Birgerus I. fratris successor; Cum eodem, & parente solo nomine historiam auget.

C.76. Ericus V. prædecessoris filius in subditos lenissimus; indeque & ipse tutissimus ac invictissimus. Biörnonis (quem Dani ut e diuturna servitute, qua vicini premebant, eluctarentur, sibi præfecerant) machinationes irritas fecit: Eumque retudit:

C.77. Tordo vel Torillus, cum ipse ut avarus & sacrilegus hominesque Deosque denudasset, à suis in manibus Haraldi Dani deseritur.

C.78. Biörno III. parenti substitutus, diuturnum atque tranquillum regnum habuit.

C.79. Alaricus III. exemplo parentis, amans pacis erat.

erat. Hinc & firmioris amicitiæ vinculi cum vicinis nectendi gratia, natam unicam Sigridem Gormoni Dan. R. nuptum dedit. Ipse placide mortuus Ubsaliæque sepultus. Filio regnum reliquit.

C. 80. Biörno IV. is fuit: Carolo M. Imp. R. contra Gotricum Daniæ R. pro defensione Christianæ religionis, fœderatus. Idemque in fil. Ludov. Imp. continuatum est. Ille Herbertum Lincopensis templi fundatorem. Hic S. Ansgarium verbi divini præcones & præsules misit. Regnavit hic Biorno diu & pacate: Donec in urbe Birca, tum metropoli, quam vivus incoluit, defunctus requievit.

C. 81. Bratemundus successor ad paganismum relapsus, à fratre Sivardo de regni possessione litem movente, in Nerikia vincitur atque opprimitur.

C. 82. Sivardus al. Frö dictus devicti fratris locum occupans Norvegos subjecit, fœmineum ibi sexum parum honeste habens à Regnero Dan. R. superatur. Normanni tribus his regnis egressi hoc tempore.

C. 83. Herothus mox ad sceptra Suec. & Goth. evehitur. Qui cum Regnero D. R. de Scania in contentionem venit. Sed quod armis assequi desperavit Danus, nuptiis Thoræ Herothi filiæ astute obtinuit.

C. 84. Carolus VI. (quem Dani Sorlum vocant) post Herothum Rex electus est. Quibusdam tamen ex proceribus ad Regnerum spectantibus. Hic callide Ingevalli affinis causam agi simulans animos suecorum distrahit. Carolumque derelictum facile pessundat. Filium suum substituendum curat.

C. 85. Biörno V. Herothi nepos, dolo, & non legitima electione via, intrusus, cum pudore dejicitur.

C. 86. Ingellus II. Herothi filius à Biörnone ejusque patre & fratribus bello petitur. Consilium cum suis agitans flammis involutus perit: sive à proditoribus subornatis, sive, ut alii volunt, pusillanimitate sponte subjectis.

C. 87. Olæus *Tratelia*, Ingelli filius, per multa discrimina ob factiones à Danis excitatas, ad regnum pervenit. Regner. & Biör. ad occidentem incursantes Gothis; Widsercum ad orientem Suecis repulit. Vitæ satur mortuus & Regum monumentis Ubsaliæ inlatus est. Filios reliquit Haldanum Norv. R. Regumque satorem & Ingellum domi successorem.

C. 88. Ingellus II. Regneri *Lodbrok* D. R. filiam sibi matrimonio jungens, pacem restituit. Et ex illa filium tulit.

C. 89. Erico huic nomen fuit VI. cogn. *Waderhatt*, quod ipsius pileo venti obsecundarent, pro eo ac verteretur operam dantes. Tanta tum præstigiis Diaboli vis inerat!

C. 90. Ericus VII. ab armorum felicitate, *Segersall* dictus, Fenningiam, Æsthiam, Curlandiam, Livoniam sibi subegit. Suenonem Dan. R. regno ejecit: Inque extremis Scotiæ latebris per 17 an. ad Erici usque obitum exulare coëgit.

C. 91. Ericus VIII. (vulgo Stenchillus) cura restaurandæ religionis, quæ jam 80 annis jacuerat, Hamburgo sive Brema prædicatores Adalvardum & Stephanum evocat. Qui multos Bircæ baptizant. Sed fervido nimis ac præpostero zelo in se Regemque Adalvardus, populum irritavit; unde utrique mors accelerata. Expectoranda proinde animis prius idololatria, quam idola altaribus dejiciantur.

C. 92. Olaus II. *SkottKonung* à collationibus in usum Papæ indictis cognominatus) Stenchilli filius, toto nisu religionem, nec fine successu, propagavit. Ex Anglia S. Sigfridum cum nepotibus, Æschillum & Davidem accersiri curavit. Matrem ejus Sigridem divitem, prædictus Sueno D. R. duxit, ex qua natus Canutus dives, ut filiam S. Olaus Norv. R. cum quo antea grave bellum fuit. Sicuti & cum hujus prædecessore Olao Trygonis; Quem junctis viribus cum Suenone vitrico in mare se

præ-

præcipitare adegit. Diu regnavit ab A. C. 980. ad 1018. quo obiit Lincopiæ sepultus.

C. 93. Amundus II. Carbonarius, filius Ol. *Skottk.* a S. Olao Harald. R. Norv. educatus, multa ejusdem & Christ. religionis gratia tam à Norvegianis quam R. Dan. Canuto, cum quo & acre bellum gessit, perpessus est.

C. 94. Amundus III. *Slemme*, i. e. vilis, ab ignavia sic dictus, Scaniam, quam armis tueri debebat, terminis stolida pactione positis, a Gothia diremisse fertur. Sero deinde vi eandem repetere tentans ad pontem *Stangepalle* grave damnum accipit. Non æque facile est amissa recuperare ac jam occupata servare.

C. 95. Haquinus III. Rufus Westgothus, primum Gothorum, dehinc & simul Suecorum Rex; 13 annis pacifice & laudabiliter præfuit. Morbo exanimatus in *Leffwene*, ubi primas vitæ auras hausit, sepultus jacet.

C. 96. Stenchillus II. Junior R. Olai *Skottkonung* ex sorore nepos, ingenti corporis & animi robore, Religionis & legum cura eximius; Rex inter primos laudatus, Westgothos præ cæteris amavit: Apud quos & diem obiit. Postquam Danos triplici prælio fudisset.

C. 97. Ingo III. justitia ad cœlum fertur, aliisque ad exemplum proponitur. Scaniam Sueciæ reddidit. Sed ibidem noctu in lecto nefarie trucidatur. Corpus Westgothi grassabundi repetunt; honorificeque apud se sepeliunt.

C. 98. Halstanus II. in locum fratris lectus, pie optimeque administrati regni fructum retulit: Desiderium vidz. ac luctum subditorum post suam mortem. Principis enim dedecus est, si illa lætentur.

C. 99. Philippus Patris successor virtutis paternæ imitatione subditorum animos sibi adjunxit. Cujus tempore sz. A. C. 1086. Magnas quidam Regni Suec. Folko, S. Canuti R. Dan. fil. Ingridem duxit: unde Folkungorum familia. Filii huic duo fuerunt Benedictus, & Canutus Ducis Birgeri Pater.

C. 100

C. 100. Ingo IV. fratri (Joh. M. dicit patri) succedens, nec patri, nec patruo de justitia concessit: Cujus administrandæ gratia cum regnum obiret venenum, vel ab æmulis, vel justitiæ impatientibus in Ostrogothia ad *Wreta* propinatum hauriens vitam finivit. Hic arma non nisi pacis gratia induenda laudabiliter meminit.

Ragvaldus III. cog: *Knaphøffde*, homo inflatus & stolidus: ab Ostgothis R. sumitur. Sed in Westgothiam tendens spreto, contra patrium morem, salvo conductu, ad *Carleby* trucidatur.

Magnus vero I. R. Dan. Nicolai filius, Ingonis IV. ex filia Margaretha nepos, à Westrogothis electus, in Dania interemptus est.

C. 101. Suercherus II. Senior dictus, unanimiter Rex electus; Monasteria Alvastra & *Warnhem* aperuit, & transmarinis monachis honoravit vel oneravit. Regis Dan. Nicolai Sponsam Ulvildam, illustrem virginem Norvegam, intercepit. Ex qua Carolum, Johannem & Simonem, avum maternum D. Birgeri *Jarl*, sustulit. A stabulario vigilia nat. Chr. interfectus, ad altare magnum cœnobii Alvastrensis conditus est.

C. 102. Ericus IX. cogn. S. non Rege natus, sed ob virtutem Regiis nuptiis, Christinæ Ingonis Jun. filiæ, & diademate ornatur. Mox Fennis de victis parcens, Christi nomen per S. Henricum prædicari fecit. Dein patriam Legibus ornat; Exactionum parcissimus, vitaque innocentissimus. A Magno *Skateler* Henrici R. Dan. filio clam cum exercitu Ubsaliam subreptante, trucidatur. Sed populus confestim vindicat: Danique non procul Ubsalia cæduntur. Hinc nomen templo & Ecclesiæ *Danmark*.

C. 103. Carolus VII. Suercheri sen. fil. ad necem S. Erici vindicandam accurrere simulans; Revera ut Coronam ambiret. Quam Ostgothi antehac obtulerant. Votique compos factus septennium pacifice regnavit.

Et

Et à Canuto S. Erici filio, ut paternæ cædis haud insons, in *Wisingzœ* occisus est.

C. 104. Canutus, S. Erici filius post triennale in Norvegia exilium, devictis hostibus, annis 23. laudabiliter præfuit. Naturæ debitum persolvens, in *Warnhem* sepelitur.

C. 105. Suercherus jun. Caroli fil. R. Canuti filios (excepto Erico in Norvegiam effugiente) in ultionem patris tollens, subditos exasperavit. Cujus subsidia Danica, licet maxima ad *Lena* in Westrogothia cæsa sunt, ut ne nuncius cladi superfuerit. Ipseque Rex iterum post biennium una cum auxiliis Danicis profligatus occubuit.

C. 106. Ericus X. Canuti filiam R. Dan. Waldemari Rechissam conjugem duxit. Cumque 7 annis pacate & feliciter rexisset in patrio monumento conditus est.

C. 107. Johannes I. Suercheri filius a mansuetudine mitis dictus; Clero ut parens benignissimus. Post triennale imperium in *Wisingzœ* obiit, in *Alvvastra* sepultus.

C. 108. Ericus II. cogn. balbus R. S. Erici abnepos, cui 3. erant sorores, Helena Canuto Folkungo nupta, qui regnum agitans, R. ad *Ollestræm* fudit; mox à Rege juxta *Sparsætra*, ad internecionem suæ prosapiæ, cum asseclis victus. 2. Martha Nicolao *Sparre* de *Tofta*: 3. Ingri. D. Birgero *Jarl* locata fuit. Hujus fideli opera Rex utiliter in Repub: usus est. Quo Duce etiam Tawastos subjugavit.

C. 109. Waldemarus Birgeri *Jarl* filius prius, primum invidente, mox annuente patre puer Rex eligitur. Sed parens minorennis tutelam regnique curam laudabiliter egit. Nisi quod Folkungos perfide extirpavit. Waldemarus rerum potens, ob vitæ turpitudinem populo exosus, a frat. Magno dejicitur, & Nycopiæ in captivitate moritur.

C. 110. Magnus II. cogn. *Ladulaas*, (quod Horrei sera; quod

quod tam rigide justitiam servarit, ut vel absque sera & claustro horrea tuta essent,) fratri, post diuturnas simultates, successit; armorum exercitiis & justitiæ administratione subditus gravissimus extitit. Unde in *Wisingzo* expirans, ab ipsis Holmiam humeris deportatus fuit; & in templo Franciscanorum sepultus.

C. 111. Birgerus II. Patri succedens, sub Tutore Torchillo Canuti (qui ei Careliam subjecit) felix regnum habuit. Ipse facinoribus parum clarus. Crudelissimum in fratres parricidium Nycopiæ commissum, exilio in Dania misere absumptus, filiique Erici insontis jugulati nece, luit.

C. 112. Magnus III. Erici in carcere perempti filius, prædecessoris ex fratre nepos, cogn. *Smek*, tertium vix egressus ætatis annum, Rex eligitur: Tutore & R. administratore Matthia Ketelmundi felix. Defuncto avo materno in R. quoque Norvegiæ succedens. Blankam Gallicam duxit: Ex qua suscepti Haquinus Norveg. R. & Ericus patri ordinibus inviso in R. Suec. & Goth. surrogatus vel adjunctus. Qui a matre Blancha veneno extinctus est. R. Magnus ab Alberto Meckelb. a primatibus quibusdam accito, in captivitatem detrusus est. Posteaque apud Norvegos in aquis *Bolmfiord* suffocatus.

C. 113. Albertus Mecklenburgensis Magni ex sorore Euphemia nepos; ejecto avunculo in Reg. eligitur. Sed avaritia & exactionibus subditis nimis onerosus, multis ad Margaretam Dan. Regis Norvegiæ Haquini viduam spectantibus; Contra illam pugnans deseritur, capitur, & quod fecit antea avunculo, septennium in carcere detinetur.

C. 114. Margaretha olim R. Magni *Smeek* nurus, Dan. & Norv. Regina, Alberto victo & regnum ejurante, communibus suffragiis Reg. a Suecis electa fuit. Quibus etsi minus æqua & juramentorum immemor, diu tamen præfuit. Hujus tempore Unio illa trium horum regnorum facta est, ea lege, ut Sueci ac Dani per vices

in

in novi Regis electione primum votum obtinerent; sed temeritate & arrogantia Danorum, (ut Erpoldus a Lindenbruch fatetur) pacta non servantium, irrita evasit.

C. 115. Ericus XIII. Pomeranus Margaretæ ex sorore nepos, ob inexplebilem suorum avaritiam & tyrannidem Sueciæ regno; (ut Daniæ & Norvegiæ propter continua cum Slesvicensibus & Hansis bella) pulsus est.

C. 116. Christopherus Erici ex sorore nepos, Danis immodice commendantibus, Rex Suec. eligitur; Sueciæ thesauros abducens, in mari perdit. Et post decennale regnum moritur.

C. 117. Carolus VIII. Eques Suecus ex Finnlandiæ famil. natus, teste Johan. Magno lib. 22. c. 14. & R. Marschus a Sueciæ ordinibus, exteros Reges non immerito fastidientibus, R. eligitur. Heros eloquio, eruditione & fortitudine pollens: Sed novercante fortuna, ter patria pulsus; iterumque reductus; Tandem Rex potens Sueciæ, Gothiæ & Norvegiæ, Holmiæ moritur, ibique sepultus est.

C. 118. Christiernus I. Com. Oldenburgicus factiosorum quorundam ope, pulso Carolo in Sueciam vocatus, coronatur. Sed cum pactis non staret, Carolus Dantisco reducitur; Et Christiernus pellitur. Mortuo autem Carolo Illustriss. Dn. Steno *Stvvre*, ex sorore nepos, Regni Gubernationem felicissime suscepit: Qui Christiernum ad Holmiam ingenti clade affecit, regnoque ejecit.

C. 119. Johannes II. Christierni filius iterum artibus Danicis, adjutoribus etiam Suecis quibusdam, vivo Stenone Rex coronatur. Sed cum Calmaria promissa non servaret, ab eodem fortissimo Stenone excluditur. Gubernationem vero Regni ac defensionem mortuo Stenone Seniore, Suante ejusque filius Steno Junior, successive laudabiliter sustinuerant.

C. 120. Christiernus II. Johanni filius, Imperatoris Ro-

Romani Caroli V. affinis, cujus ſororem Iſabellam in Conjugem duxerat, ope Archiepiſcopi Ubſalenſis, Dn. Guſtavi *Trolle*, idque maxime in odium Stenonis, cui hic infenſus erat, nec non Dn. Matthiæ Lilia, Epiſcopi Stregnenſis, cui ſe poſtea crudeliſſimum & ingratiſſimum præbuit; aliis licet ſinceris patriotis reclamantibus, & hunc ſe non magis fidelem ac juramentorum obſervantem habituros, quam antea Majores ejus Dan. Reges fidos atque pactorum memores habuerunt, facile prævidentibus; diris tamen juramentis, largiſſimisque promiſſionibus intercedentibus, Rex etiam Sueciæ coronatus eſt. Turpiſſima ejusdem in Dn. Stenonem ingratitudo, inaudica & plus quam ferina in hujus cadaver, jam diu antea ſepultum, feritas; fluxa fides in obſidem D. Guſtavum, D. Erici Johannis de *Graſſenaas*, Regni Senatoris filium, poſtea Regem; Immanis in Regni Magnates & nobilitatem Suecanam, omnesque melioris notæ cives, ſine diſcrimine ordinis, conditionis, meritorum aut ætatis exercitata crudelitas, quam laniena Stockholmenſis contra omnia pacta & juramenta, in horrorem indigenarum & exterorum demonſtravit, vix Regem ſalutatum mox regno indignum fecit. Ipſe autem poſt multos errores, variisque tentatis, diuturno carceris ſqualore vitam in Dania finivit.

C. 121. GUSTAVUS I. Regis Caroli VIII. cognatus & Suantonis ſenioris e ſorore nepos, ex captivo Rex factus, patriam Danorum tyrannide liberavit eosque maſcule ejecit, Biblia Suetico idiomate evulgari curavit; Evangelicam religionem introduxit, clericorum potentiam imminuit; Regnum ſuis hereditarium fecit; ſeditioſos compeſcuit; Diuque nimirum quadraginta annis, feliciſſime regnavit. Cujus heroica geſta ex Chronicis & hiſtoria ejusdem, quæ omnium manibus teruntur & in aprico ſunt facilime peti poſſunt.

C. 122. ERICVS XIV. Guſtavi I. ex Catharina electoris Saxoniæ filia primogenitus, primus R. hereditario

rio jure ſuccedens; Corporis ingeniique dotibus plurimum valuit. Incredibili enim fuit membrorum agilitate, nec non ſpecioſa corporis forma. Eruditioneque excelluit, linguarum & Aſtronomiæ peritiſſimus: Triumphis etiam contra Danos & Lubecenſes inclaruit. Sed ob graves demum ſuſpiciones, injurias fratri illatas, & crudelitatem in Regni Proceres, corona exutus carceri mancipatus eſt; in quo etiam extinctus.

C. 123. JOHANNES III. Guſtavi I. e Margaretha *Leyonhuffuvud* Sueca ſecundogenitus, fratri ob furorem depoſito, ſurrogatus pacifice regnavit. Polon. R. Sigismundi ſororem duxit; unde & pontificiæ religioni magis favebat.

C. 124. SIGISMVNDVS ante Patris obitum Rex Poloniæ factus, ipſi defuncto in Regno Suec. ſucceſſit. Sed cum ille in Pontificia doctrina educatus, à noſtris ritibus alienior; forum Suecis in Polonia ſtatueret; conditiones in quas juravit, non ſervaret; patriamque infeſtis armis peteret; ei prorſus ejuſque poſteris renunciatum fuit.

C. 125. CAROLVS IX. item Guſtavi I. filius, Sigismundi Patruus, Regni in ejus abſentia Gubernator; ægre tandem paſſus eſt ſibi Coronam imponi. Cum ſcilz. reconciliationem & honeſtas conditiones fruſtra tentari videret. Rigidus Princeps fuit; bello fortis & in plebem benigniſſimus: Indeque tutior. Contra Moſchum, Polonum & Danum ſimul arma ſtrinxit. Et inter medios tumultos morbo occubuit: anno 1611.

C. 126. GVSTAVUS II. ADOLPHVS M. Caroli filius; Cujus Heroica geſta, nullus orbis angulus ignorat; omnes ſtupent. Danum objecta offa depulſit; Ruthenum & Moſchum in ordinem redegit, & perpetuam pacem inire coëgit, Polonum fatigavit. Et ad inducias ſex annorum paciſcendas compulit. Imperatoris Romani vires perfregit. Univerſam ferme Germaniam vix ſeſquianno, milite Cæſarino liberavit: tantaque celeri-

tate hostem dejecit; ut non immerito de illo dici possit: *Venit*, *Vidit*, *Vicit*. Nunquam victus ex acie fugit; etiamsi innumeris præliis ab ipsis ephebis, Dux etiam interfuerit. Tandem post ereptas tot Cæsarianis Urbes, tot munitiones; toties fugatum hostem, imo sæpius aperto marte in acie victum ac prostratum; In cruentissimo prælio ad Lutzenam, non procul à Lipsia, 6 Nov. Ann. 1632. fatali globo tactus, multisque vulneribus confectus, at haud inultus, utrumque enim sclopetum in hostem, jam tum exploserat;) occubuit. Ita Imperator stans, imo militans, & victoriam reportans, mortuus est. Qualem vitæ exitum à familiaribus auditus est sibi jam diu antea exoptasse. Nimirum, ut in acie potius quam lecto, lenta ægritudine, occumberet: ita tamen, ut victoria apud suos maneret. Cujus voti laudatissime compos factus est. Incredibile sui apud omnes desiderium relinquens. Id mirum: nunquam adhuc certo constare potuisse, cujus manu interfectus sit. Nec extitit, qui dicere auderet. Ego GUSTAVUM M. sustuli. Tota posteritas in ejus gestis enarrandis occupabitur. Et multa passim occurrunt ejus encomia; Ego hic duo tantum Epitaphia brevitatis causa citabo; quæ ab hostibus & exteris consignata sunt.

I.

Jacet in hoc tumulo
GUSTAVUS ADOLPHUS
Summus Rex
Summus fortunæ ludus,
Summus fortunæ domitor.
Natus
Ut nunquam dormiret,
Ut nunquam quiesceret:
Ut
Diutius, Longius, Latius
Regnaret.
Non hostili manu;

Sed

Sed fortunæ telo
Confixus.
Si plura, si majora
Quæris,
Deum non hominem
Quæris.

Epitabhium hoc Monachus quidam Italus fecit Romæ.

III.

SONNET.

Pour le Roy de Suede.

Plus viste que l'esclair, plus craint que le tonnerre,
Portant auecque moy la terreur & la mort,
J'ay passé comme un Mars des rivages du Nort
Par tout où m'appelloit la justice & la Guerre.
L'Allemagne m'a veu briser comme du verre
Tout ce qui s'opposoit à mon puissant effort,
Et mon secours fatal luy servir de support
Lors qu'il ne sembloit plus qu'elle en eust sur la terre.
Le plus sage au conseil, le premier aux hazards
Mes vertus ont terny le lustre des Cesars
Et rendu l'univers estonné de ma gloire.
Quel siecle veid, jamais un si grand conquerant?
Vivant j'ay triomphé, je triomphe en mourant
Et choisis pour tombeau le champ de ma Victoire.

C. 127. CHRISTINA AUGUSTA, R. Gustavi M. Filia unica; tanto Parente dignissima, in quam, ut Regni successio, ita omnium regiarum virtutum chorus, hereditario jure, maximo Imperii Sueo-Gothici bono est derivatus. Quanta hujus modernæ REGINÆ Augustissimæ felicissimis auspiciis domi forisque gesta sint; & adhuc indies gerantur; quot victoriæ luculentissimæ reportatæ, quot pacis fœdera inita; quomodo reip. & Ecclesiæ prospectum; quot Scholæ, Academiæ, Gymnasia, erecta, fundata locupletata; quæ à vicinis ac remotis commoda procurata; posterias debitis elogiis deprædicabit. O utinam sera sit illa dies, nostrisque tan-

dem nepotibus nota, cui tam felicis Regiminis exitus innotescet! Tantaque Regina, Regna virtute majorum parta, suis etiam virtutibus heroicis aucta, iisdem quam diutissime conservet. Sic Suecorum salus, magis magisque vigebit, florebit, Amen.

Tot Sueci atque Gothi sunt usi Regibus: hisce
Libertate jugi, sic paruere domi.
Cuncta quidem haud arctis clauduntur gesta pagellis;
Præcipua attamen hic: uberiora alias.
Conserva, Deus alme precor, Sueo-Gothica sceptra
CRISTINÆque diu sospitet illa manus!

LIBER X.

De Religione & Ecclesiastica Administratione.

CAP. I. *De Antiquissima Religione Suec. & Goth.*

Religio, quæ princeps quidam hominis scopus; Hoc quoque non immerito opus claudat. Ea vel vera est vel falsa. Vera veri Dei cognitione & sincero cultu, primos borealium horum locorum inhabitatores imbutos fuisse, a Noacho ejusque proximis posteris viva voce, & quæ per manus tradita, diligentissimus antiquitatis indagator, D. Johannes M. constanter asserit. Quod etiam ante ipsum D. Ericus Ubsalensis in principio historiæ innuit. Atque ut ratione id non caret; Cum Nochum Theologiam & Sacros ritus humanum genus edocentem, ut Berosus ait, primi ejus successores procul dubio imitati sint: ita ex modernis adstipulatores non paucos, minimeque leves invenerat. Vide D. Jon. M. Synops. hist. c. 4. Paulin. lib. 1. c. 38. Baaz. in proloq. & lib. 1. c. 2. At non ultra alterum seculum genuina ista pietas duravit.

CAP. II. *De Prima Religionis mutatione & superstitione pagana.*

Postea Sueo-Gothos, uti & alias gentes horrenda idolomania involvit. Ubi non solum homines gestis ac meritis insignes, in Deorum numerum retulerunt, verum etiam stellis, elementis, brutis animantibus, imo lucis & lapidibus divinos venerationis cultus exhibuerunt & sacrificarunt. (Quod *Blota* dicebatur; & *Blotman*, sacrificulus: Hinc ethnica jurandi formula, adhuc senibus Gothis male usitata; *GudzBlottingen*. Et *Blotau*, devovere significat.) Tria prisco illi ævo præcipua fuere numina, quæ in deauratis statuis Ubsaliæ adorarunt; *Thor*, qui cœlo, fulmini (hinc adhuc *Tordân*, tonitru dicitur) tempestatibus, & annonæ præesse creditus. A quo etiamnum dies Jovis, *Torsdagh* vocatur. *Oden*, quem Othinum vocant, alii Wodanum, galea & ense munitus, bella moderari putabatur, a quo dies mercurii *Odensdagh* nominatus. Et *Frigga*, (unde colus veneris *Friggerack* appellatur) muliebri specie, deliciis, connubio & proli conciliandis potens habebatur. Thoroni igitur pro frugum copia & annonia; Othino pro victoria & laureis; Friggæ pro auspicatis nuptiis & felicitate liberorum sacra faciebant. Prout Ericus Ubsal. Joh. M. Ol. M. Adam. Brem. Messen. aliique fuse exponunt. Idem & Bremensis & cæteri de famoso luco Ubsaliæ tum Sacro ubi homines & animantia reliqua sacrificata suspendebantur; in loco, ubi nunc est Templum S. Trinitatis. Templum vero paganum quam auro fulgens, quamque celebre fuerit vel vulgo constat. Nono quolibet anno ex universa fere Europa, & ipsa græcia, Ubsaliam cultus divini causa olim commearunt & votiva in Sueciam transmiserunt: Maxime postquam aurea Othini statua Byzantium transmissa, cunctos sui admiratione implevit: Diuque inter reliquas Deorum imagines asservata, & non sine veneratione ostentata est. Ut fusius

Suaning. l. 3. comment. de reb. gest. Dan. exponit. Fuerunt & alii minorum gentium Dii; utpote penates, & lares domuum atque ædium; genii locorum &c. quales alii quoque populi agnovere; ut ex Curtio lib. 3 patet. Plurimumque nomina vid. Vitis aquilonia Vastovii: Epist: dedic.

Fuerunt & Fennis olim sui Deastri, ut Carelliis *Rongothens*, secalis; *Pellonpecko*, hordei; *Wieracannos*, avenæ sationi favens; *Egres*, olera, pisa, rapas, linum, cannabimque protegere creditus est. *Ucko* cum conjuge *Ranne*; tempestatibus præesse. *Kakre*, qui ad hæc tempora a multis superstiose colitur, pecudes a bestiis protegere, *Hyse* lupis & ursis imperans. *Nyrcke* sciurorum, *Hittavanes* leporum venationi favere. Tawasti colebant, *Tapio* venationum Deum: *Achtes* piscationum, *Lieckii* lucorum; *Turisas*, bellorum & victoriæ. *Crattes* opum, *Tonthus* larium, *Rachkis* nocti præesse & lunam arrodere putabatur. Quæ vana numina Sigfridus Aronus metrice descripsit. Cujus Carminis copiam benigne communicavit Generosus Dn. *Joannes Kurck*, R. Sen. & Præses Aboici Parlamenti &c. Sed hic inserere brevitas vetat.

Fenni etiam olim juxta Asiaticam religionem, ut habet Sturleson: Diis suis inter quos *Thor* eminuit, quotannis stata Sacra celebrarunt, ingentibus conviviis; ubi schyphis ethnico ritu benedixerunt, boves & equos immolarunt, sanguine sedilia inunxerunt: Autumno, ut tolerabilem hyemem experientur; media bruma atque æstate, tum pro felici annona tum pro pace obtulerunt. Ingentes quoque lapides, densas ac proceras arbores pro Diis coluerunt. Item excelsam statuam manufactam, intusque excavatam scamno insistentem: Et malleum manu tenentem: Cui indies cibum ingesserunt. Hanc ad cultum rustici in apricum portarunt; auro & argento ornatam in medio collocarunt. Eique flexis poplitibus & corporis inclinatione venerationem exhibuerunt. O fraudes Diaboli hominumque stultitiam!

Hu-

Hujusmodi etiam ſtatuas in deſerto ſub ingentibus ſaxis repoſuerunt; & juxta thecam incantatoriam; ex qua aperta ingentes muſcæ cœruleæ, (velut in Sacris Baalzebub Muſcarum Deus, ipſe Diabolus audit) egrediebantur, ut habet Chron. Norv. Quas incantantes quotidie ad expediunda negocia hominibus aut pecudibus, a quibus laceſſiti, nocere; ventos excitare, rupes experimenti cauſa disjicere &c. Tales thecas ſingulæ familiæ habuerunt, & in hereditate acceperunt. Hisque artibus teneram etiam ætatem informarunt. Ita edocti, quæ peregre agerentur, humi per horulam exanimis ſimiles proſtrati, livore ac nigrore faciem occupante, reſurgentes denunciarunt. Nodis traditis ventos vendiderunt. Hominum frontem in cervicem retorſerunt. Saxa natare fecerunt. Quæ & ſimilia, ab Ethnicis ſine commercio Satanæ expediri nequeunt. Sed de iis ſuperſtitionibus hic ſatis.

CAP. III. De Secunda Religionis mutatione, & Chriſtianæ introductione.

Nono demum a nat. Chr. ſeculo, quantum ex hiſtoriis noſtris colligere licet, pagana illa ſuperſtitio in Suecia nutare incepit: Cum R. Bero ſive Biörno 4. a ſibi confœderato Carolo M. Imp. Rom. ejusque filio ſucceſſore Ludovico concionatores Verbi Cœleſtis ex Germania impetravit. Primo Heribertum ſeu Herbertum, (al. Rembertum) qui templum Lincopenſe fundaſſe ſcribitur: Deinde & Ansgarium. Vocavit quoque R. Stenchillus ſive Ericus IIX. verbi divini præcones Adalvardum & Stephanum; ſed exiguo ſucceſſu: Cum pertinax populus idola mox deſtrui ægerrime ferret, ideoque ſeditionem moveret. Miraculum Adamus Bremenſ. & ex illo alii, commemorant; cujus occaſione harum gentium converſio haud parum promota: Nimirum, ut ſacrificulus paganus, cæcitate percuſſus, nec quicquam adjuvantibus idolis, utcunque invocatis, virgi-

nem in somnio viderit, quæ visum promitteret, dummodo in suum filium crederet. Ille mox conditione accepta & impleta, quid sibi contigerit, referens, multos secum ad Christianam religionem convertit. Filius igitur tandem Stenchilli R. Olaus *SkottKonung*, per S. Sigfridum ex Anglia accersitum decimo a nativ. Chr. seculo felicius rem aggressus est. Ideoque & hic vulgo primus Rex Christianus numeratur. Atque ab hujus temporibus Sueci Gothique Christiano nomini constanter adhæserunt, illudque ad vicinos propagarunt. Extiterunt & non pauci alii ad Sueones Gothosque Apostoli, præter enumeratos, utpote Unnus sive Unno ad Bircenses, Simon ad Sigtunenses; Æschillus & David &c. ex Anglia. Item nuncii & nundinatores indulgentiarum Pontificiarum: Nicolaus Cardinalis Anglus Eugen. III. Guilhelmus Cardinalis & Episcop. Sabinensis Gregor. IX. An. Chr. 1240 Legatus: Guido Cardinalis Urban. IV. An. Chr. 1260. Antonius Mast A. Ch. 1439. Marthinus I. U. D. An. Chr. 1462. Bartholomæus de Camerino, Innocent. 8. Leg. tempore D. Stenonis *Sture* senioris: Johannes Angelus Arcimboldus Ann. Chr. 1516. &c. De quibus & aliis vid. D. Messenii Chron. Episcop.

Monasteria etiam olim in Suecia ac Gothia non pauca fuerunt; quæ Vastovius hoc ordine recenset. Abogiæ Virgin. Cœnob. An. Chr. 1370. fundatum a Joann. Episcop. Aboënse. Alvastræ Fratr. Ord. Cist. dictum S. Mariæ de Alvastra, a Suerchero R. erectum ann. Chr. 1150. Arbogiæ, I. Frat. Ord. S. Francisci a R. Magno *Ladulaas* fund. 2. frat. ord. Prædicatorum. Arosiæ frat. ord. Præd. Askaby fr. ord. S. Francisci. Calmariæ frat. ord. Præd. ab Erico II. fundat. Corsense in Alandia Virg. a Berone Balk Episc. fundat. Crokeek super *Kalmarden* fratr. ord. min. S. Francisc. Cronabek fratr. Hospitalis S. Joannis.

Cumblaboda in sylva Tiweden frat. Eremitarum S. An-

Antonii. Eckholm in insula lacus Meleri fratr. Enecopiæ fratr. ord. min. S.Franc. Æschilstunæ fratr. Hospitalis S.Joannis. Gevaliæ fratr. Gripsholm Carthusianorum a Stenone Sture fund. An. Chr. 1491. Gudhecm Virg. a. S. Guda Regina erectum an. Chr. 1054. Gudvalda frat. ord. Cist. Husaby frat. ord. Cisterc. Junecopiæ fratr. ord. S. Francisc. Julita dictum S. Saba fratr. ord. cisterc. a R. Carolo inchoatum. Kiöping fratr. ord. Lincopiæ fratr. ord. min. S.Francisc. a R.Magno *Ladulaas* fund. Ludosiæ frat. ord. S. Franc. *Luræ* in Wermelandia frat. Mons Mariæ Virg. a Magno *Ladulaas* fundat. *Munkatorp* in Vesman. frat. S. Davide Abbate celebre. *Nadendaal* seu Vallisgratiæ prope Abo. 1. Virg. ord. S. Brigittæ. 2. Fratr. ord. S. Brig. fund. a Magno Ol. Episc. Aboënsf. A. C. 1425. Nycopiæ fr. ord. S.Franc. Nydaal fratr. ord. Cisterc. a Giffone Episcop. Lincop. fund. A. C. 1151. a R. Suerchero locupletatum. Oerebro fr. Carmelitanorum. Oeregrund frat. Raumæ frat. ord. Prædic. Ravaliæ 1. Virg. ord. S. Brig. 2. fratr. ord. S. Brigit. Risabergæ Virg. a R. Suerchero fund. Rooslagh in Upl. Fratr. Scheningiæ 1. Fratr. ord. Præd. ab Erico II. fundat. a Magno *Ladulaas* locupletatum. 2. Virg. ord. S. Dominici a S. Ingride fund. Sigtunæ fratr. Ord. Præd. a Jarlero Archiepisc. Ubsal. fund. A.Ch. 1234. Schogh Virg. ord. Cist. in lacu meleri. Scaræ 1. frat. ord. Præd. 2. frat. ord. min. S. Francisc. Stockholmiæ 1. fratr. ordin. Præd. 1270. 2. Virg. S. Claræ a R. Magno *Ladulaas* fund. A. C. 1285. 3. fratr. ord. min. S.Francisc. ab eod. fund. 4. frat. Hospitalis S. Joann. 5. confraternitas & capella S. Georgii. Stregnesiæ fratr. ord. Prædic. Suartsiö fratr. Carthusianorum. Sudercopiæ 1. fratr. ord. min. S. Franc. 1. Domus S. spiritus & confrat. Varnamo in Vermelandia frat. Vastenæ 1. Virg. ord. S. Brig. 2. frat. ord. S. Brig. Varnhem. frat. ord. Cist. a Carolo R. fund. A. Ch. 1186. a Canuto S. Erici fil. locupletatum. Ubsaliæ 1. fratr. ord. S. Franc. 2. frat. ord. præd. Wexio frat. min. ord. S. Franc. Vi-

burgi 1. fratr. ord. S. Franc. 2. fratr. ord. Prædic. Visby in Gothlandia Lincop. Diœces. Frat. ord. Præd. Wretæ Virg. ord. cist. a R. Carolo fund. Memorabilis est Epistola Vadstenensium monialium, qua pecuniam ex singulis capitibus sub universo imperio Sueo-Gothico postularunt. Sed brevitas hîc inserere prohibet.

CAP. IV. De Tertia mutatione, & Evangelica Religione introducta.

Tertia demum & ultima Religionis mutatio proxime superiori seculo contigit auspiciis R. GUSTAVI I. cum discussis tenebris eorum temporum clara Evangelii lux emicuit. Contra quam fraudulentum INTERIM, Anabaptistici furores, Pontificiorum machinationes, aut Calvinianorum tentamina, hactenus, per Dei gratiam, in patria nostra nec quicquam potuerunt. Quin non tantum juxta testamentum & Unionem Gustavi I. verum etiam Concilium Ubsalense A. 1593. Variaque Regni Ordinum Decreta, & ipsam Regiminis formam, sinceram & incorruptam Evangelii Doctrinam ex fontibus prophetarum & Apostolorum deductam; Symbolisque Apost. Nicæno & Athan. comprehensam secundum invariatam Confessionem Augustanam amplectimur ac profitemur. Qui secus fecerit, pro putido regni membro habetur. Atque hic est unus concordiæ & unionis, laudabilisque Regiminis modus arctissimus, Una & Vera Religio.

Nunc aliqua de Episcopis tam Romano-Catholicis quam Evangelicis.

CAP. V. De Episcopis & Archi-Episcopis Ubsalensibus.

Episcopi Suecis ac Gothis, sub primordio religionis Christianæ, alii non fuerunt quam Hamburgensis & Bremensis, qui hîc etiam divini cultus curam gesserunt. Postea septem Episcopatus hæc regna diu agnoverunt;

verunt: Qui tamen nec plures sunt, ut mox patebit. Inter quos semper eminuit Ubsalensis. Ubi primus Episcopus perhibetur fuisse, Suerinus, qui in supplantanda idolomania multum præstitit.

2. *Nicolaus*, sub pio Rege Ingone IV. feliciora tempora nactus; cujus fata mox secutus est.

3. *Sueno*, internis discordiis obsistens, Suercherum II. ad solium promovit, a quo vicissim in religionis propagatione adjutus est.

4. *Henricus Anglus*, A. 1148. in Episc. Ubsalensem consecratus, post biennium R. Suec. Ericum in Fenningiam comitatus est.

5. *Kopmannus*, non minus pius ac virtuosus Episcop. mœrore ob necem S. Erici A. 1162. obiit.

6. *Stephanus*, primus Archiepiscopus Ubsalensis salutatus, a Suecis electus, ab Adriano IV. approbatus, Alexandro III. confirmatus est. Vir pius & religiosus, post multos labores senio & morbo confectus, apud Alvastrenses, unde antea evocatus erat, supultus A. 1185.

7. *Johannes*, a Lucio III. pallium accepit, post triennium in curia Episcopali *Almerstak* ab Æsthiis trucidatus, Ubsaliæ tumulatus est.

8. *Petrus*, a Clem. III. confirmatus; itidem violenta morte periit A. 1197.

9. *Olaus Lambatunga*, ab Innoc. III. consecratus, tempore Suercheri III. vixit, quem a cæde nepotum S. Erici dehortatus. A. 1200. obiit, Ubsaliæ quiescit.

10. *Walerius* ab eodem Papa constitutus anno 1219. mortuus est.

11. *Olaus* ab Honor. III. præfectus an. 1234. moritur.

12. *Jerlerus*, a Greg. IX. consecratus, ab Erico Balbo multos canonicatus, præbendas, stipendia & privilegia impetravit. Hujus tempore clero Sueciæ matrimonio interdictum est.

13. *Laurentius*, ex Monacho Archiepiscopus factus, pius & Zelotes tempore Birgeri *Jarl* quinquennium

præ-

præfuit. Apud fratres sui ordinis Enecopiæ sepultus est.

14. *Falcho*, nobilis genere ex Archidiacono Archiepiscopus, multa præclara gessit; 8. Canonicatus instituit: Sedem Archiepisc. & templum a priori loco in eum ubi nunc sunt transtulit. Anno 1277. vita excessit.

15. *Jabobus Erlandi*, a Nic. III. pallio ornatus, post multos labores Ann. 1281. mortuus est.

16. *Johannes Adolphi*, vir doctissimus; qui licet legitime electus, hanc tamen dignitatem respuit.

17. *Magnus Boëtii* pariter suffragiis electus. Cui post septennium mortuo

18. *Johannes* Aboënsis Episcopus surrogatus. At cum hi tres a Pontif. confirmati non sint, sedes Archiepiscopalis per 14 ann. vacasse vulgo scribitur.

19. *Nicolaus Alonis*, eruditione insignis, a Bonif. VIII. pallio condecoratus: Tempore Birgeri R. præclare rem gessit. Anno 1305. inter vivos esse desiit.

20. *Nicolaus Catilli*, antea Arosi. Epioc. a Clem. V. confirmatus. dolore ex dissidiis Regis ejusque fratrum extinctus ann. 1313.

21. *Olaus sapiens*, a Johann. XXII. pallio donatus, etiam tempore exilii R. Birg. officio graviter functus. A. 1330. vita defunctus est.

22. *Petrus Philippi*, cum aliquamdiu Archiepiscopum bene egisset, sponte resignans inter Dominicanos Sigtuniæ concionatur; donec A. 1341. moritur ibique sepelitur.

23. *Hemmingus*, antea Præpositus Arosiensis, vir Patriæ amans & cordatus; Scaniam a Teutonis gravissime pressam liberavit & 70. mill. libr. argenti puri pond. colon. redemit. Decennio abhinc mortuus ann. 1355.

24. *Petrus Scheningensis*, literalissimus a Lincopensi ad Ubsalensem sedem translatus; a Clem. VI. confirmatus: sub R. Magno III. multa perpessus, an. 1366. extremum diem clausit.

25. *Birgerus Greg.* admirandæ eruditionis ab Urbano V.

V. consecratus; S. Brigittam in Sanctorum numerum referri curavit; ejusque Legendam conscripsit. Interque vivos esse desiit. 1383.

26. *Henricus*, ab Urbano VI. pallium accepit, tempore Margarethæ & Erici Pomerani; cum prudentiam ac animi robur ostendisset, obiit 1408.

27. *Johannes Gerechini* Danus, ope Erici Pomer. a Greg. XII. confirmatus: ob enormia scelera postmodum dejectus: In Islandia a rusticis trucidatus est.

28. *Johannes Haquini*, e Vastenensi cœnobio ad Episcopale pedum vocatus; quod procurante eodem Erico Pom. a Mart. V. accepit. Etsi natura mansuetus: attamen cum nullis apud Regem monitis locum esse videret, Engelberto autor fuerat ut arma corriperet. An. 1431. extinctus est.

29. *Olaus Laur. Trægdius*, Parisiis ad summum eruditionis culmen pervenit: ab Eugen. IV. legitime consecratus R. Ericum infensissimum habuit. Qui eum exclusit. Arnoldum Norveg. substituens, & hoc mox exspirante Torlachum. Sed is aufugit & Olaus magno cum gaudio restituitur. Mortuus anno 1438.

30. *Nicolaus Ragvaldi*, eruditione & prudentia incomparabilis; quod in Synodo Basiliensi, jam tum Wexionensis Episcopus, edocuit: Regum Sueo-Goth. præ aliis præeminentiamque demonstravit. Ubsalensibus Archiepiscopis alios Episcopos creandi potestatem primus conciliavit. Obiit anno 1448.

31. *Joannes Benedicti de Salestad* famil. *Oxenstiern*. ob virtutes & eruditionem electus, a Nicolao V. confirmatus est. Carolum VIII. in septennale exilium egit; Ipse mox a R. Dan. Christierno I. quem imprudenter accersitum coronavit, in captivitatem detrusus. Sed uterque virtute Catilli Episcopi Lincopensis liberatus est. Obiit in Oelandia A. 1462.

32. *Jacobus Ulphonis*, item illustri loco natus, invito R. Carolo pallium a Paulo II. accepit. Annis 40. lauda-

biliter

biliter præfuit. Tandemque in favorem consanguinei Gustavi *Trolle* munus resignavit. Postea 8. annis privatus vivens mortuus est A. 1522.

33 *Gustavus Trolle*, summo loco natus, nec eruditione parum instructus: dissidii cum Stenone R. Gub. & conspiratione cum Christiern. Dano Patriam afflixit, seque ipsum perdidit. Extra patriam mortuus, anno 1535.

34. *Johannes Magnus*, nobili stemmate, a Leone X. ut & antecessor, confirmatus: Cum in reformationis negotio R. Gustavo I. obstaret, Archiepiscopatu excidit. Eruditio & prudentia ex ejus scriptis & historiis passim notæ. Obiit in egestate Romæ A. 1544. Cui frater Olaus a Paulo III. successor creatus: Sed a nemine in Suecia pro Archiepiscopo agnitus est. Atque isti Episcopi & Archiepiscopi omnes Pontificiæ Religioni addicti fuere.

35. *Primus Evangelicus Archiepiscopus M. Laurentius Petri Neric.* ex Rectore Scholæ Ubsal. plurimis Cleri suffragis & R. Gustavi consensu electus est. Magno in propagatione Evangelicæ religionis ei adjumento fuere Olaus P. frater & Laurentius Andreæ. Is Biblia in Sueticum transtulit, R. Ericum & Johannem coronavit. 40. annis præfuit. Mortuus anno 1573. ætatis suæ 74.

36. *Laurentius Petri Gothus*, tempore R. Johannis III. a Wexionensi & Aboënsi Episcopis Pontificio ferme ritu creatus est. Gliscente Lithurgia collusionis suspicionibus non caruit. Mortuus Ubsaliæ Anno 1579.

37. *M. Andreas Laur.* cum Gevaliensis Pastor in Liturgia pronior videretur, Regis favore primum Episcopus Wexionensis, deinde & Ubsalensis Archiepiscopus est declaratus sed morte præventus Anno 1591. obiit.

38. *M. Abrahamus Andreæ Angermannus* antea Schol. Holmensis Rector, multa a R. Joh. ob religionem passus. Vir magni & constantis animi: Sigismundum coronaturus Archiepiscopus declaratur A. 1593. Non multo post indignationem Principis Caroli incurrens

carceri

carceri mancipatur & Grypsholmii moritur An. 1607.

39. *M. Nicolaus Olai Both*, celebris S. Theologiæ Professor; in Ubsalensi concilio cum laude præsidem egit. Electusque est Archiepiscopus A. 1599. sed inaugurationem mors præoccupavit.

40. *M. Olaus Martini*, 10. ann. Nycop. Sch. Rector & 7. ann. ibidem Pastor An. 1602. Archiepiscopus salutatus, septennio post obiit.

41. *Doct. Petrus Kenicius*, primum Profess. Ubsal. dein Episcopus Scarensis, tandem ab Ann. 1609. ad 1636. magna cum laude, gravitate & moderatione Ubsalensis Archiepiscopus extitit.

42. *Doct. Laurentius Paulinus Goth.* Item olim Professor Ubsal. postea diu Episc. Stregnensis, & denique Archiepiscop. Ubsal. ab a. 1636. usque ad 1647. graviter præfuit.

43. *Doct. Johannes Canuti Lenaus*, diutissime S.S. Theologiæ Profess. Ubsal. & tandem emeritus. Kenicii gener & fidus Achates. Vir constans, gravis ac cordatus: Qui adhuc hodie Archiepiscopatui præest. Utinam diu & feliciter! Amen. (Obiit m. Apr. A. 1669. æt. 96.)

CAP. VI. De Lincopensibus Episcopis.

Proxima Archiepiscopatui sedes Episcopalis, propter antiquitatem, est Lincopensis. 1. Primum hic Episcopum vulgo Heribertum faciunt, de quo supra dictum est.

2. *Richardus*, regnante Erico VIII. Lincopensem Episcopatum anno 850. accepit.

3. *Gisto*, vir pietate & eruditione commendatissimus ad Episcopatum pervenit A. 1115. De cujus gest. sup.

4. *Colo*, a quo *Kolsbroo* in Ostrogothia extructa. Episcopatum A. 1190 accepit. Anno vero 1196. eundem cum vita Hierosolymis reliquit.

5. *Johannes*, in vita virtutibus clarus; Morti vicinus erga Ecclesiam liberalissimus. A. 1211. Episcopus confirmatus est.

6. Ca-

6. *Carolus*, frater D. Birgeri *Jarl*, justitia celebris; contra Professionem in bellum tendens, a Moschovitis cæsus est Anno 1220.

7. *Benedictus*, præbendam D. Nicolai & Canon parœciam fundavit, præfuitque an. 12.

8. *Laurentius*, A. 1232. Episcopatum nactus S. Laur. Præb. erexit: Et apud R. Eric. 11. Scheningiæ & Calmariæ cœnobia procuravit.

9. *Henricus*, Anno 1258. Episcopus factus; R. Waldemarum coronavit. Et post 24 Episcopatus annos ad S. Sepulchrum profectus, in itinere vitam finivit. An. 1282.

10. *Colo*, A. 1284. surrogatus, (cum triennium ignorata antecessoris morte, sedes vacasset) Transactionem inter Birgerum *Jarl* & Folchungos, suo juramento firmatam, quia Birgerus non servaret: ad S. Sepulchrum pœnitentiæ gratia abiit, ibique obiit.

11. *Benedictus*, D. Birgeri *Jarl* filius, ex Principe Fenningiæ Episcopus fieri voluit; fratribus ut concordes essent hereditaria bona obtulit. Quæ, impos voti, Lincopensi Ecclesiæ reliquit.

12. *Laurentius*, à S. Sepulchro redux Episc. electus est. Sed brevi tempore supervixit.

13. *Carolus Beat*, nob: S. Sigfridi & Erici præbendas constituit: Justitiæ & pacis amans. Mortuus A. 1338.

14. *Petrus Scheningensis*, antea Secretarius R. Magni III, posteaqua Ubsal. Archiepiscopus, ut supra dictum.

15. *Nicolaus*, itidem R. Magno III antea a secretis, Episcopus factus; Regem in Norvegiam profugum comitatus. Bonaque ejus a R. Alberto Coronæ adjecta. Bohusii vitam finivit.

16. *Gotschalcus*, prius Romæ confessionarius, a Rege Alberto Episcopus constitutus; Abalienata prædia recuperare conatus, a viro nob. Matthia Gustavi trucidatur Anno 1370.

17. *S. Nicolaus*, Scheningiæ natus ex Archidiacono Epi-

Episcopus Anno 1374. Vir pietati & justitiæ deditissimus, Haquinum Norv. R. & Albertum Suec. justitiæ leges violantes anathemate strinxit. Cumque Præsulem 17 ann. laudabiliter egisset, moritur 1391. Paulo post in concilio Basil. Divorum numero insertus.

18. *Canutus*, Dn. Stenonis Boëtii Eq. Aur. fil. A. 1393 infelici auspicio Lincop. Episcopus est declaratus: Ob bona Ecclesiæ oppignorata & ingens æs alienum officio motus. Obiit Anno 1436.

19. *Benedictus Junecopensis*, ex cantore Præsul Lincop. cum prædecessoris heredibus contendens, post 4 ennium fatis concessit, Anno 1440.

20. *Nicolaus Kenicius Colmariensis*, Christiernum I Dan. R. in sylva *Halavvedh* repulit; Præmiumque fortitudinis, arcem ac ditionem Stegburgensem, ad terminum vitæ An. 1458 retinuit.

21. *M. Catillus D. Caroli Christier.* Eq. A. & R. Sen. fil. Anno 1479 ad Episcopatum Lincop. pervenit: Bona ecclesiæ a Canuti consanguineis ablata prudenter restituit, defenditque; Et consanguineum suum Joannem Bened. Archiep. Upsal. a captivitate Christier. I, ut supra notatum, fortiter liberavit. Holmiæ demum peste infectus obiit, Anno 1485.

22. *Henricus de Wangis*, Illustri loco oriundus; Vir pius, & templorum, cœnobiorum, aliorumque ædificiorum publicorum fundatione clarus ac magnificus. Sed ad Danorum partes adversus Carolum VIII nimis inclinans, a subditis oppressus est, Anno 1500.

23. *D. Hemmingus Gadd*, vir singularis eruditionis & Orator clarissimus, Electus Lincop. Episc. ense quam pedo clarior; struente Christierno, confirmatione Papæ excidit. Post 12 annos jussu dicti Christierni a Rolefvo Matthiæ in Fenningia captus, nequiter decollatus est, Anno 1520.

24. *Jacobus Hisp. Card. Arborensis*, a Papa Episcopus confirmatus; Sed Sueciam non vidit.

25. *D. Johannes Brask*, ex Præposito Episcopus creatus Anno 1513 Gustavo I. in religionis negocio plurimum obluctatus, Episcopatu exuitur. Quapropter ad Concilium Tridentinum properans, in cœnobio Polon: Lenda expiravit, Anno 1538.

26. *Johannes Magni de Bielbo*, pariter ex Præposito Episcopus factus Anno 1529 jam tum orthodoxæ religioni addictissimus; sed a fr: M. Thurone Lincop: Canon: ad Pontificiam retractus, resignavit Episcopatum, reliquum ætatis privatus agens.

27. *M. Claudius Danus*, monachus Scheningensis, ord: domin: vivente antecessore Vicarius est declaratus anno 1545. Quo munere aliquandiu functus, Pastor Suderc. constituitur. De cujus mirabili conversione vide Messen.

28. *M. Ericus Falk*. a Scarensi ad Lincopensem Episcopatum est promotus.

29. *M. Martinus Olai*, primum Pastor Gevalensium; Dehinc Episcopus Lincop: An. 1575. Quo honore ob contemptum Lithurgiæ excidit. Postremo Nycop. Pastor constitutus, ubi fatis concessit.

30. *M. Petrus Caroli Scheningensis*, Episcopus Lincop. salutatus est, Anno 1581. Obiit vero 1585.

31. *M. Petrus Bened. Oelandus*, Sch. Ubs. Rector, postea ibidem Professor: & hinc Sudercopiæ Pastor; Denique Arosiensis & Lincop. successive Episcopus; Oerebrogiæ e vivis excessit, Anno 1606.

32. *M. Jonas Nicolai Kylander*, Waldstenensis Pastor, ad Lincop. Episcopatum meritissime est vocatus Anno 1609. Cui laudabiliter præfuit usque ad annum 1630, quo obiit.

33. *D. Johannes Botvidi*, Regis Gustavi M. Ecclesiastes aulicus, Lincop: Episc: confirmatus est anno 1631. Vir pius, gravis, juxta ac humanus, qui re bene gesta, Regis funebri concione habita mox fata secutus.

34 *Jonas Petri Gymn. Lincop.* Lector, creatus est Episc.

A.

A. 1637. Eruditione gravitate & zelo pietatis vir conspicuus anno 1646. e vivis excessit.

35. *M. Andreas Prytz*, antea Superintendens Gotheburg. Inauguratus est Episcopus Lincop. anno 1647. Et hodie eadem dignitate potitur; utinam porro quam felicissime!

CAP. VII. De Episcopis Scarensibus.

Tertia Episcopalis sedes est Scarensis, a laudatissimo R. Olao *Skottk*. excitata. Cujus

1. Primum Episcopum ferunt Turgothum, ab Unvanno Archiepisc. Bremensi ad petitionem R. Olai consecratum: Et Bremæ postmodum mortuum, an. 1029.

2. *Gotschalcus*, Turgothi successor declaratus a Libentino II Bremensi Archiep. 1030.

3. *Asmundus*, hic primus, qui continuo Scaris mansit; Unde commodioris habitationis ergo curiam Mydelshedensem erexit: ubi & sepultus quiescit.

4. *Stenfinderus*, ob summam modestiam prudentiam, & in rebus agendis constantiam multum celebratur. In cœnobio Varnhemensi sepultus.

5. *Adalvardus Junior*, (senior enim Sigtun. Episc: fuit) Hamburgo missus Episcopatum obtinuit. Vir pius & animarum pastor fidelis.

6. *Rodulvardus Anglus*, successit, virtutum studio prædecessore minor. Qui post fata Mydeishedensi sepulchro illatus.

7. *Richolphus*, itidem Anglus, nobil: gen: Scarensem Episc. aliquandiu egit; Et Scaris sepultus est.

8. *Hedvardus*, in Anglia uxorem habuit, ad quam post paucorum annorum administrationem, Ecclesiæ Scarensis Thesauros abducens, turpiter profugit.

9. *Storbernus*, primus Scar. Episcopus nat. Gothus. Hic antecessoris vitia virtutibus superavit, & ecclesiæ bona multum adauxit.

10. *Odgrimmerus*, Ecclesiam Cathed. Scarensem ma-

magnificentius ædificatus: In qua postea requiem nactus.

11. *Benedictus*, cogn. *Probus*, Ecclesiam Scar. campanis & vasis argenteis ditavit; Ac per totam Diœcesin vias commodiores procuravit.

12. *Jerpulphus*, in villa *Hvvarff* natus, primus ex consensu R. Sen. decimas suis imperavit.

13. *Benedictus Hyrne*, ex Verengia oriundus virtutum choro conspicuus, indeque omnium suffragio Episcopus Scarensis declaratus.

14. *Bernhardus*, qui non Episcopus modo, sed Pater ob summam in quosvis benignitatem, dici meruit.

15. *Benedictus*, cogn. Juvenis; Diœcesi, ad aulam magnifice instruendam, tributis gravis; obiit in Uplandia, in Varnhem sepultus.

16. *Stenardus*, nobil. O-Gothus, Vir pietate & probitate suis commendatissimus.

17. *Laurentius*, pari virtutum splendore eminuit, egitque Episcopum Scar. annis 19.

18. *Valdemarus*, Vir eloquens & virtuosus, ann: 5. Ecclesiæ Scarensi præfuit.

19. *Rignaldus*, post annum obiit.

20. *Ulpho*, ex Abbate Varnhemensi Episcopus Scarensis factus; triennium præfuit. Scaris mortuus & humatus.

21. *Achatius*, 11 ann. Episcopatum tenuit, & Scaris exspiravit.

22. *S. Brynolphus D. Algothi Sture*, Eq. & Legiferi Westg. filius: Qui postquam 18 an. Parisiis diligentissime studuisset; Canonicum Scarensem & Decanum Lincop. egisset, tandem Episcopus Scarensis est salutatus, Quam spartam ann. 33 laudabiliter exornavit. Quinque præbendas erexit: Historiam S. Æschili & B. Helenæ Schödvikensis composuit. Obiit anno 1317. Post 99 annos in concilio Constantiensi Sanctorum Catalogo insertus.

23.

23. *Benedictus IV.* ex præposito Episcopus, Diœcesi cum applausu triennium præfuit.

24. *Ericus*, in Aclungensi parœcia natus: Cujus breve regimen fuit; Excessit Anno 1328.

26. *Petrus*, ob singularem prudentiam, ex Pastore Forensi, Episcopus Scarensis creatus. Sed cum ex oculis vehementer laboraret, successurum sibi adjutorem elegit.

26. *Gunnarus*, vivo prædecessore electus, post ejusdem fata Episcopatu potius est. Vir eloquens, eruditus industrius; Longiori vita dignus.

27. *Sigismündus Stake de Mossaboda*, nob: Kindiæ, An. 1343. Scarensis Episcopus factus: Ecclesiam æterna cum laude rexit.

28. *Benechinus*, scurra & homo levissimus: Obiit in visitatione Diœcesana.

29. *Laurentius* ex Vashogia Bergensis, trien: præfuit, Morti vicinus Ecclesiam testamento auxit.

30. *Nicolaus*, nobili loco natus, laudabiliter præfuit, & gravissimas persecutiones ad horam usque funeris fortiter sustinuit.

31. *Rodolphus*, Megapolitanus a R. Alberto Episcopus confirmatus: Divitias & ornamenta Eccles: Cathedralis scelestе subtraxit, in Germaniam aufugiens.

32. *Thorstanus ab Erichsberg*, qui etsi vitam egerit innocuam; Tamen belli cladibus ab ecclesiæ cura suspensus. Obiit anno 1396.

33. *Brynolphus*, Juris utriusque peritissimus: diu cum laude præfuit.

34. *Sigismundus*, vivente antecessore, quem loquelæ usura destituit, Episcupus consecratus: Qui itidem juris scientia multum valuit; Unde & arduis regni negociis adhibitus. Verum in ordinum comitiis a justitiæ osoribus veneno nefarie extinctus est.

35. *Sueno*, cogn. Magnus, ex Decanatu ad Episcopatum evectus, templum Scarense ornatius reddidit. Sed

ab invidis officio motus, in Ostgothiam (solum natale) secessit, ibique vitam finiit.

36. *Benedictus V.* nobili genere ortus, magnas in officio Episcopali persecutiones non sine bonorum jactura passus. Imo Episcopatu exutus, iterumque restitutus. Sed paulo post mortuus.

37. *D. Bero*, Friderici III Imp: R. diu mathematicus; Consistorii suffragio Episcopus electus, sed nunquam inauguratus.

38. *Johannes Marquardi*, Berone repulso, Episcopus est declaratus; Qui Ecclesiæ bona, non fine odio quorundam, recuperavit, Regi fidus extitit. Et inde morti succubuit.

39. *Brynolphus*, qui lapideam Husbyensem ædificari & antecessorum effigiebus, exquisitissimo colore, ornari curavit. Vixit circa annum 1427. Et post hunc series Episcoporum Scarensium, ex ann: supputatione, nonnihil interrupta videtur.

40. *Johannes*, Episcopus Scar. claruit 1470.

41. *Vincentius*, Holmiæ jussu Christierni sanguinarii, Anno 1520 capite plexus est.

42. *M. Theodoricus Slaghœck*, Danus, decollato Vincentino, a Tyranno Episcopus Scarensis declaratur. Sed crescente potentia Regis Gustavi I. profugit in Daniam, ubi Hafniæ tandem crematus est.

43. *M. Magnus Haraldi*, Episcopus insignitus est anno 1528. Sed cum R. Gustavo ex voto obsistere nequiret, profugit in Daniam, indeque in Germaniam. Et tandem in Norvegia mortuus fertur.

44. *M. Sueno Scheningensis*, ex Lectore Scarensi Episcopus factus est anno 1529. Religionis Evangelicæ studiosissimus propagator, ejusdemque primus Episcopus Scaris Mortuus 1556.

45. *M. Ericus Cervinus*, Scaris mortuus & tumulatus.

46. *M. Ericus Hvvaß*, paucis annis præfuit, Scaris occumbens.

47.

47. *M. Ericus Svvart*, qui primum Stregnensis; Dein Scarensis Præsul extitit; Postremo Ubsaliam revocatus, ubi mortuus & sepultus anno 1572.

48. *M. Ericus Falk*, brevi spatio Scarensem Episcopum egit, antequam Lincopensis Præsul est constitutus, ubi fatis concessit.

49. *Jacobus Johannis*, Westrogoth. 37 ann. Episcopatum tenuit; Excessit demum anno Chr. 1592, ætatis suæ 90.

50. *M. Petrus Kenicius*, Bothn: ad Episcopale munus pervenit Scaris anno 1595. quod feliciter, pie & prudenter gessit 14 an. Donec Archipræsul Ubs. declaratus anno 1609, ut supra dictum.

51. *Paulus Pauli*, olim Ludosensium Pastor egregius & bene meritus vir illi successit.

52. *Sueno Suenonis*, diu etiam & quiete idem munus administravit; usque ad annum 1658.

53. *D. Jonas M. Wexionensis*, vir gravis & eruditissimus, diu antea Ubsaliæ Philosophiæ & Theologiæ magna cum laude Professor, C. S. E. anno 1640. Episcopus declaratus; nunc optime præest: Utque diu & feliciter præsit animitus exopto! (Obiit 3 Apr. 1650.)

CAP. VIII. De Episcopis Stregnensibus.

Primus hic Episcopus, potius fundator, erat S. Æschillus, sub Rege Ingone IV. Martyr factus, Anno 1129.

2. *Gerdernus*, S. Æschillo successit, Anno 1131.

3. *Wilhelmus*. Episcopus pronunciatus est, An. 1176. Præfuitque laudabiliter annis 48.

4. *Amundus*, in locum ejus venit Anno 1291. Templum magnifice exædificavit: Quod eodem die, quo consecratum, flammis consumptum est.

5. *Isarus*, eodem anno, quo antecessor obiit, successit anno 1308.

6. *Storbernus*, qui fatis assumptus, an. 1342.

7. *Frendernus*, illi surrogatus, Anno 1344.

8. *Sigismundus*, qui Episcopatum rexit circa annum Chr. 1352.

9. *Turgillus*, debitum naturæ persolvit 1370.

10. *Thordo*, Episcopum Stregnens. egit an. 1380. Obiit vero 1401.

11. *Petrus*, Episc. claruit Stregn: an. 1408.

12. *Giordernus*, præfuit anno 1411.

13. *Andreas*, Episc. confirmatus est an. 1417.

14. *Arnoldus*, præsul constitutus anno 1423.

15. *Thomas*, qui Episcopatum tenuisse traditur anno 1441.

16. *Ericus*, Episcopus declaratus anno 1448.

17. *Sigismundus*, Episcopatum obtinuit 1463.

18. *Johannes Magni*, Festo ascensionis Mariæ vitam finivit.

19. *Conradus Rogge*, J.U. Doctor, Archidiaconus Ubsal. Stregnensis Episcopus creatus est, Anno 1480 optimus Præsul: Chorum primarium templo cathedr: adjecit: & domum Episcopalem lapideam suo sumptu excitavit. Obiit anno 1501.

20. *Matthias Gregorii*, nobilitate generis & singulari rerum prudentia eximius, successit anno 1501. Qui Christiernum sanguin. etiam ad sceptra Sueciæ promovit, ut esset a quo Holmiæ nefarie truncaretur 8 Nov. Anno 1520.

21. *Johannes Andreæ Dahns*, cogn. *Beldenacke*, antea Episc. Othon. a Christ. post fœdam Episcoporum Holmiæ cædem, Præsul Stregnensis est pronunciatus: Quo instigante in viros innoxios adeo sæviit. Sed, accrescente R. Gustavi I. potentia, Suecis ob nefarium consilium exosus, in Daniam profugit anno 1521. Ubi ex merito multa adversa habuit.

22. *M. Magnus Sommar*, Anno 1528 Episcopus proclamatus est. Sed Pontificiæ religioni addictior, a R. Gustavo I. nunc officio motus, nunc admotus, donec in nuptiis Regiis Anno 1536 eandem ob causam Episcopatu prorsus exciderit.

23.

23. *Bothvidus*, primus Stregnensis Evangelicus Episcopus. Qui tertio R. Gustavi conjugio, ob propinquam affinitatem, obsistens, Episcopatu exuitur. Quem, decedente Rege, recipit, & per annum tenet; donec moritur.

24. M. *Ericus Swart*, Ann. 1533. Bothvido cathedra moto, succedit. Quo iterum per Regem Ericum restituto; Scarensis Episcopus constituitur, ut supra dictum.

25. M. *Nicolaus Helsingus*, Pastor Gevalensium, ad Episcopatum evectus A. 1562. quem felici successu tenuit ad annum 1585.

26. M. *Petrus Jonæ*, Professor Acad. Ubsal. confirmatus est Episc. Streg. 1586. Præfuitque magno cum applausu ad ann. 1608. quo fatis concessit. Fuit vir eloquentissimus, gravis & constans, exilium passus cum uxore liberisque, quod Lithurgiæ sese opponeret.

27. *Doct. Laurentius Paulinus*, itidem Prof. Ubsal. consecratus est Episcpus Stregnensis A. 1609. Vir excellenter doctus, gravitate & rerum experientia clarus, anno 1637. Archiepisc. declaratus est. C. S. E.

28. *Doctor Laurentius Wallius*, primarius Theologiæ Profess. Ubsal. ei successit; sed mox morbo consumptus obiit.

29. M. *Jacobus Zebrosynthius*, olim Profess. Ubsalensis: dein Holmensis Pastor, nec diu in hac statione fuit.

30. *Doctor Johannes Matthiæ*, antea Profess. Illust. Colleg. Holmens. deinde Præceptor & Ecclesiastes Regius ann. 1643. Episcop. creatus adhuc optime isto fungitur officio; Utque diu in Ecclesiæ Christi incrementum fungatur voveo!

CAP. IX. De Episcopis Arosiensibus.

Inter Episcopos Arosienses qui ad posteritatem pervenere, primus est *Israel*, D. Johannis Angeli filius, inprimis monachus Sigtunensis apud Dominican. qui Ann. 1268. Episcopus pronunciatus; Obiit anno 1291. Sigtuniæ humatus.

2. *Petrus*, Episcopus declaratus est A. 1292. Tawastos jussu Torchilli Canuti Regni Marschi ad Christianam religionem traduxit. Verum indigne a Torchillo in exilium pulsus, perrexit Nidrosiam, ubi mœrore contabuit.

3. *Nicolaus Catilli*, postea Archiepisc. Ubs. constitututus, qui Torchillo Can. honestam sepulturam negavit, quoad decollati hæredes CL. libras argenti puri, pro injuria Ecclesiæ inlata, numerarent. Obiit A. 1314.

4. *Odgislus*. Episcopus floruit anno 1343.

5. *Matthias*, Episcopum egit A. 1378.

6. *Hartlevus*, Episcopus salutatus A. 1380.

7. *Nicolaus*, Præsul Aros. claruit, A. 1396.

8. *Petrus* Insignia Episc. tenuit ann. 1412.

9. *Olaus*, præfuit anno 1441.

10. *Achatius Johannis*, ex cœnobio Vadstenensi ad Episcopatum Aros. vocatus A. 1442.

11. *Olaus Gunnari*, dicti cœnobii Vadsten. alumnus, inauguratur Episc. Aros. ann. 1456.

12. *Benedictus Canuti*, Archidiaconus Stregnensis, Episcopus Aros. consecratus 1461.

13. *D. Birgerus Magni*, genere & eruditione clarus, Subdiaconus fuit Rom. Pontif. Præpositus Ubsalensis, Canonicus Merspurgensis, Lubecensis, Stregnensis & Aboënsis; Episcopus Arosiensis proclamatus An. 1462.

14. *Lydechinus Abelis*, ex Canonico ecclesiæ Arosiensis, ejusdem Episcopus factus 1466.

15. *Olaus Andreæ*, qui cum aliquot annos Episcopale munus gessisset, eodem gravibus de causis privatus est, Anno 1487.

16. *Otto*, diu Episcopus Arosiensis; jussu M. Theodorici *Slaghœck*, Christierni II. præfecti vicarii captus, Holmiæ in squalido carcere mortuus est.

17. *Petrus Jacobi* cogn. *Sunnanwader*, Ann. 1522. Episcopus Aros. electus: Sed ob literas ad profugos in alienas

nas regiones proditorie ſcriptas, Epiſcopatu & regia gratia excidit. Ubſaliæ deinceps capite plexus.

18. *D. Petrus Magni*, Præſes hoſpitalis, S. Brigittæ Romæ, inauguratus eſt Epiſcop. Aroſ. ann. 1524. Et denique Aroſiæ mortuus 1534.

19. *Henricus Norvegus*, Prior Dominicanorum Aroſienſium, Epiſcopus deſignatus 1535. Primus reformatæ religionis Præſul. Vir prudens & peritus; Indeque a R. Guſtavo I. rebus graviſſimis ſæpe adhibitus.

20. *Petrus Andr. Svvart*, concionator R. Guſtavi I. Vir eruditus & induſtrius, ann. 1556. Epiſcopus pronunciatus: Chronicon Rythmicum Guſtavianum compoſuit.

21. *Johannes* cogn. *Ofeg*, In ſacra cœna licere quovis liquore uti docuit; Sed a M. Laurentio Nerikio Archiepiſc. Ubſ. refutatus eſt.

22. *M. Erasmus*, ritu ferme Pontificio Epiſcopus Aroſ. eſt inauguratus Ubſal. ann. 1575. e vivis exceſſit anno 1580.

23. *M. Petrus Benedictus Oelandus*, non minus eruditione quam humanitate commendabilis: Qui cum Aroſiæ aliquamdiu Præſulem egiſſet, ad Lincopenſem Diœceſin commigravit, Anno 1589. de quo ſupra.

24. *M. Olaus Stephani Bellinus*, declaratus eſt Epiſcop. Aroſienſis anno 1589. Qui pie & prudenter munus obivit.

25. *Doctor Johannes Rudbechius*, antea Regius Eccleſiaſtes & Prof. Ubſal. publicorum commodorum ſtudioſiſſimus; anno 1646. vitam & eccleſiæ curam finivit.

26. *Olaus Laurelius*, S. S. Theol. Doctor & diu Prfeſſ. Ubſal. poſteaque Metropolis Holmenſis eccleſiaſtes laudatiſſimus: Vir eruditiſſimus atque graviſſimus, & pio Zelo ardens An. 1647. inauguratus, nunc præeſt; quod felix ac diuturnum vovi voveoque. (Obiit 1670.)

CAP.

CAP. X. De Episcopis Wexionensibus.

Episcopatus Wexionensis fundator & primus Episcopus numeratur *S. Sigfridus*, de quo supra.

2. Wexionensis Episcopus post S. Siegfridum fuit *Nicolaus*.

3. *Asmundus*.
4. *Sigvardus*.
5. *Johannes*.
6. *Richardus*.
7. *Gesto*.
8. *Colo*.
9. *Stenarus*.
10. *Johannes*.
11. *Gregorius*.
12. *Bono*, qui anno 1191. mortuus traditur.
13. *Forcundus*.
14. *Asserus*, præfuit tempore Magni *Ladulaas*, an. 1285.
15. *Boëtius*, A. C. 1343. ad Episcopatum pervenit.
16. *Thomas*, quem R. Magnus *Smeek*, cum Birgero Ulphonis, & S. Catharinæ D. Brigittæ liberis, fabricæ Vastenensis cœnobii continuandæ præposuit.
17. *Henricus*.
18. *Petrus*.
19. *Hemingus*, vixit ann. Chr. 1393.
20. *Æschillus*, ann. 1412. Episcopus claruit.
21. *Nicolaus Ragvaldi*, Vir clarissimus, præfuit Diœcesi Wexionensi 1433. Unde Ubsaliam translatus, ut supra notatum.
22. *Laurentius*, ann. 1440. Wexioniæ Episcopum egit; Cujus vigilanti opera & liberalissimo sumptu pleræque præbendæ & Canoniæ illic fundatæ.
23. *Gudmundus*.
24. *Nicolaus III*.
25. *Ingemarus*, nobili stemmate natus; fatis succubuit festo D. Francisci anno 1530.
26. *Jonas Boëtii*, proclamatus est Episcopus Wexionensis a. 1529. Hic primus Antistitum Wexionensium reformatam religionem acceptavit.
27. *Nicolaus Canuti Smolandus*.
28. *M. Andreas Laurentii Grubb*, postea Archiepiscopus Ubsalensis.
29. *Nicolaus Stephani*, inprimis Pastor & Præpositus Oere-

Orebrogiæ: Dein Superintendens Jemptiæ: Hinc Wextunensis Præpositus; & denique ibidem Episcopus.

30. *M. Petrus Jonæ Angermannus*, Arbogensium antea pastor vigilantissimus, inauguratus est Episcopus Wexion. A. 1595. Vir prudentia, eruditione & gravitate conspicuus; Qui magno religionis orthodoxæ incremento diu præfuit: Donec A. 1631. Wexioniæ vitam finivit: ubi conditus est.

31. *M. Nicolaus Krokius*, antea Sch. Rector, hinc Pastor Wexion. & tandem an. 1632. Episcopus. Vir doctus, liberalis & humanus; Cunctis benefacere studuit; Obitus ejus incidit in ann. 1646.

32. *M. Johannes Baazius*, olim Sch. Wexion. Rector, post S. Theologiæ Lector; deinde Junecopensium Pastor; Tandem Episcopus Wex. ann. 1647. Biennium laudatissime præfuit: Et an. 1649. Wexioniæ obiit.

33. *D. Johannes Laur. Stalenus*, S. Theolog. Doct. diu magna cum laude Professor Ubsal. Dehinc Superintendens Dorpatensis; nunc totius Cleri omniumque bonorum ingenti cum applausu, administrationi admovetus.

CAP. XI. De Episcopis Aboënsibus.

Aboënsium primus Episc. numeratur *S. Henricus*, ex Anglia in Sueciam veniens, inde S. Ericum in Fenningiam plantandæ religionis causa comitatus: Ibique crudeliter a nebulone quodam trucidatus.

2. *Rodolphus Westgothus*, in excursione Curetum captus, & in Curlandiam abductus enecatur.

3. *Folquinus* nat. Suecus, ex Canonico Ubsalensi Episcopus Aboënsis factus.

4. *Thomas Anglus*, ordinis S. Dominici, barbarorum se subducens excursionibus, in Gothlandiam abiit; ubi apud Wisbyenses A. 1248. decessit.

5. *Bero Westgothus*, R. Erici II. Secretarius & Consanguineus; in æde Rendemechensi sepultus scribitur.

6. RA-

6. *Ragvaldus*, itidem Westgothus & D. Birgeri *Jarl* Cancellarius. In Rendamechi mortuus & tumulatus est.

7. *Catillus* pariter Westgoth. primum Valdemari Cancellarius: Dehinc Episc. Aboënsis. Collegium Canonicorum consensu R. Magni *Laduleas*, & mandato Urbani IV. Aboæ fundavit Anno 1266.

8. *Johannes Prior Sigtunensis*, Primùm Episc. Aboënsis; Dehinc Archipræsul Ubland. factus.

9. *Magnus Ennuis*, ex Canonico Episcopus creatus: Qui permissu Bonifacii VIII. Cathedralem Ecclesiam de Rendamechi ad Aboënses transtulit, anno 1300. In qua ille primus tumulatur.

10. *Ragvaldus Alandus*, similiter ex Canonicatu ad Episcopatum evectus; Arcem Custoënsem fundavit, & ad fastigium erexit. Fatis concessit 1321.

11. *Benedictus*, Ubsal. antea Canonicus, qui supremum vitæ terminum clausit Anno 1340.

12. *D. Hemmingus*, in parochia *Baling* natus, post Canonicatum Ubsal. & Aboënsem Episcopus declaratus. Ecclesiam Aboënsem liberaliter dotavit. Et munere laudatissime defunctus, obiit A. Pontificatus sui 20. Christi autem 1367. ætat. suæ 77. Aboæ sepultus. Qui postea in Divorum numerum relatus, ossibus ejus exhumatis & argentuo Scrinio immissis.

13. *Henricus Hermanni*, ex Præposito Episcopus consecratus; Sueciam petens morbo corripitur deceditque Ann. 1368.

14. *Johannes Petri*, Vir summæ eruditionis; adeó ut in Academia Parisiensi munus Magnifici Rectoris obierit. Anno 1370. fatis concessit, Aboæ humatus.

15. *Johannes Aboënsis*, Westphalus cog. præbendam & Chorum D. Catharinæ fundavit & locupletavit. Tandem Novogrodiæ A. 1374. mortuus, in dicto Choro sepultus.

16. *Bero Gregorii Balk*, a quo archidiaconatus in Ecclesia Aboënsi, item monasterium Corosense & sacrum auroræ primum excitata. Obiit an. 1412.

17.

17. *Magnus*, nobilis & famosi Olai Tavasti filius; Cujus tanta in Ecclesiam Aboënsem merita, ut paucissimis secundus censendus. Qui templa, arces, cœnobia, fundando, dotando, ornando, immortale nomen consecutus. Cumque A. 38. Episcopat. præfuisset decessit, ann. Chr. 1452. ætatis suæ 95.

18. *Olaus*, Præpositus Aboënsis, & Christophori ac Caroli Can. R. R. Consiliarius; prædecessoris nepos, Episcopus Aboënsis insignitus est an. 1450. Qui post annos 10. naturæ debitum solvit anno 1460.

19. *M. Conradus*, nobilis viri Henrici Bitz Castellani Aboënsis filius; In Italia apud Bernardinos jam senex, cum a Pio II. Episcopus est consecratus. Sed in patriam reversus, multa præclara in Ecclesia gessit. In arce Custöense, quæ ejus tempore conflagraverat, decessit anno 1489.

20. *M. Magnus Nicolai*, Præpos. Aboëns. vir nobilitate generis, ut & eruditione ac constantia summa insignis; ann. 1489. Aboënsis Episcopus designatus: ann. vero sequenti inauguratus. Præsul pietate & munificentia clarissimus. Aboæ obiit 1500. ibique tumulatus.

21. *M. Laurentius Aboënsis*, vir mitis & mansuetus; ex Præposito Episcopus proclamatus an. 1500. seq. vero inauguratus. Cum septennium Ecclesiæ gubernacula magna cum laude rexisset, profectus est in Alandiam, ubi apoplexia correptus post dies 40. obiit anno 1507. Aboam reportatus, apud prædecessorem sepultus.

22. *M. Johannes Olai*, Archipresbyter Aboënsis, Episcopus consecratus est ann. 1507. Qui cum triennium Episcopatum tenuisset, in arce Custöensi proprio suffocatus bolo. 1510.

23. *Arvidus Korck*, nobili stemmate natus, & Ecclesiæ Aboënsis Decanus, Episcopus denunciatus est an. 1510. Qui tyrannidem Severini *Norby* fugiens, navim conscendens una cum M. Cunrado Ecclesiæ Ab. Decano, aliisque consanguineis & amicis, Bothniam petens, naufragio periit.

24.

24. *Martinus Skytte*, Legiferi Tavastensis filius, eruditione eximius, Prior cœnobii Sigtunensis, favore Gustavi I. primus Evangelicus Episcopus anno 1528. Hic 8. Stipendiarios in exoticis Academiis aluit, qui reversi multum in reformatione religionis præstiterunt, anno 1555. Aboæ requiem nactus.

25. *M. Michael Agricola*, Nylandus, ex Germania redux, primum Rect. Sch. Ab. egit. In quo munere Nov. Testamentum in Linguam Fennicam transtulit. Dein seni Episcopo Martino Skytte Vicarius datus; a. 1554. Diœcesi Aboensi plene præfectus. Ex Legatione Moscovitica reversus præmatura morte obiit.

26. *M. Petrus Fullingus*, antea R. Schol. & Canonicus Lincop. pronunciatus Episc. 1558. Anno vero 1563. querelis cleri ob nimiam avaritiam apud R. Ericum oneratus, officio movetur.

27. *M. Paulus Justen*, postquam Lutheri discipulus aliquamdiu fuisset, reversus in patriam, primum Rect. Schol. Aboens. hinc Episc. Viburgensis, & Fullingo dejecto, Aboensis constituitur. Sed in Moscoviam Legatus missus; triennali carcere ibi excruciatur; Ex quo liberatus mox decessit anno 1576. Aboæ tumulatus.

28. *M. Ericus Er. Fennius*, Rect. Sch. Gevaliensis, Episcopus Aboensis consecratus ann. 1583. Vir eruditissimus & gravissimus, favore etiam R. Johann. nobilitatus. anno 1625. obiit.

29. *M. Isaacus Birgeri*, Rothovius Smolandus, Caroli olim Principis, postea Regis, Concionator aulicus, indeque Pastor Nycop. anno 1627. a Gust. M. Episcopus constitutus, vigesimum jam quartum annum summa cum laude, multisque meritis clarus, adhuc Episcopum & Academiæ Pro-Cancell. agit. Cujus senectutem lenem faciat omnipotens.

CAP. II. De Episcopis Wiburgensibus.

Primus Wiburg. Episc. fuit M. *Paulus Justen*, unus ex 8. Martini *Skytte* Episc. Aboensis Stipendiariis (cæte-

ri

ri fuere Canutus Joh. Thomas Francisci, Simon Henrici, Michaël Agricola, Martinus *Theit*, Ericus Hercapæus & Jacobus *Theit*) Is cum socio M. Mich. Agric. a Botvido Stregn. Episc. sacris initiatus ann. 1555. Fullingo autem dejecto, etiam Aboensi Cathedræ admotus, ut supra dictum; Atque ita hæ Diœceses, vicissim aliquamdiu unitæ manserunt.

2. Vivente & ad Senium vergente M. Erico E. Ep. Aboens. M. *Olaus Elimaus Fennus*, Holm. Pastor, antea ibidem Schol. Rect. constitutus, Vir pius & cordatus, ad ann. 1628. præfuit.

3. M. *Nicolaus Magni*; Ubsaliæ ann. 1628. Episcop. creatus, Vir mansuetus & humanus.

4. M. *Gabriel Melartopæus*, Vir doctus & gravis, ab Episcopo Aboensi, M. Isaaco Rothovio consecratus, morbo victus succubuit 1631.

5. M. *Petrus Bugge*, Ostgothus, antea Lect. Theolog. Lincopens. nunc eximie huic muneri præest. Quod etiam diuturnum comprecor.

CAP. XIII. De Revaliensibus Episcopis.

Revaliæ, ut & Rigæ ac Dorpati, quondam sub papatu, potentes item fuere Episcopi non pauci: de quibus consule Descript. Liv. Ante annos 60. floruit Episc. Revaliensis, M. Christianus Agricola, fil. Mich. Agricolæ Episcopi Aboensis. Postea Superindentes atque Præpositi salutati sunt: qualis nostro ævo fuit, Nicolaus Gasa, doctus Theol. diu cœcus.

Episcopus Reval. antè 12. annos sc. ann. 1638. constitutus est M. Joachimus Iheringius, antea Pastor Nycopensis; Vir doctus, eloquens & cordatus; qui adhuc magno Ecclesiæ bono hoc officio fungitur. O utinam diu & feliciter! Ei quoque Oeselensis Episcopatus, qui olim peculiarem habuit Episcopum, subjacet.

CAP. XIV. De Superintendentibus.

Superintendentes, qui re ipsa ab Episcopis (uti nec voce;

voce; quamvis hæc græca illa latina sit; idem tamen significant.) nihil differunt; hi sunt:

1. Calmarensis; Quam primus obtinuit M. Petrus Caroli, sub R. Joh. III. & Lincopensis Episcopus factus, eandem quoque retinuit. At sub Episcopatu successoris M. Petri Benedicti Oelandi; constitutus est Superintend. Calm. M. Laurentius Birgeri, ann. 1599. Vir doctus & bene meritus; mortuus circa ann. 1603. Ei successit Nicolaus P. Stregnensis, Pastor, vir simplex; Qui M. Olao Arosi. Episcopo excludendo substituendus, repentina morte Arosiæ obiit. Hujus successor erat M. Joh. P. Ungius, Smolandus, antea Schol. Wexion. Rect. mortuus ann. 1617. Ejus vero successor D. Jonas Birg. Rothovius, antea Pastor in *Angelstada*, & quondam illust. R. Cancell. *Oxenst.* Præceptor, in lingua Syriaca cæterisque orientalibus apprime versatus; constitutus ann. 1618. post multa præclare gesta obiit ann. 1625. Ei successit M. Nicolaus Æschilli, qui hoc anno e vivis decessit.

2. Mariæstadensis, ubi M. Matthias ann. 1603. in eo officio mortuus. M. Jonas Nic. Oriensulanus Smoland. anno 1611. Nycopiæ constitutus, jam ante triennium obiit. Et Superintendentia Carolstadium translata, cui nunc præest M. Sueno ibidem Pastor; Cui itidem quævis felicia voveo!

3. Gotheburgensis, quæ primum M. Sylvestro Phrygio demandata, eoque mortuo M. Andræ *Prytze*, nunc Lincop. Episcopo. Et demum Doct. Erico Brunnio Angermanno, antea S. Theolog. Professori Ubsal. cui felicitatem ac diuturnitatem omnipotens addat. Ei nunc quoque Hallandia in Ecclesiasticis paret. Ut administratio Episcopatu minor non sit.

4. Ingriæ & Alentakiæ Superintendentiæ, M. Henricus Stahlius, bene præest.

5. Dorpatensis, quæ antea ad M. Samsonium Rigensem spectavit: ante aliquot annos Doct. Johanni Staleno demandata. Sed hic nunc inde Wexioniam vocatus est.

6. Both-

6. Bothniæ occidentalis Superintend. M. Petro *Stæak* antea Concionatori Regio, Hernösandiæ residenti utiliter concredita est. Atque ita tot ferme nunc adjectæ sunt Superintendentiæ quot olim Episcopatus fuere. Unde cura Ecclesiæ patet.

CAP. XV. De Moderna Ecclesiastica administratione.

aliis obstrictum tenent, quod sub ipso cursu plene jam confirmati ejusdem regni in hanc lucem editus, mundi incola, patriæque civis factus, & in cœlestis municipii album sub ejusdem auspiciis relatus sim. Inenarrabilia omnique stylo majora atque augustiora sunt Genitoris tui, magni illius GVSTAVI ADOLPHI gesta, universo orbi vere Christiano parta halcyonia, exantlati sudores & æternitati dicata, domi forisque erecta trophæa: Sub cujus laudatissimo imperio, non modo in Musarum castris militare occœperam, & in Schola patria tyrocinia deposueram; verum etiam stipendia aliquot sub vexillis Upsalensium merueram. Vbi etiam ante annos de viginti duos, & quod excurrit, Heroicam indolem Illustr. Gen. T. in ista ætatula coram propius contueri potuisse, non minimæ felicitatis loco mihi arrogo. Non jam Illustriss. Herois Dn. Caroli Gyllenhielm &c. Consanguinei tui & patrui, immensa in patriam beneficia, duodecennales pro eadem, quos perpessus carceres durissimos attingo: ut & alios in decrepitam usque senectam utilissimos eosque herculeos labores variaque munia fidelissime administrata hac vice non recensebo: Neque enim vacat commemorare eximiam istam & plane regiam in literarum studia munificentiam, qua me primum, & alios postmodum quam plurimos, Vpsaliæ & in exteris, humanioribus operam navantes artibus, liberalissime sublevavit. Cogor etiam brevitatis causa silentio transire ineffabilem mihi in aula ejusdem degenti contestatam benevolentiam & favorem summum. Quo tempore etiam inclyti ejusdem Herois nomine, præluſt. T. Gentem in Germania tum viventem ac militantem literis subinde salutaveram. Hæc inquam, ne prolixitate molestus sim, hac vice silere modestia imperat; Numquam tamen, dum vivam oblivisci, pietas & condigna gratitudo mandant & serio injungunt. Quæ omnia in me patriamque merita, sicut hereditario jure etiam ad te Illustriss. Comes, spectare, ita præluſt. T.

Gen. majorum quoque vestigiis magnifice insistere fatendum (Festis est inter alios luculentissimus Regia hæc Academia Aboënsis, cui Græcos simul & Hebræos Typos, regium donum, nuper (uti ex relatione reverendi collegæ M. Joannis Elai Terserii S. Theol. Professoris accepimus) liberalissime promiserat. Quin igitur gratitudinis redhostimenta, gratiarum actionis hymnos, æternitatis colossos merito meditabimur? Et dum grandiora parantur; Ecce hanc FORTUNÆ ROTULAM humillime offero. Non ingrata erit spero, quod vicissitudines rerum humanarum cunctis mortalibus utiliter & necessariò pensitandas succincte ac dilucide, exhibeat. Gratam etiam confido, quod eos, quorum honoribus præmissa, reip. usibus & T. etiam Præclust. Gen. servitiis fortassis non ineptos prospiciam. Quicquid autem sit munusculi, si respiciatur ingenium meum & labor, exiguum quidem ac levidense, ex animo tamen offerentis & rerum pondere, si æstimetur, magnum, serena excipiatur fronte humiliter atque officiose contendo; Quo ad majora adhuc tentandum est pluris precii aliquid alias offerendum extimuler atque erigar: qui me totum ut illust. T. Gen. Servitiis arctissime obstrictum agnosco: Ita ampliora indies virtutis ac felicitatis incrementa & præsentis continuationem obnixe vovens, sum maneoque.

Illust. T. Geneross. humillimus ac dicatissimus Clientulus

Michael O. Wexionius, G. a P. Prof. Abo.

Abo, die CHRISTINÆ, seu
4 Sept. An. 1647.

Candido & benevolo Lectori. S. P.

Res præceps est ROTA servienti cursu circumgyrata: Ita & mutationum vitæ humanæ conversio. Non est igitur, quod demirere, si in progressu discursus subtiliores non percipias; profundas meditationes non invenias. Celeritas quippe currentis rotulæ ejusmodi inhibuit.

Nu-

Nudum proinde rerum cursum, nunc sursum, nunc deorsum, nunc in orbem rapientem benevolo obtutu aspice: & omnia, si ipse bonus in meliorem partem interpretare: Instabilemq; rotæ consistentiam memento. Qui jam alios judicat; mox ab aliis judicabitur; aut forte ante hac judicatus est, si non plane condemnatus. Tu interim save & vale.

ROTÆ FORTVNÆ.

Admodum Reverende Dn. Episcope, Academiæ hujus Vice-Cancellarie permagnifice; Pater & Mecænas omni pietate jugiter prosequende Magnifice Dn. Pro-RECTOR. Viri Nobilissimi: Regii judicii Assessores cordatissimi: Reverendi, clarissimi & excellenter doctissimi Dn. Professores: Consultissimi Domini Iudices Regii, Gravissimi Dn. Consules; Clarissimi & Venerabiles Dn. Magistri, Præpositi & Pastores: Spectatissimi Dn. Secretarii; Prudentissimi Urbis Senatores & Cives honoratissimi; Nec non cæteri cujusvis conditionis hospites exoptatissimi. Tu vero dilectissima nobis & cumprimis compellanda, nobilissimæ ac studiosissimæ juventutis concio selectissima.

Exoptatissimam vestrum omnium frequentiam, augustum hunc locum & præsentem Solemnitatem, aliquid dicendi necessitudinem mihi injungere animadverto. Nec modo exquisitum Orationis argumentum, Sed & elaboratum expectari sermonem satis intelligo. Quorum neutrum tamen a me, hac vice, præstari posse, ne frustra vos suspensos teneam, initio statim profiteor. Eam quippe, meo quasi more quodam, arripiam materiam quæ in medio et velut ante pedes posita, omnium oculis & experientiæ subjecta, nemini ignota aut obscura esse possit; solennitati tamen ejuscemodi haud inconveniens; Nec, uti spes est, auscultantibus infructuosa. Nemo enim credo præsentium est, aut esse potest, quem inconstans rerum humanarum alea, inque horas mutabiles earundem vices lateant; Nemo, quem in secundis

adversa præstolari, in adversis meliora sperare non juvet. Et lectissimis hisce bonæ mentis, virtutum & liberalium artium Candidatis, quibus successus novis & bene meritis honoribus jam adblanditur, hanc constantem rerum humanarum inconstantiam & perpetuas vicissitudines altius perpendere consultissimum duco. Date igitur, quæso, mihi hanc veniam, ut FORTVNÆ ROTAM hic coram vobis paulisper circumagitem atque revolvam. Ne vero sermonis nuditas benevolam vestram, quam mihi polliceor, attentionem intervertat; meæ erit curæ, tædium brevitate antevenire.

Id in limine præmonendum venit, Fortunæ vocem, quæ hic subinde occurrit, non temerarium verum fluxum, pagano more notare, sed admirabilem, humano ingenio imperscrutabilemque mortalium vicissitudinem, a nutu & directione omnipotentis vel ordinantis vel permittentis dependentem.

Quam ita haud incommode contemplabimur, si innumerum eorum numerum, qui varias fortunæ vices in hoc mundo experti; miram vero paucitatem eorum, qui æquabili continue usi fuerunt successu, idque non in exoticis tantum, sed et domesticis exemplis luculentissimis intueamur. Omnia vero adjuvante S. Triade.

Atque initio ex sacris exempla aliquot, sed parcius tanquam omnibus obvia delibemus.

Respicite primum hominem, ejusque variam recolite conditionem: Deus bone, quanta hic mutatio, quam inenarrabilis sese metamorphosis offeret! Ecce, qui in summa sanctitate creatus; omnis doloris expers, lætitia plenus, sapientia & justitia perfectus; tam brevi momento, injustitiæ cæno immersus ignorantiæ tenebris involutus, loco gaudii tristitiam invenit, pro sanctitate turpitudinem agnoscere est deprehensus. Impossibile est mente hanc immutationem exacte rimari, non dicam verbis congruenter exprimere. Quanto enim miserrima hæcce nostra conditio notior; tanto felicissimus

iste

iste status nobis ignotior; Neque ita dejecta rerum facies semper sibi similis. Quem modo horribilis & efficacissima æterni Numinis vox terruit. Eundem mox consolationis plenissima erexit: Quem dulcissima proles nunc sine exemplo recreavit; Eum mox filius parricida miserandum in modum contristavit. Quantum denique ex morigeris & veræ pietati deditis liberis, nepotibus ac pronepotibus ceperat solatii; Tantum ex Cainitica progenie, impietatis et idolomaniæ labe conspurcata tristitiæ et cordolii ad extremam usque senectutem persenserat. Neque dubium quin & cæteri patres antediluviani, ut mellitissimis subinde consolationibus fruebantur, & liberorum educatione familiæque administratione sese oblectarunt; ita ex Diaboli furoribus & Cainicæ ecclesiæ æmulatione prævalente, innumerabiles angores exantlaverunt. Quid de Noacho multa dicam? quam variam is fortunam expertus sit! Nullus profecto hominum ea fuit felicitate, qui tot patrum simul prioris mundi jucundissima usus conversatione, & posteriorem reflorescentem viderit. At nullus vicissim tristius aut terribilius spectaculũ in horrenda humani generis omniumque supra terra viventium suffocatione aspexerat. Unde jam de liberatione sua & filiorum frontem exporrigere, jam de patruorum, amitarum, consanguineorum & amicorum tristi excidio ingemiscere necessum habuit. Quid vero, cæteri Patriarchæ: Et potissimum Iacobus? Quem nunc de jure primogenituræ redempto, deque patris benedictione intercepta exultare; nunc de fraternis minis expavere certum est: Nunc de conversatione dulcissimæ Rachelis lætari; Nunc de filiorum multiplicatione gaudere; nunc impietatem eorundem abominari; Nunc de apparitionibus & promissionibus divinis sibi gaudere contingit. Idem nunc filiæ stuprum; filiorum crudelitatem et incestum; Nunc Iosephi amissionem & Benjaminis abitum canos suos in sepulcrum detrudere, miserabiliter conqueri audiebatur: Nunc Iosephum redivivum

audiens, ſpiritum recepit, regios ejuſdem honores attonitus aſpexit, & ſimiles viciſſitudines experiebatur: Prolixitate obtunderem, ſi ſingulas ſingulorum piorum vices vel verbulo ſaltem attingerem. Quid Ioſephus? modo parenti in deliciis: modo in fovea, mortem expectans: Modo mancipium; modo diſpenſator & Satrapes jam in ſqualidum carcerem compactus; jam in purpura & byſſo fulgens, regionis Pater proclamatus? Iobi variam fortunam, ceu vel pueris etiam notam, non attingo. Quid Moyſes? jam morti expoſitus, aquis innatans; jam in ulnis regiis holoſerico indutus reſplendens: jam Palatinus & generalis regiæ militiæ Dux regiiſque nuptiis potitus, teſte Ioſepho; jam populi Iſraëlitici Ductor & anteſignanus miraculis clarus; cujus tamen haud raro manus & verbera ægre declinavit. Ut nunc reliquos judices ſilentio præteram. Quid Reges & Prophetæ? Saul, nunc aſinorum cuſtos & indagator; nunc unctus ſceptriger; nunc omnipotentis ſervus fidelis: Nunc ſatanæ mancipium & Deo inobediens. Quid DAVID? Nunc ovium paſtorculus; nunc heros bellicoſus: Nunc regis miniſter: nunc gener: nunc regiis fruitur dapibus: nunc exul in latebris vix paſcitur. Nunc in regio fulget ſolio: nunc nudis pedibus e filii manibus pedes vix elabitur: O admirandas rerum vices! Ecquis omnes tam brevi temporis ſpacio percurret? Iechonias nunc Rex, nunc captivus: nunc regiæ dignitati reſtitutus. Achab jam in throno ſuperbiens; jam infeliciter cadens. Zedechias ultimus Rex juda, nunc potens: nunc in vinculis exoculatus gemens. Quid Prophetas & Apoſtolos commemorem, qui nunc apud Reges & populos in honore & æſtimatione maxima fuerunt; Nunc cæſi, nunc flagellati, nuncque carceris ſqualori mancipati, nunc exilio, nunc crudeliſſimis mortis generibus mulctati ſunt: Nunc oculis chariores: nunc ferro & flammis miſere excrutiati. Quæ omnia ſigillatim percenſere, non horam unicam, ſed ætatem ſatis longam exigeret. Quinimo

nec

nec exemplum, exemplorum, Salvator Christus, Deus & homo, eundem & æquabilem hujus mundi vultum retinere potuit; jam enim populus eum in regem unanimiter eligere decrevit: jam jam tolle, crucifige acclamavit. Et discipuli, qui pro ipso vitam fundere spospon-derunt; mox omnes eundem turpiter deseruerunt. Atque ista, ut omnibus Christianis in aprico sita, nunc omitto.

Aliqua & potiora saltem ex historia civili, mutabilitatis humanarum rerum specula obiter inspiciamus: Neque enim omnia Regum & aliorum heroum exempla nunc ad summum evectorum honoris fastigium, nunc vicissim pulsorum ac depressorum exacte persequi vacat. Taceo Sardanapali præcipitium. Nec referam caput aureum orbis Nebuchodonosorem ad bestialem conditionem depressum & restitutum. Nomino saltem Croesum Lydorum Regem omnium ditissimum; postea captivum & rogo injiciendum: Quid de Cyro dicam, nunc victoriosissimo: nunc, si Iustino credendum, a foemina victo & miserabiliter trucidato? Notissima est Darii Codomanni Persarum regis ultimi simul & opulentissimi, imo, vulgi judicio, felicissimi historia; qui abductis in captivitatem uxore, matre, liberis se orbum, mox etiam regno ab Alexandro, adeoque & vita a proximis & necessariis exutum deprehendit. Anne summos græcorum Duces commemorem? Quorum clarissimæ virtutes magna ingratitudine compensatæ plerisque tandem exulare jussis: prout apud Corn. Nepot. aliosque legere est. Miltiades in vinculis diem obiit supremum. Pausanias Lacedæmoniorum Dux laudatissimus fame enectus periit. Themistocles, fortissimus in exilium pulsus: quod idem & Aristides justissimus antea expertus erat. Et Sexcenta ejusmodi. Nec Romanorum Ducum omnium constantior fortuna. Reges prætereo, alios a senatu discerptos ut Romulus creditur: alios ab antecessoris liberis interfectos, ut Tarquin. Priscus; alios dejectos, ut Servius

a Tarquinio ſuperbo: alios cum perpetua ignominia exules factos, ut hic idem Tarquinius. Nec Metium Fufetium Albanorum Ducem moror, qui diu ante quadrigis distractus fuit. M. Furius Camillus præclare de rep. meritus in exilium quoque ejectus fuit. M. Manlius, qui Capitolium contra Gallos defenderat, de Saxo tarpejo præcipitatus eſt. Ut viri celeberrimi M. Attilii Reguli non recorder, qui ut fidem ſervaret ad hoſtes reverſus palpebris reſectis & machinæ alligatus vigilando crudeliſſime necatus eſt. Cajus Marius poſt ſextum conſulatum annoque æt. 70. nudus ac limo obrutus oculis tantummodo ac naribus eminentibus extractus arundineto è palude, in quam ſe fugiens conſectantes Sullæ equites, abdiderat, injecto in collum loro, in carcerem perductus eſt. Percuſſorem tamen immiſſum vultus authoritate deterruit, ut abjecto gladio e carcere profugeret. Ipſe autem in Africa exul, inopem vitam in tugurio ruinarum Carthaginenſium toleravit, donec Cinnana dominatione revocatus ſeptimumque conſulatum aſſequutus, vitam paulo poſt finierit. Lucius Cornelius Sulla, a fortuna felix dictus, poſtquam varias & utiles reip. operas navaſſet, ſperni cæptus, Puteolos conceſſit & phthiriaſi interiit. Referatur & in album Hannibal, quamvis juratus Romanorum hoſtis, qui toties victor, tandem & ipſe victus diſceſſit & guſtato veneno exul periit. Pompejus, ob res geſtas Magnus cognominatus, ab Affine Iulio Cæſare tandem ſuperatus ab iis de quibus optime meritus erat, perfide & miſere obtruncatus eſt. Nec victoris ejuſdem Cæſaris perpetuo eadem fortuna, qui licet primus imp. ſalutatus & perpetuus Dictator; ad extremum tamen & ipſe in ſenatu 23 vulneribus confoſſus occubuit. Ecquis igitur perpetuos ſibi ſucceſſus promittere audeat? Atque ut ad Reges aliquantulum reſpiciamus: Prodeat Siphax Numidiæ Rex, catenatus a Lælio ad Scipionem pertractus. Cujus dextram regio inſidens ſolio arroganti manu attigerat, ad ejus genua ſupplex procubuit. *Itaope*s

pes

pes humanæ affluunt subito, dilabuntur repente nec ulla in personis stabilibus radicibus consistunt! Verba sunt Val: Max. Surgat Tigranes Armeniæ R. Pompejo sese dedens, inque ejus castris supplicem abjiciens, erectus & reposito, quod abjecerat, insigni regnare jussus. Philosophicum quid, nec humile sapit exemplum Gilimeri, cum antea fuisset Vandalorum Rex potens, a Belisario victus sibi ab amico mitti petit tria; panem, ad levandam famem: Spongiam abstergendis lachrymis; & cytharam flebilibus numeris decantandis aptam, quibus præsentem calamitatem demulceret. Ad Justinianum autem ductus, nec flevit, nec genuit; sed illud tantum Salomonis pronuntiavit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Imo à quibusdam eundem Vandalorum Regem una cum uxore & regia familia vinctum & in triumphum ductum, pleno scribitur ore risisse. Ab Imperatore vero, qui mente captum putarat, causam rogatus, dixit; se ridere fortunæ humanæ vicissitudines, ut qui modo Rex fuisset jam inserviret, dictum & factum non rege solum, sed & Philosopho, imo homine christiano dignissimum! Nemini ignota credo Imperatoris Valeriani miseranda mutatio, qui cum imperio multis præfuisset annis, in extrema senecta à Sapore Persarum Rege in bello captus in miserabili & perpetua servitute consenuit. Quoties namque Rex equum conscensurus, Valerianus pro scabello fuit, non manu sed dorso regem attollere coactus. O grave onus! o triste spectaculum! Memoratu etiam dignissima videtur Mauritii Imperat. Rom. historia virtutibus alias haud incompti, sed avaritiæ nota laborantis, qui a proprio ministro & centurione impiissimo Phoca, per seditionem ab exercitu Imperatore salutato, e fuga retractus, filios & conjugem in conspectu suo necari vidit; ubi tamen nullam præter hanc vocem edidit. Justus es Domine & rectum judicium tuum. Ut & illud addam, cum filiolum lactantem a nutrice, proprio substituto, surripi intelligeret, idipsum improbavit; fi-

lium adhuc superesse innuens. Tandem & ipse Mauritius perfidi istius famuli jussu occisus est. Quin & monstrum illud Phocas haud leviores subiit mutationes: Imperium namque male partum maleque administratum, male amisit; impurissimus scil. ac multis sceleribus infamis a Prisco genero & Phocio, cujus stupraverat uxorem, e solio deturbatus, spoliatus purpura, amputatis manibus, pedibus, capite & pudendis, reliquus in foro Romano truncus combustus est. Ecce, potentis, sed fœdissimi tyranni, exitum fœdissimum. Non multum absimilem Tragœdiam in Chosroë Persarum Rege contueri licet. Is Rom. Imperatori Heraclio pacem per legatos petenti superbe & blaspheme respondit. Non parcam vobis, donec crucifixum, quem Deum esse fatemini, abnegetis: Et solem adoretis. At quo tandem hæc insolentia? A filio Siroë captus in carcerem detruditur, fame cruciatur, maligne suppeditato pane & aqua, uti loquitur Cedrenus, a Satrapis conspuitur & contumeliis afficitur: necis reliquorum filiorum prius spectator, postmodum & ipse sagittis conficitur. Quis tantas tamque subitas mutationes satis demirari poterit, nedum describere? Quid Heraclii filium referam? Cui nasus mutilatus fuit, ne specie, qua excelluit, populi studium concitaret. Quid Justinianum Absimarum? Qui itidem rescissis naribus relegatus, & postea restitutus: Quid Leontium Imp. naso præciso in monasterium detrusum; Quid Philippicum oculis privatum commemorem? Inter omnes ad imperatorium fastigium evectos eminet exemplum Henrici IV, quo nemo sæpius collatis signis cum hoste conflixit. Marcellum namque & Jul. Cæsarem supergressus, bis & sexagies cum gentibus ferocissimis pugnaverat. Unde Versus:

Sexaginta duo commisit prælia victor.

At tandem decreto Papæ Paschalis excommunicatus dejicitur, insignibus atque ornamentis imperialibus spoliatur; & a filio Henrico V. in custodiam conjectus animi

mi mœrore consumitur. Vah indignum facinus & admirabilem gyrum atque conversionem rerum humanarum! Trita est etiam historia de Bajazete Turcarum imperat. qui a Tamerlane Schytarum R. captus, cavea inclusus & aureis catenis ligatus itidem equum conscensuro scabelli loco fuerat. Admirandum rerum humanarum spectaculum! Prout hac de re Æneas Sylvius exclamat. Unicum adhuc miræ mutationis documentum, sed brevissime, perstringam. Johannes Huniades, qui unus omnium Turcarum arma ab Ungaria depulit, clarasque genti suæ victorias peperit: Cujus nomen tam terrificum Turcis fuit, ut parentes liberis plorantibus silentium non aliter imperarent, quam Huniadis præsentiam minitando. De hoc Ladislai Hungariæ R. refertur encomium: *Hunniades Ungriam Christo & mihi regnum servavit. Christiani nominis hostes fudit, fugavit, perterruit; pacem Ungaris peperit; salutem cunctis fidelibus aperuit; Fortia ejus facta etiam hostes admirati sunt. Et vitam & mortem ejus posteritas consecrabit.* Huic Johanni Hunniadi duo fuerunt filii, Ladislaus & Matthias: ille natu major, quod Cilium Comitem percusserit, jussu regio carcerem ducitur & tertio post die, ætat. ann. 24. ad supplicium rapitur, egregio corpore adolescens, Hic, nimirum Matthias, annis minor, ætatis sc. 15. mortuo Rege Ladislao e carcere ad regnum evolavit: de qua historia iterum Æneas Sylvius: *Nunc quisquis hæc legis futura*, inquit, *prædicito: Singulare prorsus humanæ inconstantiæ documentum, ex duobus adolescentulis ætate moribusque pene paribus, alter Ladislaus Rex, ex regio solio, tum nova nupta thalamum exornat, defertur ad tumulum. Alter dum capitalem sententiam expectat trepidus, ex carcere vocatur ad regnum. Mirabile*, addit, *quod matrem repentina lætitia non examinaverat: cum tot cladibus afflicta, prius Regem appellatum audiret filium, quam vinculis exemptum.* Sed multitudine exemplorum obruor: Prætereo itaque Wenceslaum Imperat. Caroli IV. filium, aliquoties captivum, & tandem privatum mor-

tuum. Transilio Adolphum Nassovium solio deturbatum. Prætervehor Rodolphum Suevum imperium captantem, sed manum & vitam simul amittentem: Aliosque consimiles quam plurimos. Satis enim ex enumeratis, A. O. admirandam atque stupendam rerum humanarum vicissitudinem colligere poteritis. Et dies certe, imo ætas citius quam exempla similia deficerent. Ast quomodo ullo unquam tempore exempla deesse queant, cum nullo non die nova succedant? Verum ne patientia vestra abutar, exotica jam & antiquiora sepono. Unicum saltem, quod nemini etiam ignotum credo; nomen certe nulli præsentium inauditum esse potest, subjungo. Vixit hoc nostro seculo, quamvis superiori natus, quidam Albertus Wollensteinius, e Bohemia nobilis, mediocri loco oriundus, qui studio militari & imperatoris gratia ad summos evectus honores, non modo belli dux totius Austriacæ domus generalissimus, cum summo belli pacisque arbitrio a Cæsare creatus, sed & Princeps atque Fridlandiæ Dux declaratus: ad eam exsurrexit potentiam, ut sine hujus nutu, vel Cæsari ipsi, in iis quæ militiam concernerent, nec quicquam integrum esset mutare vel statuere: totamque Germaniam & imperium Romanum concussit. At quo tandem exitu? In Egrana demum urbe ab officiali quodam suo inferiore, in conclavi vesperi in indusio deprehensus per cutem, ventrem & intestina bipenni transfixus concidit. Cadaver ita in sanguine & tabo volutatum, non esseda, non rheda, dignum habebatur, sed fimario curru per urbem tractum; ad cujus potentiam paulo ante reges & imperii principes tremuerunt, & exercitus excubarunt. Advertite, o auditores, fortunæ lubricitatem: Ecce rerum humanarum instabilem conditionem! Quare non immerito Lyricus poëta exclamavit, quod etiamnum florens Fridlandus ille in familiaribus discursibus frequenter meminisse fertur:

-- Tolluntur in altum,
Ut casu graviore ruant. --

Sed

Sed desino externa diutius repetere exempla; ut non nihil temporis patriæ etiam historiæ tribuatur; Ne vel huc ubique terrarum grassata, humanarum rerum instantia non pertigisse videatur? vel ut nostri ipsius obliti merito arguamur. Permulta hic sane etiam fortuna mutabilitatis documenta dedit, quæ recensere possem, nisi temporis brevitate excluderer. Nunc igitur Regnerum non referam, qui modo, iniquitate novercæ, pecudum pastor; modo sponsæ beneficio Rex potens evasit. Taceo Grimmerum, nunc validum Regem, nunc ferrea catena suspensum. Non persequar historiam R. Egilli, qui a Tonnone Dano octies victus; nono tandem bello eundem, ceu alterum Spartacum servile bellum gerentem superavit & condigno laquei supplicio affecit. Tandem vero & ipse a tauro occisus occubuit. Non commemorabo quam plurimos priscorum seculorum Reges in ipso ætatis flore vel insidiis vel aperta vi interemptos. Non refricabo variam Olai *SkotKonung* & cæterorum Regum Christianorum, istarum tempestatum fortunam. Vti nec S. Erici ejusque posterorum instabile regnum recolam. Digna potissimum repetitione videtur insignis mutatio in familia Bergeri *Ierl*, cujus filius Waldemarus modo Rex florentissimus ac potentissimus, modo sceptro & corona denudatus, carcerique mancipatus, in captivitate exspiravit. Nepotes, & cumprimis Ericus Principum in patria & in exteris celebratissimus, nunc in omnium oculis & admiratione; Nunc in carceris squalore, inedia jussu regis Birgeri fratris crudelissime afflictus, una cum altero fratre miserrime oppressus est. O miram & diram rerum vicissitudinem! Quid de R. Magno *Smeek*; quid de Alberto Megapolitano dicam! quorum hic ut affinem suum R. Magnum septennio in carcere detinuit; ita & ipse postmodum a R. Magareta 7: m. annis carceri inclusus gemuit. In nullo autem Regum qui unquam vixere majorem fortuna lusum quam in R. Carolo Canuti ejus nominis octavo ostendit; qui haud in-

com-

commode fortunæ ludibrium dici poterit: Is namque ter imperio motus, & toties etiam restitutus, Rex tandem mortuus & regio more sepultus est. Nec parum etiam fortunæ vis in R. Erico 14. emicuit, qui eruditione magnus, multisque victoriis in bello adversus vicinos septennali primum clarus fuit: post 8. autem annorum imperium in carcerem detrusus diem inibi clausit. Ut nunc brevitatis causa, recentiora non attingam. Animadvertitis, Auditores omnium ordinum exoptatissimi, continuam rerum vicissitudinem, non in aliis tantum regnis & Imperiis grassari; verum in nostra quoque patria dulcissima potestatem & regimen exercere. Nec solummodo inter Impp. Reges & Ppes ipsos, tanquam excelsiores & casuum procellis magis expositos: sed etiam inter alios magnates inferiores Aulicos & Regum ministros, consimiles observari possunt mutationes. Quid Hamani in aula Ahasveri, regi antea familiarissimo contigit? in patibilum actus est. Quid Clyto Parmenioni & Philotæ, Alexandro suavissimis? misere trucidati sunt. Quid Sanctissimo Iohanni Baptistæ in regia Herodis acceptissimo? decollatus est. Bellisarii exemplum non referam, quod a doctis quibusdam fabulosum habeatur. Narsetis etiam notum est, quomodo uterque a dominis, de quibus optime meriti, malam gratiam retulerint. Nec jam multa dicam de Turchillo Canuti, regio in nostra patria quondam tutore & regni administratore, qui prius ad summos evectus honores, illustrioribusque nuptiis decoratus: postea ferreis catenis Holmiam devectus, & capite truncatus ecclesiastica sepultura caruit. Nedum de Brunchone Birgeri Regis Dapifero verbose agam; qui rotæ impositus Holmiæ monti Brunchonis nomen fecit. Nec recentia magis & superiori, & huic nostro seculo exempla desunt. Quin etiam ex ima plebe mercatoribus & nautis idem evenire videmus: illis quidem, ut ubi copiosam diu longe lateque mercaturam exercuerint, tandem ære diruti foro cedant; his vero, ut post

multa

multa feliciter enavigata maria, ad extremum naufragii pereant. Sicuti optimi athletæ in arena sæpe sternuntur. Eodem quoque modo non pauci aulici post diu administrata sat commode Principis negocia & præclare gestos Magistratus, tandem offenso Domino fortunarum, existimationis & vitæ ipsius jacturam incurrunt. Imo inter divites & pauperes, doctos & indoctos, nullum, quoad hæcce, discrimen. Videmus quippe multos iro patre natos cræseas convasare opes; sed easdem vel mox ante suum obitum, vel statim in posteris dissipari. Exempla hic & alibi notissima sunt. Neque ulla eruditio ab hac mutabilitatis lege vindicare potest. Quis Socrate, philosophorum parente, doctior. Eum tamen Melitus accusavit, Anytus oppugnavit; Lycus persecutus est; Aristophanes calumniatus, senatus, denique Atheniensis veneno sustulit, Quis doctrinæ gravitate cum Boëthio comparandus. Is tamen e summis honoribus deturbatus, pro beneficio supplicium reportavit. Quis Ciceroni, ut patriæ suæ, ita & eloquentiæ parenti non immerito salutato, literarum gloria superior? Is tamen non modo in exilium ejectus, sed & post honorificam reductionem, crudeliter occisus est; caput ad Antonium relatum, pro rostris positum, & lingua, quæ plurimis saluti fuit, ab Antonii conjuge aciculis compuncta. Thomas Morus, Regni Anglici Cancellarius eruditione insignis, quod ejus scripta testantur, Londini securi percussus est. Historicus & chronographus clarissimus, Johannes Funccius, aliquantisper etiam in magna existimatione; paulo post Regiomonti capite plexus est. Justus Jonas eruditionis laude paucis inferior, & JCtus eximius, Hafniæ in Dania cervices lictori præbuit. Doct. Johannes Jessenius Orator cæsareus lingua evulsa Pragæ decollatus est, posteaque ante patibuli portam in 4 partes dissectus. Et quis omnes etiam literati ordinis, qui variam & inconstantem fortunæ aleam subierunt, recensere præsumat? Neque in nostra patria

exem-

exempla deficiunt eruditissimorum virorum fortunæ iniquitatem expertorum: Notæ Johannis Benedicti & Gustavi *Trolle*, Archiepiscoporum Ubsalensium captivitates. Sueno cognomine Magnus Scorensium Episcopus 35. e cathedra ejectus fuit. Olavi Andreæ Arosiensium Episcopus 15, Episcopali dignitate exutus. M. Magnus Haraldi Stregnensis, post multifaria sortis malignæ ludibria, in Norvegia afflictissimam exul animam profuderat. Hemmingus Gadde, Electus Lincopensis, heros æterno dignus encomio Danorum iniquitate periit. Vincentius Scarensis, & Mathias Stregnensis Episcopi insontes crudelissima Christiern. sanguinarii tyrannide oppressi sunt. Archiep. Johannes Magni cum fratre Olao M. in exilio expirarunt. M. Petrus Fullingus sede Episcopali Aboënsi deturbatus est. Et quis omnes enumeraverit? Nec desunt, qui nostro quoque seculo satis literati juventutis informationi & magnatum etiam educationi, publicisque negociis & functionibus admoti aliquamdiu floruerunt. Postmodum autem dejecti contemptibilem passim, passim miserabilem exitum habuere. Quæ ut notiora neminemque ferme latentia silentio involvo.

Verum enim vero, hæcce omnia quo tendant, & qua de causa referantur, satis manifestum arbitror. Non certe dicis gratia, quod ajunt: Sed ne quisquam nostrum, adblandienti fortunæ, id est, secundis rerum successibus nimium fidat. Mille siquidem casus, discrimina mille objiciuntur, quæ omnia prævidere, non dicam, præcavere, humanæ opis non est. Deus itaque pro mitioribus fatis sedulo & sine intermissione invocandus: qualiacunque autem evenerint fortiter ferenda. Neque de iis, quibus duriora obtingunt, præpostere aut præcipitanter judicandum. Maxime cum perpetua illa rerum vicissitudo & fortunæ quasi dominatus non dignitati Impp. Regum & Magnatum parcere, non infimorum tenuitati indulgere: Non eruditionem revereri: Non idio-

idiotas miserari; Non ætatis rationem habere deprehendatur. Ut satis superque demonstratum est. Sæpe infantes & vix dum natos, ut Bethlehemiticos & similes suffocat. Sæpe decrepitos, ut Barnefeldium senem in Belgio, & nonnullos in nostra patria notabiles viros in ultima senectute jam ante hac evertit. Quis modo tutus erit? Et quod adhuc magis est; Nec sexus discrimen habet. Multis imposuit viris: nec plane intactas reliquit fœminas. Iesabel fœmina; Athalia fœmina e regia dignitate misere dejectæ. Regina Vasthi e solio deturbata. Nec fœmina ista Machabæa, licet prorsus infans, tyranni rabiem effugere potuit. Gertrudis Andreæ Ungariæ Regis Regina gladii supplicio affecta fuit. Martinæ Heraclii conjugi & imperatrici lingua, qua plurimum valebat, excisa est. Maria Scotiæ Regina collum candidissimum securi subjicere coacta. Quo illud Lipsii ex Juvenale; Si fortuna volet;

Præbenda est gladio pulchra hæc & candida cervix.

Nec omnes etiam sexus muliebris casus enumerare, vel instituti est, vel tempus permittit. Unicum tantummodo subjungam quod vix sine lachrymis, ab iis præsertim quibus sunt liberi, recitari potest, ex Melancht: tomo tertio declamationum, hisce verbis: *Margarita filia Friderici II. Imperatoris & Alberti Thuringiæ Landgravii conjunx, clam edocta de insidiis a marito vitæ suæ structis fugæ consilium cæpit, & nocte cum jam discessura esset, assidet ad lectulos filiorum Friderici & Dietmanni calamitatem suam deplorans. Cumque consiliarius senex & matrona comitatura eam hortarentur ut properaret, tandem valedictura filiis, Fridericum natu majorem, lachrymis & ejulatu materni doloris magnitudinem ostendens, complectitur; sæpe figens oscula ingenis & in pectore filii. Postremo mirabili animi motu, dentibus mordet genam filii. Puer vulnere facto ejulare incipit. Accurrunt matronæ, & puerum matri ex manibus eripiunt & quoquo modo possunt e cubiculo eam abducunt. Illa non ignara quid fecisset, inquit: Mene adeo ferream putatis, ut a pulcherrimis et charissimis filiis sine ingenti de-*

dolore in exilium abire possim? Nullum vitæ periculum est meo filio ex hoc vulnere, sed ipsi notam mei summi doloris impressi, ut in omni vita memor sit & mei erga ipsum amoris & calamitatis meæ. Hæc vociferantem vi abstrahunt matronæ comites, & ex fenestra demittunt, & Francofordiam perducunt, ubi in monasterio virginum vitam in luctu & precatione agens, post paucos annos mortua est, hæc ille.

Quis hominum tam variabiles tamque miserabiles rerum vicissitudines æqua mente vel visu vel auditu percipere poterit? truncus sit & sensu careat, qui non commoveatur? Ut autem finem faciam ad sermonis hujus ultimum propero membrum. Immensum deprehenditis & numerum sine numero eorum, qui inconstantiam fortunæ variosque casus experti sunt. At quot inveniemus exempla eorum qui stabili & æquabili fortunæ cursu perpetuo usi fuerunt? Hi certe albis corvis & nigris cygnis ferme sunt rariores. Ex Patriarchis vix ulli mitiora habuerunt fata, & constantiorem successum Abrahamo & Isaaco; Quamvis etiam illorum tempora, non paucarum adversitatum confinio exacerbata inveniantur. Inter reges S. Historiæ vix ullus Salomone externa felicitate superior; Erat tamen & in eo quod deplorandum haud immerito judicatur. Apryes, Aegypti R. opulentissimus & aliquamdiu fortunatissimus; Sed per Nebuchodonosorem demum regno exutus & misere occisus est. Quin & Polycrates ille tam felix, ut ex consilio Amasis Ægyptiorum regis annulum in mare projecerit, quo vel sic dolere disceret: Eundem tamen annulum in capti piscis ventre insperato invenerat: Vnde Amasis obstupescens amicitiæ foedus dissolvit, tantam felicitatem absque insigni infortunio esse non posse prudenter præsagiens. Et vere, quarto enim post anno ab Oronte, Persarum Satrapa, insidiose captus cruci affixus est. Et Timotheus etiam ille Atheniensis, cui fortunam dormienti civitates in retia agere æmuli criminabuntur; cum sua, non fortunæ opera esse contenderet,

ret, ab eadem desertus fuit. In Paganorum Regum catalogo, unus Alexander cunctos facile secundo rerum successu anteiebat; Et fortunæ quasi, ut Ethnico more loqui (sensu tamen Christiano invariato) liceat, nupsisse videbatur. Nihilominus neque in eo defuit, quod detestari ac deplorare queas Octavium Augustum Cæsarem majori jure quis fortunatum dixerit: etiam si & is cum adversis quibusdam fortunæ flatibus luctari necessum habuerit. In summa: Quo nos cunque vertimus, Auditores, plus inconstantiæ in rebus humanis, quam stabilitatis deprehendimus. Vel Patriam si iterum intueamur historiam, ec quotnam Reges Sveciæ & Gothiæ non plus adversi quam secundi successus habuisse comperiemus? Unus certe GVSTAVUS Adolphus, omine, nomine, re & gestis magnus, imo inter mortales maxumus, ea cælitus felicitate donatus advertitur, ut nihil unquam advorsum ei accidisse videatur. Ante nativitatem felicitatis suæ fundamina in majoribus jecta invenit. In tota vita, si quid adversum aut molestum occurrere visum, id mox in gloriam & felicitatem versum observari potest. Exitus is fuit, ut felicior esse nequiret. Cum nimirum in hisce terris, quo altius fortuna eveheret non erat, nulla; quasi interjecta miseriæ, doloris aut infelicitatis intercapedine, in cœlestem aulam triumphans evolavit. Verius augustiori formæ mox inventus, quam Romulus ille fingebatur. In eo deniq; & suam & aliorum felicitatem superavit, quod tam piam; tam prudentem, tam literatam, tamque felicem in solio nobis Gnatam Regni & omnis felicitatis heredem reliquerit. Ast quid unicum hoc perennis successus exemplum ad tot myriades variantis fortunæ? Quidve juvat tot vacillantis sortis paradigmata inspicere, nisi nostra inde melior, aut certe tutior reddatur? Proinde cum tam pauca imo rarissima inveniantur constantis felicitatis exempla; inconstantis autem infinita; (intueatur & percurrat quisque suam, suorum familiarium, vi-

cinorum & amicorum vitam, ſpeculum luculentiſſimum habiturus) non abs re fuerit mobilem hanc & perpetuo verſatilem FORTVNÆ ROTAM mente ſæpius agitare & circumvolvere. Quæ ipſa etiam Chajani Hunorum Principis jactantiam retudit; ſicut antea Seſoſtris Ægyptiorum regis ſuperbiam cohibuit. Narratiuncula hac concludam. Seſoſtris Rex Ægyptiorum illuſtris ac felix opibusque clarus, plurimas nationes ſervituti ſubegit; unde curru ex auro & lapidibus precioſis conſtructo vehi ſolitus eſt, qui a quatuor regibus, quos antea devicerat, trahebatur. Cumque unus regum ſæpe reſpiciens rotam, quæ volvebatur, contemplaretur; Percontatus eſt. Seſoſtris, cur ita reſpectaret? Intuens Rotæ volubilitatem, inquit ille, in qua ſumma cito fiunt ima; cogito Fortunæ inſtabilitatem, alias excelſa humiliantem, alias humiliata exaltantem. Seſoſtris parabolam intelligens, noluit currum a regibus poſtea trahi. Et Chajanus audita hac eadem narratione a Theodoro Mauritii Imperatoris Legato mitigatus arrogantiam poſuit, & inducias pepigit. Atque hæc eſt Rota illa Fortunæ, quam hac hora volvendam ac revolvendam ſuſcepi: quæ nunc quietem deſiderans hic ſubſiſtit. Si igitur rota nos forte elevet atque attollat; metuamus & præcipitem lapſum expectemus. Si deprimat atque dejiciat, animum non deſpondeamus, ſed denuo ſublevari ſperemus. Sin plane ſubigat aut conculcet, in Deo ſpem retineamus & axi immobili PIETATI, firmiter adhæreſcamus & non confundemur in æternum.

Tranſitus ad Promotionis Actum.

Jam tandem hiſce, de conſuetudine, præmiſſis, ad id, cujus gratia hæc potiſſimum ſolennitas eſt inſtituta, propius accedendum. Introducti ſunt, uti videtis, Auditores & ſpectatores lectiſſimi, ex decreto venerandæ facultatis noſtræ Philoſephicæ, in auguſtiſſimum hunc locum, Heroës quidam in Philoſophia, & non immerito

to hercules cognominandi; qui devictis hostibus perniciosissimis, monstrisque teterrimis, ignorantia scilicet & omnis generis vitiis, ovantes ac triumphantes oculis vestris exhibentur & conspiciuntur, hi 17 bonarum artium & Philosophiæ Candidati. Qui nimirum id sibi negotii a primis pueritiæ annis datum crediderunt, ut tenebras ab intellectu, pravitatemque à voluntate expugnarent, depellerent, longeque fugarent. Si horum omnium & singulorum honestas vigilias, laudabiles curas, pertinacem diligentiam, summamque attentionem & industriam in evolvendis bonorum authorum scriptis, publicis lectionibus audiendis, privatis exercitiis frequentandis, disputando & declamando, vobis coram sistere & ante oculos repræsentare possem; omnes profecto, quotquot adestis, imo, etiam procul absentes, dignissimos eosdem, qui summis in Philosophia exornentur honoribus, titulisque Doctorum & Magistrorum condecorentur, ultro essetis judicaturi: Et candidos quoslibet rerum æstimatores tot ac tantorum laborum brabæo minime defraudandos, æquissime æstimaturos non diffido. Sed quid? dixine repræsentatione esse opus? Imo vero jam antea satis superque ipsi repræsentarunt; dum partim in aliis laudatissimis musarum castris, maxima vero ex parte in illustri hocce Athenæo & regia universitate academica compluribus jam annis ea publice privatimque diligentiæ & eruditionis specimina sæpiuscule ediderunt, ut qui ista viderint aut audierint; viderunt autem & audierunt quam plurimi, injuriam iis fieri dicent, nisi præmia condigna sequantur. Quinimo & quod magis est, variis tentaminibus, inprimis in examine privato & rigoroso, ubi in omnibus philosophiæ partibus accuratissime examinati pulcherrime steterunt, inque disputationibus publicis, in Reverendorum & clariss. Dn. Professorum, Academicorum procerum consessu, necnon Nobilissimorum & lectissimorum studiosorum concursu frequentissimo, partim

opponentium, partim auscultantium, ad acutissimas de propositis materiebus objectiones apposite responderunt, adeoque variis prælectionibus eam monstrarunt dexteritatem, ut Dd. & Magistri jure meritoque salutari debeant. Ut autem vel hac ipsa hora præsentibus radii aliqui emicent, & quasi fragrantia quædam eruditionis eorum spargatur, etiam num ex abundanti, nobiliores quasdam quæstiones ex media philosophia depromptas in laudatissimo hoc consessu proponere atque eventilare parati sunt. Cujus documenti ut exemplum præbeamus, Tu inprimis Dn. Michaël Jacobi Jurveli, Academiæ nostræ Secretarie, qui primum inter præsentes Candidatos locum obtines, initium facias licet: Quæstionem igitur tuam breviter dilucide & sonora voce proponas; quam alicui ex Professorum Philosophicæ facultatis ordine diluendam ac dijudicandam offerre poteris.

Quæstio proposita DN. MICHAELE JACOBI, de certitudine Astrologicarum prædictionum.

In hoc honestissimo consessu verba facturus, & rerum de quibus, & sermonis quo dicturus sit, haud parum sataget. Dabit procul dubio operam, ut & res graves & graviter nervoseque eloquatur. Bene autem gnarus quam sit mihi curta domi suppellex, maluissem subterfugere hanc provinciam, quam suscipere, nisi ejus, qui eam mihi imperavit, spectabilis Dn. Decani, Mecænatis & Promotoris nostri benevolentia aliud mihi suasisset. Per quos enim homines hactenus steti, eorum jussa macte capesso. Neque etiam despero, quin quamvis amota excusatione imbecillitatem meam vos quoque auditores humanitati vestræ donetis. Proloquio itaque vos non protelabo, ne officio egressus videar. Quæ autem vi consuetudinis a majoribus nobis traditæ, & mandati Dn. Decani jam proponenda est Quæstio, de prædicationibus Astrologicis erit. Sunt, quibus prædictiones il-

illæ remoræ, quibus itidem studiorum incitamenta videntur. Illi quoties in prædictiones istas inquirunt, de incertitudine & vanitate earum loquuntur; Ut primo etiam intuitu suspectæ sint. Hi de certitudine & fere immota veritate. Quoniam enim, ajunt, corpora cœlestia agunt in regionem elementarem, & in hæc inferiora corpora, affectiones habebunt certas, certasque earum caussas. Sua namque cuivis stellæ data est virtus & influentia. Alia jam prætermittamus Sydera; Solem & Lunam actionibus si metiamur, actionumque utilitate, prosunt ad medicinam exercendam, & alias in communi vita multa negotia expediunda. Hæ autem affectiones a corporibus naturalibus, quomodo nisi naturali necessitate fluerent? qui naturales non sint? qui naturæ interpreti non vulgari, sed experientissimo & accuratissimo rerum indagatori omnino ignotæ? Cur præmonitu impossibiles? Naturæ penetralia causarumque naturalium ordinem & effectus cognoscat, qui hæc in dubium vocat, & scrupulum sibi eximet. Non habet ars osorem nisi ignorantem. Qui sesi ignorantia liberaverit & odio liberabit. Unde enim fatum illud Astrologicum si hinc non esset! Fatum illud quotusquisque adverterit ei luminaria insigna esse ait Moses: Porro concors apud plerosque suffragium est, stellarum positu temperamenta variari, gubernari; ex temperamentis inclinationes provenire; ex his mores & actiones. Harum itaque rerum imprudens ignarusque omnium non erit, cui de astrorum cursu & affectionibus bene constat. Ostendunt id experimenta varia. Respondet enim eventus exacte prædictionibus peritiorum Astrologorum, illis itaque omnem evidentiam & veritatem, qui derogat, horum innumera documenta falsitatis convincat, necesse est. Nec desunt illis argumenta plausibilia, quibus hæc cum Astrologis non conveniunt.

His recensendis ne tempus teratur, paucis me expediam. Omnium eventum & effectuum particularium,

particulares dari causas in computo est. Ex cælo itaque & sideribus, quarum rerum deducendæ sunt causæ? Universalem Universaliumne an particularium? Universalia non existunt, nisi in singularibus. Ast pro talium sive rerum sive eventuum proxima causa reputari non possunt universalia illa agentia & indeterminata. Sed sint veræ causæ, ut placet Astrologis, quæ itaque eorum natura? quævis? quæ potentia, tum singulorum per se, tum in respectu ad se invicem? Fatebuntur hic quivis Astrologi ingenui cum Aristotele, se multarum rerum cœlestium non exquisitam habere scientiam, sed opinabilem tantum; adeoque conjecturis uti. Verum cui ex rerum evidentia causalitas tribui nequit, ex opinione nostra emendicanda non est. Sint denique veræ causæ, divinationibus tamen istis unde certitudo? Ex ratione an experientia? Rationes hic dantur a baculo ad angulum. Determinata enim notitia effectus requirit, ut universales illæ causæ a particularibus limitentur. Experientia quoque hic incerta, fallax & dubia est, & ipsis quoque Astrologiæ judiciariæ patronis conjecturalis. Astra namque ad eundem positum nunquam redire, prolixe probant Astronomi. Quomodo itaque per priorem de posteriori positu fiat judicium? Multa etiam contingunt contraria sub aliqua certa constellatione, ad hunc itaque syderum positum eorum origo statim referenda? In his causis conquiescendum, etiamsi nulla connexionis ratio appareat, nec procliviores sint ad partem hanc, quam ad reliquam? Deinceps certo nequeunt prænuntiari, quæ contingentia sunt. Effectus autem stellarum Ptolomæus quoque contingentes, varios & incertos esse author est, cum incertum sit, qua ratione materia subjecta cœlestem fluxum recipiat. Tempestates, terræ motus, incendia, valetudo, morbi, conjugia &c. vel a voluntate hominis, vel a materiæ fluxibilitate dependent, & hoc modo fiunt, ita tamen ut aliter fieri possint, cœlorum positu ea ad certum quid ne-
quic-

quicquam determinante. Genethliacorum observationes ne refutatione quidem dignæ nonnullis videntur. Esse eorum monita multa satis, sed quibus nullus satis fecerit. Sub una constellatione geminos in lucem edi ingenio & moribus dissimillimos. Gemellorum autem ortum esse instar unius infantis duplo longioris. Quorum fortunam & eventus, qui prædixerit exacte, aliunde non a cœlo eam habebit notitiam. Hinc Deus ex prædictionibus tanquam peculiari documento Deos esse dijudicandos ait. Ita enim eorum Es. 41. Annuntiate, quæ ventura sunt, & sciemus, quia Dii estis vos. Sententiis itaque complurium condemnantur ejusmodi prædictiones, imo si augustiore judicio sacrarum literarum censendæ, abominationis arguuntur in conspectu Dei. Atque ita ducitur hæc controversia a Viris magni nominis per multa secula, non sine rationibus utriusque partis. Ea itaque, ut dirimatur, interprete erudito & magis exercitato opus est. Quare ea, qua par est reverentia peto abs Reverendo & Præclariss. Dn. M. Simone Kexlero, Præceptore nostro omni observantiæ cultu jugiter colendo, ut litem istam æstimet, explicet & decidat. Hoc ut non paucis prodesse, ita universis auditoribus gratissimum fore spero.

Responsio Viri Clariss. M. SIMONIS S. KEXLERI, Mathem. Prof. Publ.

Difficilem sane atque arduam satis de Astrologicis prædictionibus diu multumque agitatam quæstionem, sed non dum satis decisam, mihi resolvendam proponit præstantissimus ac literatissimus vir juv. Dn. Michael Iacobi Iurvelius Acad. regiæ hujus Notarius fidelissimus, nunc Philosophiæ Candidatus meritissimus. Pro hac quæstione ventilanda utrinque adducit cum suis authoribus argumenta impugnantia & propugnantia sat firma & valida. Primum ab una parte illos, qui affirmant, astra magnam vim habere in hæc inferiora:

cujus rei certitudinem vel maxime confirmant effectus luminarium Solis & Lunæ. Sol enim suo accessu & recessu non solum aërem, sed omnia sublunaria mutat, fovendo vel deserendo. Lunæ effectus præ cæteris sunt notabiliores, in interlunio enim flacescunt omnia, aut non nisi debilia & languida prodeunt; quo vero longius Luna a Sole recedit, eo majore etiam vi & virtute in inferiora agit: In quadraturis constituta mediocrem humorum copiam experimur, donec tandem in plenilunio & lucis & vigoris copia abundet. Porro Planetarum vires, ex diverso illorum positu, cum inter se, tum ad stellas fixas, non modo sentiunt homines diversis temperamentis præditi, sed etiam in scientia syderali mediocriter versati, & qualicunque effectorum experientia edocti non infeliciter de aeris mutationibus ac tempestatibus præsagire possunt. Hinc universalia quædam aphorismata de adhibendis medicamentis, de serendis quibusdam stirpibus aut plantis, de lignis ad ædificia vel combustionem cædendis, de pecoribus & bobus mactandis, de fructibus decerpendis, aliisque ejus generis actionibus, quæ in medicina, agricultura, oeconomia, re nautica &c. insignem præstant usum ab artificibus aliisque industriis hominibus extracta sunt. Hinc observatio & dierum criticorum, quorum variatio a solo lunæ motu provenit; Et annorum climactericorum, qui ad motum Saturni accomodantur. Unde medici conjiciunt, morbi vires adcrescere vel remittere, & mutationes singulares in corpore deprehendunt. Ex astrorum ortu & occasu quoque depromuntur prognostica, quæ raro fallunt. Eodemque modo non ita pauca petuntur præsagia mutationis aeriæ, ex facie solis, lunæ coloribus & nubium adparentiis; Iuxta versus:

Sero rubens coelum cras indicat esse serenum;
Sed si mane rubet, venturas indicat imbres.

Item:

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Por-

Porro nec multum hallucinantur illi, qui ex constitutione lunæ partuum vivacitatem conjiciunt. Editos enim in interlunio minus vivaces, aut certe languidos ac debiles fore experientia est deprehensum. Tandem cum certo constet, stellarum positu temperamenta mutari ac variari, ac ex temperamentis inclinationes provenire, ex his mores & actiones etc. non incommode ad naturales illas astrorum virtutes genethliaca referuntur, assentiente celeb. Theolog. D. Balduino in casibus consc. hisce verbis: *Humores in corpore cum regantur a stellis, nihil obstat quin ex certo syderum positu in nativitate hominis de temperamento & moribus ejus, & quæ hinc dependent, aliquid prædici possit; non quidem sub infallibili aliqua necessitate, sed verisimiliter, videlicet nisi Deus, qui totius vitæ nostræ summus est director, per causas alias aliter disposuerit, atque educatio diæta, adsuefactio a teneris, regionis temperies & quæ his sunt similia, hominis temperamentum & studia inde profluentia diversimode disposuerint.* Has itaque prædictiones, de aeris mutationibus, vel de hominum temperamentis indeq; dependentibus quibusdam affectionibus, quæ innituntur causis naturalibus, naturales vocamus, easque vel maxime approbamus. In his omnibus nihil est impietatis, nihil superstitionis, sed potius magnam habent utilitatem; ideo nec propter illas Astrologia male audiet, neque culpandum est illorum studium, qui ex syderum positu de tempestatibus prædicunt.

Alias autem quæ non ex naturalibus causis, sed partim ex ingenii humani, partim syderum abusu a Chaldæis olim inventæ sunt atque usurpatæ. Quarum quædam sunt impiæ & blasphemæ in Deum, impingentes in eius majestatem & opera, in humanas leges & regulas vitæ; quædam vanæ superstitiosæ, absurdæ, fallentes, nunquam experientia approbatæ, sed arbitrii libertati contrariæ, & multa mala ac incommoda secum adferentes; quædam etiam prorsus pueriles atque ridiculæ, imo aniles fabulæ; ut quando novas vestes induere

oporteat, aut pecuniam numerare, emere & vendere, pueros ablactare, ungues præsecare, barbam radere, in alias ædes commigrare, uxorem ducere & quæ his sunt similia, scurris & histrionibus quam hominibus doctis, nedum Christianis convenientiora; Prædictiones non immerito phantasticæ appellantur. Easque ad extremos Tartaros & Turcas relegatas volumus, imo ad orcum usque damnamus. Nunc adversæ partis argumenta, quibus Astrologiam tanquam vanam & incertam ex agro philosophiæ exterminare conatur, examinabimus. Inter alia, hæc præcipua sese offerunt: quod scilicet universalia illa agentia, Astra, pro particularium rerum ac eventuum proxima causa reputari non possint: cum non agant semper idem, sed ad modum receptivitatis subjectæ materiæ: idem namque solis calor lutum indurat, & ceram liquefacit. Multa etiam contingunt prædictionibus astrologicis contraria. Multæ quoque contrariantur sacris literis. Tandemque observationes genethliacas prorsus condemnant, quia mores & humanæ actiones dependent a libera hominis voluntate. Hisce suis argumentis adversarii nihil aliud ostendunt, quam se genuinæ Astrologiæ esse ignaros imprimis: deinde rerum naturalium imperitos: & tertio S. Scripturam non recti intelligere, vel saltem non velle intelligere. Nam quod ad S. scripturam attinet, stellarum officia a Mose cap. 1. Genes. triplicia commemorantur. Quorum primum est illuminativum, ut luceant in firmamento coeli, & illuminent terram eamque calefaciant ac foveant. Alterum est discretivum, ut tempora distinguant, & diem a nocte discernant, laborumque & quietis metas nobis constituant. Tertium significativum, ut sint insigna rerum futurarum & eventuum in hoc mundo sublunari. Quod attinet ad propria duo astrorum effecta; non solum certo præsciri, sed etiam infallibiliter prædici possunt, ob certissimas motuum vices, quas arctissime omnia astra observant; easque

præ-

prædictiones S. Scriptura non prohibet, sed diligentissime vult observari, quod patet non solũ ex Festo Neomeniæ, quod singulis Noviluniis celebrandum erat judæis, sed vel maxime festo paschatos, quod in plenilunio primi mensis quotannis solenniter ipsis celebrandum erat. Sic etiam sua certa tempora habent festa pentecostes, tubarum, expiatonis, tabernaculorum & collectionis. Hæc omnia sicuti & festum paschatos nostrum (ut ea quæ ab hoc dependent taceamus) quo tempore anni celebranda sint, ad multa secula præsciri & prædici potest. Sic quantitatem añi, solis ingressum in singula signa Zodiaci, item novilunia, plenilunia, & quadraturas lunæ exacte prædicere possumus; atque sic quadrantes anni, utpote ver, æstas, autumnus & hyems; itemque menses haud incogniti esse possunt. Sic etiam ubique locorum data loci tantum latitudine, seu elevatione poli, infallibiliter prædici possunt ad multa secula solis ortus & occasus, & consequenter diei & noctis crepusculique quantitas; imo omnium syderum mora supra horizontem exacte definiri potest. Et sane absque hac mensium & dierum distinctione nullum ordinem in ecclesia, in regimine aut ipsa oeconomia haberemus, sed mera confusio in omnibus statibus existeret. Vnde divinam sapientiam vel ex hoc certo syderum cursu & temporum distinctione, abunde licet intelligere. In omni statu culmen sapientiæ est, bonum ordinem servare, & temporum oportunitates novisse, quod quisquis assecutus est, ei & excellentis politici et optimi œconomi laus debetur. Nimirum in tempore prora & puppis est; intempestiva e contra ætatem non ferunt. Itaque Deus ipse omnia certo tempore, pondere & mensura definivit. Hinc quodlibet tempus suas certas oportunitates, & benedictiones habet; juxta illud Eccl. 3. Omnia tempus habent, & suis spaciis transeunt universa sub coelo. Hæcce duo effecta non posse exacte prædici, vel contrariari sacris, vel habere alias causas proximiores quam astra, qui di-

dixerit, ostendit, se Astrologiam non didicisse, & S. scripturam non intelligere & Physicam ignorare. Quod tertium astrorum officium significativum attinet, sciendum est, coelum totamque naturam habere signa naturalia, sine quibus nil facit. Unde ipsemet Christus Luc: 21. nos ad signa coeli, solem, lunam & stellas remittit, & ipse quoque a generali & communi consensu comprobata maxima de naturali coeli signo judæos arguit. Math. 16. & Luc. 12. quos etiam ad altiora ducere, & ansam Messiæ prognostica similiter examinandi in manus ipsis dare hoc modo voluit. Verba Matth. sunt: *Facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Et mane; hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis; signa autem temporum non potestis. Quasi dicat: Si attenditis ad signa naturalia & ex facie cœli de tempestate recte concluditis; Cur non magis ad signa præsentis temporis attenditis & Messiam ad-esse judicatis?* verba apud Luc. ista sunt: *Cum videritis nubem Orientem ab occasu, statim dicitis; Nimbus venit, & ita fit: Et cum austrum flantem, dicitis; Quia æstus erit, & fit. Hypocritæ: faciem cæli & terræ nostis probare: Hoc autem tempus quomodo non probatis?* Quasi dicat: *sicut ex signis naturalibus recte concluditis de tempestate, quia sequitur effectus: ita ex signis & miraculis quæ cernitis; recte de Messia debebatis concludere. Verum, quæ est vestra hypocrisis, alterum quidem observatis, alterum vero, quod est longe majoris momenti, præteritis;* unde sane evincitur, Christum probare signa naturalia, & vel maxime ea propter sacris non contrariantur. Neque erraverit, qui cœlum speculum majoris mundi appellabit, in quo sagax Philosophus, quæ in terris futura sunt, possit prævidere. Nam quod signa monitoria attinet, sciendum est, Deum non punire repente, sed ante per signa & prodigia monere. Itaque cum publicæ clades præ foribus sunt, cœlum contristatur, illasque signis quibusdam denunciat; ut id omnia mala publica ostendunt, & S. Scriptura multis in locis attestatur, quæ proinde nequaquam contemni, sed ut præ-

nun-

nuntii & prodromi magnarum poenarum & calamitatum spectari debent. Et si verum est, Christianos illa metuere non debere, velut Deus præcipit Ierem. c. 10. Sed certo sibi persuadere, sub protectione & umbra Altissimi secure se latitare, & in Christo naturæ dominari. Nam novimus, sanctos per fidem coelum clausisse & aperuisse, extinxisse impetum ignis, solem & lunam fecisse immobiles, obturasse ora leonum. Imo non universa modo natura, sed omnes potestates & portæ inferni, peccatum, mors & diabolus fidei subjiciuntur. Christi enim victoria nostra est: in eoque vincimus, & ille in nobis. Certius est, quam negari possit, duorum luminarium ecclipses itemque cometarum exortus maximas mutationes portendere; unde vulgare illud: In cœlo nunquam spectati impune cometæ. Maxima quoque pars morborum, cum originis tum curationis ratione est astralis, ut norunt veri Medici: velut morbi lunatici & nonnullæ species epilepsiæ. Itemque Pestis, & alii non pauci mercuriales & arsenicales morbi: qui quantam conversionem hominis vitæ, actionibus & negotiis adferant, experientia testis est. Unde maximi nominis Medicus Astronomiam, quartam columnam medicinæ constituit. Quod autem eventus prædictionibus non semper respondeat, id ex duabus fit causis: 1. Ex ignorantia artis. Plerique enim divinatores Physicæ & Astronomiæ sunt imperitissimi & sine judicio judicia sua astrologica conformant, temereque tempestates & alia prædicunt, quorum rationes dicere nesciunt. Verum talia mendacia non magis præjudicant veris stellarum influxibus, quam medicorum errores herbarum virtutibus ignoratis. 2. Ex interventu aliarum causarum, quæ syderum vires aut impediunt, aut corrigunt. Denique quod maximum est, Deus cœli & Astrorum architectus prædictiones illas sæpissime avertit, vel piorum precibus placatus, vel impiorum peccatis ad iram provocatus. Porro firmamento omnem potestatem agendi in ho-

hominem derogare, ut adversarii, ridiculum censeo, quandoquidem totum firmamentum est in ipso homine, hoc est, firmamentum macrocosmicum cum microcosmico occultam & insignem sympathiam obtinet: ut notum est veris Philosophis. Quod autem attinet scripturæ loca, quæ contra prædictiones astrologicas a Prophetis damnatas, allegari consueverunt, censeo distinguendum esse, inter opera Dei immediata, & mediata sive naturalia. Itaque cum Judæi opera Dei imperscrutabilia ex natura vellent cognoscere, abesse non poterat, quin una cum suis astrologis risu punirentur. Similiter inepti fuerunt Pharao in Ægypto & Nebucadnezar in Babel, dum Magos Ægyptios & Babylonios opera Dei supernaturalia, puta sua somnia, explicare sibi postularunt. Nam horum expositio non cadebat in sapientiam humanam, sed divinæ propria erat, pertinebatquo ad spiritum Dei, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei 1 Cor. 2. quocirca Daniel Magos illos Ethnicos excusabat, & ne ignorantiam suam morte luerent apud Regem intercedebat: Ipse contra exponens sensum & mysterium per spiritum S. quod ante eum fecerat Joseph apud Pharonem, hujus loci est illud Eccl. 7. & 8. opera Dei esse imperscrutabilia, puta ex natura: nequaquam vero ex Spiritu S. Maneat ergo, loca illa ex prophetis contra astrologiam allegata, stellarum viribus nihil derogare. Maneat item, cœli operationes quantumvis potentes, validas, vehementes & præcipites una cum omnibus potentiis physicis firmamenti & elementorum Deo ac orationi esse subjectas. Nam fideles in Christo domini sunt totius naturæ. Id quod Apoc. 12. præfiguratum est per mulierem amictam sole & lunam sub pedibus habentem. Fidelis, inquam, in Christo super omnia est exaltatus, in illum translatus, illo vestitus, illiusque splendoris & gloriæ particeps naturam universam pedibus conculcat. Ex quibus principiis & fundamentis par est omnes fideles & prudentiores physicam genesin examinare,

cen-

censere & disponere, illudque etiam sibi persuadere, esse se cœli dominos & astris dominari.

Pergit PROMOTOR.

Percepistis, A. O. quam acute, quam nervose quamque rotunde quæstionem suam, satis intricatam, primus hic Candidatorum proposuit: quem pari modo cæteri etiam de facili consequi possent, nisi & temporis brevitas inhiberet; & de istorum etiam profectibus tot antea documentis satis superque essemus confirmati. Neque desperandum quin brevi solenniora quoque passim sint exhibituri. Ne igitur patientia auditorum in auscultando abutar, & prolixitate molestus sim, ipsum coronationis actum maturabo. Ast quid dico, me maturaturum? cum nondum in mea potestate sit, tantum opus aggredi, nedum perficere. Non hoc privati cujusquam est, Doctores & Magistros creare. Imo nec in publicæ cujusvis personæ manu situm, nisi regia accedat, vel potius præcedat authoritas. Tanti est magistros rite proclamare!

Impetrat. Licent. à Pro-Cancell.

Quapropter ne totus hic actus, ut cum JCtis loquar, elusorius evadat, sed legitime procedat, ad Permagnificum Dn. Vice-Cancellarium regiæ hujus Academiæ, admodum Rev. Dn. Episcopum Aboënsem, M. Isaacum Rothovium, Mecænatem & Fautorem parentis adinstar suspiciendum mea sese convertit oratio, ad eum una cum ornatissimis Candidatis supplex confugio, ego quidem eosdem meo & totius facultatis nomine summo studio commendando; illi vero una mecum humiliter & submisse obtestando, ut ea potestate, quæ mediate a S. R. M. serenissima nimirum atque potentissima CHRISTINA AVGVSTA, Suecorum, Gothorum, Wandalorumque Principe hereditaria, Regina & imperatrice pia, felici; Magna Fennorum Principe, Estonum Duce, Ingrorumque Domina; Domina & Altrice nostra clementissima: immediate autem ab illustrissimo Regni Drot-

Drotzeto, & Academiæ hujus Cancellario, D. PETRO BRAHÆO, Comite in *Wisingzborg*, L.B. in *Rydboholm & Lindholmen* &c. ſpecialibus literis conceſſa eſt atque permiſſa, veniam & licentiam, hoſce Candidatos in Philoſophiæ Dd. quos vulgo Magiſtros nominant, promovendi, proclamandi ac renunciandi, concedere & indulgere non gravetur. Pollicemur non modo S. R. M. humillimam ſubjectionem; Illuſtriſſ. Dn. Cancellario promptiſſima obſequia: Verum tuæ etiam admodum Reverendæ Paternitati perpetuam, cum pro aliis, tum pro hoc quoque beneficio, gratitudinem nunquam niſi cum vita ceſſaturam.

Reſponſio Ampliſſ. Dn. Vice-Cancellarii.

Clariſſime & Præſtantiſſime Dn. M. MICHAEL, facultatis Philoſophicæ Decane ſpectabilis, ſympatriota & amice dilecte, voſque omnium facultatum profeſſores ampliſſimi; ſicut & aliorum ordinum viri eminentiſſimi; nec non juvenes ornatiſſimi: Salvator noſter Jeſus Chriſtus in diſputatione cum Iudæis ex Moſe affirmat in duorum aut trium teſtimonio conſtare omne verbum. Iam autem in præſenti negotio non habemus duorum ſaltem vel trium virorum teſtimonium, ſed totius collegii philoſophici in hac illuſtri Academia, quorum ſinguli & univerſi conjunctim teſtantur, hos noſtros Candidatos, ita ſe in Scholis, Gymnaſiis, & Academiis geſſiſſe, tam fideliter Muſis invigilaſſe, easque coluiſſe, ut in examen rigoroſum producti, inventi ſint titulo honoris & quidem Magiſterii philoſophici, qui eſt in philoſophia ſummus, digni & meriti.

Quapropter authoritate mihi in hac re data a S. R. M. Dn. noſtra clementiſſima Academiæ hujus fundatrice potentiſſima per illuſtriſſimum D. D. Petrum Brahæum Regni Sveciæ Senatorem atque Dapiferum ampliſſimum, ſummi Conſiſtorii Regii Præſidem, Comitem in *Wiſingzborg*, Liberum Baronem in *Ridboholm* & *Lindholm* &c. Academiæ hujus Cancellarium magnificentiſſimū; pote-

potestatem largior D. M. Michaeli Vexionio, pro tempore, Decano, hiscenostris Candidatis, qui disputando, respondendo, legendo, satis superque demonstrarunt, se hoc honore dignos, conferendi eis honorem gradus Magisterii. Deum rogamus omnis honoris fontem & authorem, ut cedat hæc actio in gloriam Dei, Patriæ & inprimis Ecclesiæ & Scholarum ædificationem, proprium emolumentum, familiarum suarum decus, ac tandem æternam salutem!

Progreditur Decanus.

Lætamini & exultate, o mei Candidati, de tam exoptato responso. Vivat S. R. M. Vivat Serenissima CHRISTINA AVGVSTA, Sveciæ imperatrix felicissima, Academiæ hujus instauratrix & Nutrix benignissima! Vivat & floreat in perpetuum! Vivat Illustrissimus Comes DN. BRAHÆVS, Regni Drotzetus & Academiæ Cancellarius magnificentissimus! Tuæ quoque admodum reverendæ Paternitati, regiæ voluntatis jam interpreti, grates quas debemus, jugiter habemus, & qualibet oblata occasione easdem cum laude fideliter ebuccinabimus.

Sic igitur voti compotes facti, ut rite procedamus renovandum venit exemplum Græcæ militiæ, Duce Miltiade, contra Persas, imo & nostræ modernæ, ad quam vigore Articulorum militarium, nemo ante admittitur quam in certas quasdam & salutares leges juraverit; pariter etiam in nostra hæc quasi castra novis Candidatis liber ante non patebit aditus, quam in eas conditiones, quas minister publicus recitabit, sacramentum dederint. Tu igitur minister Academiæ publice, cursor Henrice Henrici Aboënsis, Licentiatis verba præi, distincta & clara voce conceptam Juramenti Candidatorum formulam recitans, ad porrecta sceptra, ut ordine pro se quisque jurent. Vos vero interea Candidati Lectissimi, diligenter attendite, ut non modo quid jurandum intelligatis, sed quod juraveritis sedulo servetis. Perjurium enim Deum ipsum severissimum habet ultorem.

JURAMENTI CAPITA à pedello recitata.

I. Veram & incorruptam Evangelii doctrinam ex fontibus Prophetarum & Apostolorum haustam; Symbolis Apostolico, Nicæno & Athanasiano comprehensam in Augustanis comitiis an. 1530. & Upsaliensi Concilio 1593. repetitam amplectar, profitebor, promovebo, defendam.

II. Legitimo Magistratui & speciatim Serenissimæ Reginæ CHRISTINÆ AUGUSTÆ, Suecorum, Goth. Wandalorumque Reginæ, Magnæ Principi Fenning. Duci Esthoniæ, Careliæque, Ingriæ Dominæ &c. Dominæ nostræ clementissimæ, debitam subjectionem & obedientiam præstabo; commoda ejusdem promovebo; damna & pericula pro mea virili avertam.

III. Sacro ordini Ecclesiastico, & hujus præsertim Dioeceseos Episcopo & Academiæ Pro-Cancellario; Nec non Magnifico Academ. Rectori; spectabili Dn. Decano, ut & cæteris Dn. Professoribus, quoad vixero, condignam reverentiam & obsequia exhibebo.

IV. Ad quemcumque pervenero statum aut vitæ genus, ea sum acturus, quæ Aboënsi Academiæ honori & usui esse poterunt.

V. In vita denique modestiam gravitatem ac pietatem sum sectaturus; In doctrina assiduitatem, perspicuitatem atque utilitatem: Vitia vero, turpitudinem, levitatem, sophisticationes & inutiles contentiones sedulo sum vitaturus.

Dicant singuli admotis ad sceptra duobus digitis;

SANCTE PROMITTO,

(*addiderunt etiam sua sponte*) ITA ME DEUS ADJUVET!

Ulterius PROMOTOR.

Quod itaque bene vortat, Ecclesiæ ac Reipub. felix, faustum & salutare esse jubeat, qui omnia potest! Ego Michaël Wexionius, artium Philosophicarum Mag. politices & histor. in reg. hac Academ. Prof. publ. ordin. facult. phil. p. t. Decanus & honorum hac vice Diribitor

le-

legitime designatus; Ex officio, quod ab Illustriss. Dn. Acad. Cancellario clementer demandatum, hac hora sustineo, nomine universi collegii nostri Philosophici vobis 18 Philosophiæ Licentiatis:

Tibi Dn.
- Johannes Elai Tersere, Dalek. Eloq. Prof. Absenti,
- Michaël Jacobi Jurveli, Botn. Acad. Not.
- Marce P. Zadelere, Biörn. Sch. Ab. Conr.
- Enevalde, Suenonis Smolande.
- Johannes M. Ketarmanne, Satag. Fenne.
- Johannes Adami Bahn, Nylande.
- Johannes Olai, Pratane Helsinge.
- Simon Caroli Angleni, Nylandia Fenne.
- Magne Olai Cawalli, Smolande.
- Petre Andreæ Bergi, Sudermanne.
- Axeli Andreæ Kempe, Bothniensis.
- Nicolae Nicolai Marcheli, Nerice.
- Andrea Andreæ Ulstadi, Bothniensis.
- Michaël Canuti Wisi, Aboënsis Fenne.
- Johannes Suenonis Wasseni, West-Gothe.
- Henrice Henrici Tawast, Aboëns. Fenne.
- Johannes Martini Tobeti, Wesmanne,
- Petre Suenonis *Luuth*, Ost-Gothe.

Vobis, inquam, omnibus ac singulis, absenti & præsentibus, nomen, honorem & insignia Doctoratus seu Magisterii Philosophici tribuo; vosque Dd. quos communiter Magistros appellitant, dico facioque, factos renuntio, atque proclamo, in nomine S. S. & individuæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti! Largiens vobis simul omnia privilegia, ornamenta, immunitates & prærogativas, quæ in hoc gradu elucere, & quibus veluti notis a cæteris ordinibus eundem distingui veneranda antiquitas voluit, & laudabiliter recepta consuetudo approbavit.

Nunc autem ne quicquam rerum imperitus Ceremonias modo adhibendas gesticulationes ludicras & vanas

esse vanus existimet; brevem hanc rituum expositionem in antecessum accipite atque notate.

Et primum omnium LIBROS tradam, omnis eruditionis & sapientiæ thecas ac receptacula, in quibus universus abstrusioris sapientiæ thesaurus reconditus latet. Eosque primitus apertos exhibeo.

Exhibui apertos, tum ne vana fascinati imaginatione omnium vos modo habere notitiam persuasum habeatis; tum quod omnium habere memoriam non humanitatis sit, sed divinitatis solius. Ne igitur nimia vos occupet philautia & propria placita vel præconceptas opiniones solum adoretis; libros sæpe apertos habete, hos consulite, hos diurna manu sedulo evolvite. Nautas imitati, qui ubi portum aspexerint, velis & remis contentius contendunt. Ita & vos cursu jam magna ex parte peracto, nolite labascere.

Eosdem libros, jam deinde vobis clausos esse velim. (Claudite itaque nunc libros vestros.) Ne istis tantummodo confidatis & alienarum opinionum mancipia perpetuo maneatis. Clausis itaque libris, memineritis etiam vestrum esse, jam non modo aliorum cognoscere & memoria tenere opiniones; Tantum quippe scitur, quantum memoria tenetur: Sed & de iisdem subinde modeste judicare. Indicat præterea hæc librorum complicatio, modum laboribus statuendum esse, & honestæ recreationi locum non denegandum. Sic quoque & olim Romani, armorum temporibus jani templum aperuerunt; Pacis vero idem clauserunt.

PILEOS deinde capitibus vestris imponam. Solent nempe antiquitus pilei libertatis indices esse. Unde apud Romanos servis, qui in libertatem asserebantur, pileos rotundos imposuerunt; ita etiam vobis ex angustis quasi carceribus studiorum in liberiorem docendi campum emissis hanc libertatis tesseram impertiar. Rutilus sive purpureus in iisdem conspicitur & honoris causa fovetur color; solebant enim purpura quondam

Se-

Senatores a plebeis distingui. Quin & vel ideo hic adhibetur color, quod eundem lana haud facile, nisi variorum colorum mixtura præcedente, imbibat & admittat; Ita neque hæc libertas, hic altioris doctrinæ flos, nisi varia cultura & tinctura, artiumque diversarum mixtura admittitur aut imbibitur.

Est & CORONA pileo annexa. Coronis, sive e lauris, sive ex auro quondam exornabant triumphantes in victoriæ signum, ita & vos ex ignorantiæ cœno viriliter eluctati, barbariem, rusticitatem, inscitiam, ruditatem subegistis, devicistis, supplantastis; gloriosissimum de tot hostibus triumphum agentes, coronis merito exornamini. Si etenim civem servanti, civica; si murum primo conscendenti, muralis; si obsidionem solventi, obsidionalis; si aliis aliæ coronæ olim publice donabantur: Eccur non eodem vel majori jure vobis coronæ non gramineæ, non quernæ, sed perpetuo durabiles conferantur & suspendantur.

Addentur tandem ANNVLI, constantiæ & fidei symbola. Quippe olim annulos non ornatus sed confirmandi, signandi & obsignandi gratia veteres adhibuerunt, quibus chirographa & contractus muniverunt. Quin & etiamnum in sponsalibus & fœdere conjugali hæc arrha intervenire, & ultro citroque dari consuevit.

Desponsatur vobis hisce ANNVLIS, quam diu ambivistis, Philosophia, quod & arrha ista confirmat. Quoties igitur annulos intuemini vestros, hujus etiam vobis desponsatæ memores eritis; hanc somniabitis, hanc osculis & amplexu excipietis, & ad extremum usque defendetis. Ut jam de eo nihil dicam, quod annuli hi sive circuli Encyclopædiam, quæ disciplinarum quendam orbem constituit, denotare videantur. Aurei sunt isti annuli, non tam ad imitationem priscorum Romanorum, qui libertis in equestrem cooptatis ordinem jus dabant annulorum aureorum; quam quod aurum inter metalla purissimum, aliorum vel minima admixtione

extemplo vilescat; Ita & Magistros puros esse decet, non corpore solum & vita, verum etiam animo. Nec nisi puras, veras & nihil fucati aut erroris habentes opiniones fovere.

Annulis istiusmodi non raro unio sive lapis pretiosus inseritur. Gemma preciosissima & ΚΕΙΜΗΛΙΟΝ nobilissimum est vera & infucata pietas. Hæc vos nisi ornarit, minime ornati estis. Sin vero isthæc vestrum condecoraverit aurum; Nulla in toto orbe novo vel antiquo, gemma preciosior inveniri poterit.

Hæcce dona, hæc ornamenta inviolata servare memineritis, vestri honoris symbola: Neque ulla ratione committite, ut eadem indigni accepisse videamini. Turpius namque partam opinionem amisisse, quam nunquam acquisivisse.

Solent quibusdam in locis exteris ad splendorem status indigitandum media etiam luce faces ardentes, & quidem a pueris præferri. Ast quid aliis hic opus est facibus? Vos ipsi faces estis. In publicam nunc lucem producti, amplius latere nequibitis. Vestræ igitur eruditionis & virtutis faces, ignorantiæ atque vitiorum tenebras ubivis longe lateque quocumque pertigerint, dispellant. Quid etiam pueris est opus? Vos ipsi pueri, modesti, simplices & candidi estis; uti hactenus à candore cognominati; ita de cætero eidem perpetuo studebitis. Nihil nunc restat aliud, quam ut vos in altiorem hunc locum & professoriam cathedram collocem: quo facultatem vobis datam esse, præcedente tamen legitima vocatione, docendi prælegendique intelligatis. Hactenus discipuli & auditores solum fuistis: Nunc vestrum erit, docendo ac disputando alios etiam (sed tempestive) informare. Ut vos igitur in possessionem quasi cathedræ ponam, augustiorem hunc suggestum conscendere jubebo.

Salvete idcirco Magistri ornatissimi (ut hoc vos nomine primus compellem:) & ordine quem vel publicum

of-

officium exigit, vel sors citra ullius eruditionis præjudicium decrevit, procedite, ad me ascendite, enumerata magisterii ornamenta atque insignia, quæ restant, e mea manu accepturi ac reportaturi.

M. Johannes Elai Terserus, Eloq. Prof.

Nunc tandem Collega tibi Tersere suavis
  Meritum refert labore Musa præmium.
Non ultra vulgi sis nutu ac voce Magister;
  Legittime sed es Magister artium.
Quidque stylo celebris valeas, Upsalia novit;
  Novit disertus & Loccenius satis.
Novit Dorpatum, Franekeraque; novit idipsum;
  Et hæc condocuit cathedra nos probe.
Nunc igitur cur non mittam tibi munera honoris?
  Hanc scilicet tiaram cum corollula.
Aureus & digitum posthac tibi hic annulus ornet.
  Feliciter precor, ut cadant & omnia.

M. Michaël Jacobi Jurvel, Acad. Secr.

Tu quoque Jurveli, sine fuco, docte Michaël,
Quæ pietas, studium, labor indefessus & acer
Ingenii vigor hic meruere brabæa, capesse.
Rubrum hunc pileolum, roseam tibi habeto corollam;
Obryzo factusque ornet te cyclus in omne
Tempus. Et hæc pariter fauste, precor, omnia cedant!
Salve permultum; Salve præclare Magister.

M. Marcus Pauli, Sch. Cath. Aboic. Conr.

Et Zadelere tibi merito doctissime MARCE,
Strenue Musarum multis excultor ab annis:
Testis, ut est verax tibi non Fenningia solum:
Quin & idem loquitur Salana Academia abunde.
Et quisnam eximias in te se agnoscere dotes
Non fateatur? Habe ergo tibi nunc culmen honoris.
Et rubeam serum villo remicante tiaram
Accipe: Dædalia & confectas arte corollas.
His teres adde aurum, digiti ornamenta manusque.
Macte, Magister Marce, gradus tibi præsit honoris!

M. Enevaldus, Suenonis Smolandus.

Vides, ut ornent tempora ſplendide
Prioribus jam competitoribus,
Sertum, cyclus, fulgens tiara.
Mi patriota, quid ergo cenſes?
Tuone ſint hæc congrua vertici?
Decetne nodos aureus annulus?
Sic credo. Dignum te, profectò,
Cenſuit Ordo ſophum diu ante.
Quid ergo ceſſas clara Magiſteri
Trophæa clari inſignia ſumere?
En tegmen, aufer cum corolla
Et digito rotula aurea apta.
Sit opto fauſtum! comprobet omnia
Potens ſuper cœleſtia ſceptriger!
Proſint tibi, proſint amicis.
Commoda des patriæ Magiſter!

M. Johannes Ketarmannus, Satag. Fenn.

Ketarmanne, quid eſt, quid tardas ſumere dona?
Quæ meruit pridem inſignis amor ſtudii?
Non doctrina tua in ſupremo corticis hæret:
Ethicus aut Phyſicus quæque Matheſis habet;
Cuncta tenes. Non jam linguas nec plura reſigno,
Queis ſine ſufficiens nulla ſophia manet.
Iſta tenes: igitur nomen titulumque Magiſtri
Jure tenes, nec non ſigna venuſta capis.
Et cape lucentem fauſto, voveo, omine mitram;
Sit tibi, quæ annexa eſt pulchra corolla ſimul.
Aureolus digitumque ornet cum pondere cyclus.
Quæ capienſque tenens, docte Magiſter, ave.

M. Johannes Adami Bahn, Nyland.

Sic Bahn, ſic ſolidi, ſic ſic quæruntur honores.
Dat via lata tibi nomen & arduum iter.
Hancce viam tene & urge iter hoc, ſic commoda cernes
Mille: via hæc, credas, gaudia mille dabit.
Hinc cape pileolum, bene compoſitamque corollam,
Ne-

Nexuit hanc pulchrè pulchra venusta manus,
Atque tuum exornet digitumq; manumque refulgens
Aurum. Hæc sunt clari signa Magisterii.
Hisce patrem Socerumque tuum recreato futurum,
Urge iter: & dabitur sic recreare magis.

M. Johannes Olai, Pratanus Helsingus.

Salve mi PRATANE tuæ patriæ decus ingens.
Tu seu sponte tua, sive à majoribus aufers
Hos non immerito Pratani cognomentum.
Florida præ multis musarum invisere prata
Nam tibi cura fuit. Pratanus diceris ergo.
Tu viridem primum visisti hortum Upsaliensem;
Prata dehinc prudens adiisti exotica dudum.
Gryphiswaldense prius: nuper celebre Helmstadiense;
Nobile sed sertum referunt tibi nostra vireta,
Ad quæ collibuit tandem nunc exspaciari.
Ergo habeas tanti tibi pignora tanta laboris,
Signa Magisterii: cum nomine nempe tiaram,
Et magni parvam precii simul hancce corollam.
Et preciosus item digitum tibi hic annulus ornet.
Macte bonis avibus Pratane polite Magister,
Prosit honos, prosit titulusque, insignia prosint!

M. Simon Caroli Anglen, Nyland. Fenn.

ANGLENI citius gradum moveto,
SIMON præcipuum decus Lycæi
Nostri, quo capias tui laboris
Magni præmia diligentiæque
Hinc tandem accipe signa clara clari
Quem portas tituli, tui honoris.
Hoc tegmen capitis subi; corollam
Nec non hanc radiis tene coruscam.
Præstans annulus hic manum coronet.
Concessa est tibi dignitas Magistri
Et nomen titulusque sic Magistri.
Mi SIMON beet hoc supremus ille,

Qui rerum arbiter! Ac vale Magiſter,
Noſtri præcipuum decus Lycæi.

M. Magnus Olai Cawallius, Smoland.

Et mihi notum teneris ab annis,
Quam tuum fervens ſtudium bonarum
Artium: Quam nunc bene diligensque
Teſtis ABOA.
Teſtis & noſter chorus eſt Sophorum,
Nec Sacri vates renuere idipſum,
Verſibus ſat teſtificari abunde,
Docte Cawalli.
Magne fulgentem capias tiaram:
Atque adaptatam hanc hederam venuſtam.
En cyclum, clarusque eris hinc; Magiſter
MAGNE CAWALLI.
Macte mactatus cumulo hoc honoris
Ad lares tandem rediens paternos
Perge præclarum hunc titulum tueri.
Sicque valeto.

M. Petrus Andreæ Bergius, Sudermann.

Jam ſatis curſus, ſatis & laboris
Ardui; metam prius expetitam
Jam tenes. Hic ſurgit apex honoris
En PETRE BERGI.
Novimus cuncti tibi quantum acumen,
Novimus quam ſis bene diſciplinis
Omnibus cultus, meritoque magno &
Jure Magiſter.
Aufer idcirco meritum brabeum
Pileum, pulchram ſimul & corollam:
Hunc & ornatum digiti rotundum,
Omine fauſto!

M. Axelius Andreæ Kempe, Bothn.

Axeli in medio ceu circumvolvitur axis.
Obtigit a medio non procul, ecce, locus:
Fulgida conſortes velut inter gemma refulges:

Prom-

Promptus & ingenio promptus & eloquio.
Rectius haud ulli gradus hic confertur honoris,
Quam tibi: Sic mecum turba novena fatur.
Docto igitur capiti præsentem pileum adapta:
Hoc tua sic sertum tempora condecoret.
Pignus & hoc fidei tradit sine fraude sophia,
Quod digitum cingat, luceat inque manu.
Sit faustum! Musis fias non lubricus axis:
Gigas his castris Kempius ut clueas!

M. Nicolaus Nicolai Marchel, Neric.

Non minus Nicolae perpolite
Præmium meruisse te fatemur;
Insigni studio & labore magno,
Et tua pietate non tacenda.
Tolle pileolum hunc tibi; corollam:
Et cyclum manui decus politum.
Quæ precor jubeat secunda summus
Iova! comprecor atque fausta quævis!
Sic Magister habes tuum brabeum.

M. Andreas Andreæ Ulstadius, Bothn.

Ulstadi, meritas quo possim dicere laudes,
Ut tua mi faveat, juvat exoptare camoena.
Cultis Ulstadi satis haud vix dixerit ullus
Versibus ac ipsius laudes Ulstadius unquam.
Ast quid opus multis cantare encomia, cujus
Se ingenii fœtus cœperunt ferre per auras?
Nunc igitur, præsens a me velut hora requirit;
Ecce galerum habeas, habeas pulchramque corollam,
Exornetque manum fulgens tibi circulus auro.
Cuncta precor faustoque gerantur ut omine: Cuncta
Grata Deo; utilia & tibimet sint usque Magister
Andrea Ulstadi: mecum quod & ipse precare.

M. Michael Canuti Wisius, Aboensis.

Nunc en polite Wisi,
En præmium laboris,
Studiique multiformis:

En

En arrha summi honoris.
Deus dabitque plures
Et munus inde clarum;
Sapientiam & profundam,
Ne gratis hacce Wisi
Denominatione
Frueris. En Magister
MICHAEL ecce, docte,
Has tesseras honoris;
En pileum coruscum,
Rutilamque eam corollam.
Digito applicato cyclum.
Precorque fausta cuncta!
En præmium laboris,
En nunc polite Wisi.

M. Iohannes Sven. Wassenius. W. G.

TE quoque Wasseni pergam celebrare! quid istud
Est opus? haud mihi notus es uni.
Novimus ingenium vegetumque, agnovimus acre
Iudicium: Tibi promptaque lingua.
Quin hæc cuncta tuos prævertere cernimus annos:
Mente senem, juvenem puto, mento.
Hinc te Westgothiæ clarum decus, ecce, Magistrum
Nomino, quamque libens tribuendo,
Wasseni, clara hæc insignia: Nempe tiaram
Perrutilamque corollam: age cyclum
Indue: gesta, perfruere, orna, exauge, tuere.
Sint precor usque tibi omnia fausta.

M. Henricus Henrici Tavvast, Aboensis.

Tawastium hic adesse
Videmus, ut reportet
Nunc præmium hoc honoris,
Sudoris atque magni.
Proinde mi Tawasti,
Spes optumo parenti,
Matrisque sublevamen

Piis-

Piissimæ peramplum,
Spes maxima en Magister
Henrice, nunc Tawasti,
Hanc induas tiaram:
Gestes item corollam:
Cyclumque habe rotundum.
Et fœderis memento,
Inivit hoc sophia.
Salve ergo nunc Magister:
Gaudeque nunc Magister:
Valeque nunc Magister!

M. Iohannes Mart. Tobetius, Wesm.

Tobeti, quod similiter laboribus
Meritus, en, honoris es fastigium.
Notas hebræas namque tu tenes bene:
Grajis nec hospes es loquendi formulis.
Silebo dona, quo brevis sim, cætera.
Hinc pileum corollulamque suscipe,
Digitulumque cinge cyclo hoc aureo,
Et sic Magister artium vige; clue!

M. Petrus Luuth O-Gothus.

Tu quoque Petre
Luuth memorande;
Pluribus annis
Miles in hisce
Strenue castris.
Gnarus hebræam
Atque Mathesin;
Nil oneratus
Hunc locum habeto.
Nunc libet atque
Solvere vota,
Quæ tibi nuper,
Quatuor istis
Versibus arctis
Sponte recepi.
Indue primum
Hancce tiaram;
Juncta corona est.
Accipe cyclum,
Fœderis almi
Sit monimentum,
Sponsa Sophia est.
Sint precor isthæc
Grata triuni;
Proficua & sint
Dulce levamen.

San-

Sanguine junctis!
Sint tibi honori &
Fausta. Valeto.

Ultime primo
Diceris & sic
Compar honore.

CONCLUSIO.

Sic ego, pro modulo, mihi demandata peregi;
Contuli & octodecim signa Magisterii.
Circiter atque anni modo præteriere bis octo,
Cum gradus in patria contigit iste mihi.
Prodiit hic tandem nunc optatissima proles,
Scilicet hæc ætas progenerare solet.
Ast mihi si nunquam dabitur supperaddere plures;
Sufficit ampla satis hæc mihi progenies,
Nec dubito paucos post annos inde nepotes
Quin, modo stet mundus, sim bonus augur, erunt.
Hæc crescat porro soboles academica! crescas
Horum spectatrix, o studiosa cohors!
Audisti laudes horum, merita ante probasti:
Quæ illis, vidisti, clara trophæa dedi.
Hæc te permoveant: ad eandem tendito metam,
Post liceatque tuum sic decorare caput.
Interea Ulstadi gratam se Musa Jehovæ
Præbeat; & laudes jam super astra sonent.
Grata sit ac eadem Reginæ prospera celsæ
Exoptans vitæ stamina longa simul.
Grata sit illustri referens bene, grata Brahæo,
Et dicat cunctis grata pie meritis.

GRATIARUM ACTIO,
M. ANDREA ANDREÆ ULSTADICUS,
Promotorum nomine, peractis Solennitatibus adhibita.

Viderat indomito fulgentem milite Martem,
Europæ vastare sinus, tepidoque madere
Sanguine & Heroas sterni Tritonia pallas;
Si sua Mavorti sunt præmia, si ferus inquit,
Victor ovat miles, victuraque nomina cædes

Pro-

Promeruere, vehit si vivax fama cruentos.
Quin & Scipiadas si Pompejumque secundis
Excepere rotis olim capitolia; Roma
Si Æmilium victis patrem ter clamet Achivis
Et patriæ applaudat crudeli funere Syllæ:
Me credat quoque terra Deam, ne ingloria nobis
Nomina: & ignavas objectent secula curas,
Sunt nobis trabeæ, fasces; subsellia, myrti,
Quique Deam testetur honos, sunt pilea danda
Emeritis, sunt sudatis ingentia curis
Præmia. Palladiis decreta est laurea bellis.
Græcia nobilibus quondam præfulsit Athenis,
Et Latii laus ista fuit facunda Quiritum
Ingenia, & Tulli vocem præponere rostris.
Quin simul arctoo sub sidere pallada amari
Gratulor & serum deduci in secula nomen.
Dixerat: excepi, spretas revirescere laurus.
Progenies augusta Deum gentisque Sueonum,
Hic Regina potens jussit, phœboque sacrari.
Non jam Palladius labiis arentibus artes
Invocat heic miles, spretos sapientia pannos
Non colit, aut vili victor vestitur oliva.
Non vehit auratas solus mercator arenas,
Aut tantum crudo nascuntur funere lauri.
Sunt Musis phoeboque vices, insignia, fasces
Victor habet, viridi cinguntur tempora ramo.
Rumpe igitur mea musa moras, totisque labora
Viribus, & grates ordire hac fundere voce:
Maxime fatorum domitor, Vitæque necisque
Arbiter & magno Suboles æquæva parenti
Quas grates animo, quæ vota e corde feramus?
Dividis ingratis te dum mortalibus, orco
Eximis & veteres reparas ad gaudia casus,
Tu coeli largiris Opes, promissaque patris
Asseris intrepide, tu vires sufficis ægris
Pectoribus; tunc humanos infusa per artus

Vis

Vis divina meat: tenet & facundia mentes,
Non mihi si plenis distillent collibus undæ,
Aut svada fruerer, vatumque uberrima nostræ
Posset inesse seges menti, tua dicere facta
Sustineam, & grates meritas. En pondere rerum
Obruor; immensæque absorbent carmina laudes.
At tu quæ dextra gothici moderamina flectis
Imperii CHRISTINA potens, Augusta Serena.
Quam Dominam supplex Fennorum littus adorat.
Codanus Rhenusque colunt, quam turbidus Ister
Admittit quæ teutonicæ das jura Visurgi.
Cæsareasque armis vindex ulcisceris urbes
Quid tibi diva parens generis, cui stemmate longo
Descendit regalis honos, quod munere dignum
Eloquar æthereo? tua dum manus altera ferrum,
Altera palladias phœbo comitante curules
Versat, & Aonias patitur revirescere laurus:
Arcetur papale jugum, securaque tollit
Pilea & armorum sentit solatia Svecus.
Præside te lætas excepit Aboa camoenas,
Quas pretio liberale tenes & divite dextra
Concilias, sumptusque tuis decernis alumnis.
Et jam fulgentes te permittente coronæ
Emeritos cingunt, digitos teres annulus ambit.
Quas tibi digna jovis soboles promittere grates
Mens sincera potest? o multum candida rerum
Arbitra, & externæ tollent tua nomina gentes,
Suecia nec totam capiet. Tibi victima cornu
Cæditur aurato, delectant casta tonantem
Munera parva licet, vili & placantur in hædo
Numina. Tu nostris iterum succurre camoenis,
Et studiis da vela piis. Sic Fenno Gothusque;
Imperium votis & salvos proroget annos.
Quid te Fennonicæ decus & tutela camœnæ,
Te illustris virtute tua atque illustris avorum
Sanguine Brahe loquar dignum tibi? proxima regni

Cura

Cura subest nostri: tam celso præside Sacra
Castigatque Astræa nefas; te judice gaudet
Ipsa Themis, rigidasque tuæ committere leges
Non dubitat dextræ, veneratur te innuba pallas,
Accipe sed facilis rudis hæc responsa Poëtæ
Et grates quas Fenno fero. Tu rudera primum
Erigis Aonia, & donas Academica nobis
Iura, tuisque libens placidis assuescit habenis
Pallas, honoratis tu das suffragia curis.
Ecquis Thespiadas tanto Rectore sorores
Respuat? Aut quando Musis meliora patebunt
Secula? Quæ tanto donaria digna brabeuta
Reddamus? dicant seri post fata nepotes;
Fennonicas fovit praeclaris Brahe camænas.
Sed te magne Comes claris virtutibus heros,
Qui Dela Gardiacam lampas phæbeia stirpem
Irradias; Cui Gradivus, cui nobilis Arctos
Credidit armatas acies, bellumque togamque,
Quid genioque dicabo tuo? quæ thura saluti?
Quas grates referam? constans te fama loquetur
Per populosque tuis debet virtutibus ætas
Postera. Tu nostris Bellona vindice Musis
Securum custodis iter, Martisque furores
Compescis, procul a studiis Gradivus aberrat.
Quid memorare tuis, sublimis & inclyte Gyllen-
Hielmiadum splendor, meritis famaque perenni
Eximium vox nostra queat? Te celsa Baronum
Nomina, te illustris decorat post fata propago.
Tu reges veneraris avos. Tu classica magnis
Dirigis arma ausis. Tibi vastum rector aquarum
Credidit imperium. Tua dum manus æquora flectit
Pieridum procurat opus: Martique ministrans
Expedit momenta Scholæ. Tua Pallas honore
Et musæ æternis inscribent nomina fastis.
Nunc vates Comitis, nunc claros, celse, penates
Oxenstiarna, tuos & limina magna saluto:

Arctoi lux alta poli, qui maximus Atlas
Svecica fulsisti nutantia pondera, quando
Vagit in cunis divino e sanguine sanguis,
Posthuma spes Svecis, & nondum illustre stupenda
Majestate caput, regales sumere fasces
Ætas permisit. Gothiæ cum magna jaceret
Portio GVSTAVUS. Patriæ cum tota perire
Debebat vel stare salus, & Suecia bellax
Hostili conclusa solo pendebat ab armis.
Consiliis dubium tu Martem dirige, Musas
Subsidiis. Nostras non dedignare camœnas.
Surget in extremis tua qui sublimia cantet
Nomina Fennorum casis, & grata rependet
Munera, quæ clariis phœbea propinat ab undis
Turba, novenarum sociis addicta sororum.
Nec te prætaream celso de stemmata Sydus
Eximium, *Oxenstiarna*, vehit te illustris avorum
Atque tuæ virtutis honor. Tibi regia dextra
Tradidit auratis æraria turgida censis
Majestatis opes amplas, Indique Arabumque
Cirrha tuis gratos aris instillat odores,
Antraque castalidum tibi spondent larga fluenta
Vellera si desunt phryxæa, Arabumque lapilli,
Et vatem & pimplea damus, grates que rependit
Munere pro tanto Fennorum Academia dignas.
Te licet absentem Kurchi generose cacumen
Atque illustris apex, humili sed voce salutat
Et grates tibi Musa vovet: cui sexus uterque
Continuat tam grande decus; cui læta secures
Dat Themis & celso tam Præside jura ministrat.
Tu Phæbi Musæque potens defendis alumnos,
Et post Astræam clariis das tempora curis.
Neu patere Aonidum celeres vilescere cursus,
Sed timidæ da vela rati, tu calcar eunti
Admove, tu nostris felicibus annue cæptis.
At tu Theiologos inter celeberrime Præsul

Rothovi, Aboicæ decus altum jure camænæ.
Ti superi, tua cura vigil, tam munia celsa,
Et tantum tibi credit onus me illustrat amandi
Majestas veneranda Senis. Fennonica per te
Tuta viget pubes. Refoves Academica sceptra
Pieridumque chorum, tu clari jussa Senatus
Tranquilla ratione regis. Tibi publica fundit
Vota, preces, grates, encomia digna Lycæum.
Nunc age cyrrheæ, castissima numina, Musæ,
Quas veneror vates, excultas cedite vires:
Docta Professorum series, laudataque Phæbo
Nomina sunt cantanda. Æternis, credite, chartis
Postera gens tradet: præsens mirabitur ævum
Aonii curam studii, doctæque iuventæ
Sollicitum pectus. Vobis rectoribus ætas
Incauta accrevit, primæva adolovit & altum
Assensu vestro matura capescit honorem.
Quis meritis æqualis honos quæ gloria vestris
Laudibus esse potest par? quantum Roma diserto
Debebat tibi Tulli; & quantum docta Platoni
Græcia: palladii vobis tantum agmina phœbi.
Tu qui magnifico procul hinc decreta senatus
Expedis officio Rector causaque Lycæi
Absens sollicitas Augustæ Numina regis;
Accipe quas claris doctoribus æmula pubes
Transmittit grates, salvum te læta redire
Exoptatque brevi toti prodesse juventæ.
Te transire vetat, Spectabilis arte Decane,
Provida relligio & rerum non degener ordo;
Cum tua non tantum mentes solertia nostras
Imbuit, & multo passim dignata favore est.
Nunc etiam roseis innectis tempora sertis,
Obsequiis, vir clare, tibi vincimur & omnis
Cedit in immensam solers industria laudem.
Tu, qui cœlestum veneranda volumina legum
Volvitis, & terris crucifixi nomina Christi

Panditis. Aut magni qui tractas scripta Galeni,
Hippocratis monita & coo solennia juras
Verba Deo, seu quæ Regno præcepta juventam
Apta doces Gothico: totum quibus occidat ausis
Imperii surgatque decus: quæ tempora paci
Commoda, quæ Martem poscant: qua fœdera lege
Panguntur: juris quis honor: quæ munia Regum.
Seu qui stellatos cœli tractusque domosque
Mitiris: quantis divisi tractibus orbes,
Sydera quove situ: vel quæ distantia cælos
Dividat a terris. Seu qui Spectacla verenda
Naturæ monstras, cœli terræque recessus
Intrepidus graderis, pelagus mōtesque subintras
Ingenio. Seu qui distorta sophismata acute
Solvis, & Aonias instillas mentibus undas:
Mæonium, Flaccum, Nasonem, altumque Maronem.
Vel qui facundis Tulli arcte vocibus hæres,
Et latium in nobis renovas, spretamque suadam
Colligis, excultoque præis sermone disertus.
Nunc Themidos sacrosancta cohors Astræaque virgo
Materies laudis. Qui dextra Regia jura
Fennica tractatis, generosi altaque celebres
Nobilitate viri, consulti legis & æqui.
Utraque qui patriæ, decretaque cæsaris ampla
Versatis, Paulos, Decisos, sinuosaque Baldi
Scriptaque VULTEII; rubricas Bartholi acutas,
Exhibitum Musis quos compensabit honorem?
Quis decus eximium? Nisi sors Pallasque Themisque
Dant socias operas & mutua fœdera jungunt,
Interea æternis inscripti nomina fastis.
At vos qui tenerum cœlesti pascitis aura
Voce gregeque pia, Mosen, psaltem atque prophetas
Traditis & Christi mellitis dicta statutis.
Vos inquam, memori de pectore nulla revellant
Secula, nec vestrum nomen celebri eximet ævo
Invidia, æternæ ast maneant præconia famæ.

Nunc

Nunc mea festino trahitur pede, Consulibusque
Musa refert grates. Vos o qui publica legum
Munia servatis populosam & juribus URBEM
Dirigitis, virtute graves, ætate verendi.
Sumite phœbeas grates, nec temnite Musas,
Vivida queis virtus vel frontea nota corona est.
Distrahor a vobis sermone, ignoscite, longo
Palladii juvenes; ultra spem nostra moratur
Laudibus in variis, lauro præcincta Thalia.
Dum vehet Aboicus salientes fluminis undas
Amnis & incurva Ceres ingens falce secetur,
Donec erunt Musis victuræ nomina famæ,
Gloria vestra manet. Placidi solennia nobis
Quod datis officia, & nostris applauditis actis.
Pergite quo virtus, pallas, solertia, candor
Accersent, clarosque vehat sapientia curru
Quadrijugo. Quanto tum; credite, vestra theatro
Sedulitas laudata pater, virtusque triumphat!
Nunc divina meos claudunt encomia cantus:
Magne Deus, sine fine Deus, tu maxime Christe,
Arbiter humanæ mentis, studii, ingeniique.
Hæc tua, sed grati, celebramus munera, totum
In laudes Helicona damus Fenningia suavem
Intendit grata chelyn. Tu numine dextro
Quod colimus, purum, sine nævis, protege verbum;
Atque salutiferos latices. Academica sceptris
Promove sceptra tuis, teneri fac exulet ulter
Insanus gregis ille tui, grassetur at audax,
Dogma æqui; rectique tenax: sic personat orbis
Christicolum: Æterno cadet ingens victima patri.

Monachi San-Gallensis de vita Caroli M. Libri duo ad vetustum Codicem revisi & emendati.

CAP. I.

Omnipotens rerum dispositor, ordinatorque regnorum & temporum, cum illius admirande statue pedes ferreos vel testaceos comminuisset in Romanis, alterius non minus admirabilis statue caput aureum per illustrem Karolum erexit in Francis. Qui cum in occiduis mundi partibus solus regnare cepisset, & studia litterarum ubique propemodum essent in oblivione, ideoque vere deitatis cultura teperet, contigit, duos Scottos de Hibernia cum mercatoribus Brittannis ad litus Gallie devenire, viros & in secularibus & in sacris scripturis incomparabiliter eruditos. Qui cum nihil ostenderent venale, ad convenientes emendi gratia turbas clamare solebant: si quis sapientie cupidus est, veniat ad nos & accipiat eam, nam venalis est apud nos. Quam tantum iccirco venalem se habere professi sunt, quia populum non gratuita, sed venalia mercari viderunt: uti sic vel sapientie, sicut ceteris rebus coemendis eos incitarent, vel, sicut sequentia comprobant, per tale preconium in admirationem verterent & stuporem. Denique tam diu clamata sunt ista, donec ab admirantibus, vel insanos illos putantibus, ad aures Karoli regis, semper amatoris & cupidissimi sapientie perlata fuissent. Qui cum omni celeritate ad suam eos presentiam euocatos interrogavit, si vere, ut ipse fama comperit, sapientiam secum haberent. Qui dixerunt: Et habemus eam, & in nomine domini digne querentibus dare parati sumus. Qui cum inquisisset ab illis, quid pro ipsa peterent, responderunt: loca tantum oportuna, & animos ingeniosos, & sine quibus peregrinatio transigi non potest, alimenta, & quibus tegamur. Quo ille percepto,

in-

ingenti gaudio repletus, primum quidem apud se utrumque parvo tempore retinuit. Postea vero, cum ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum in Gallia residere precepit, cui & pueros nobilissimos, mediocres, & infimos satis multos commendavit, & eis, prout necessarium habuerunt, victualia ministrari precepit, habitaculis oportunis ad habitandum deputatis. Alterum vero nomine in Italiam direxit, cui & monasterium sancti Augustini iuxta Ticinensem urbem delegavit, ut illuc ad eum, qui voluissent, ad discendum congregari potuissent.

C. II. Audito autem Albinus de natione Anglorum, quam gratanter sapientes viros religiosissimus regum Karolus susciperet, conscensa naui venit ad eum. Qui erat in omni latitudine scripturarum super ceteros modernorum temporum exercitatus, ut puta, discipulus doctissimi Bede post sanctum Gregorium tractatoris. Quem usque ad finem vite jugiter secum retinuit, nisi quando ad ingruentia bella processit, adeo, ut se discipulum eius & ipsum magistrum suum appellari voluisset. Dedit autem illi abbatciam sancti Martini iuxta Turonicam civitatem, ut, quando ipse absens esset, illic requiescere & ad se confluentes docere deberet. Cuius in tantum doctrina fructificavit, ut moderni Galli, sive Franci, antiquis Romanis & Atheniensibus equarentur.

C. III. Cumque victoriosissimus Karolus post longum tempus in Galliam reverteretur, precepit ad se venire pueros, quos Clementi commendaverat, & offerre sibi epistolas & carmina sua. Mediocres igitur & infimi preter spem omnibus sapientie condimentis dulcoratas obtulerunt; nobiles vero omni fatuitate tepentes presentarunt. Tunc sapientissimus Karolus etiam iudicis justiciam imitatus, bene operatos, ad dexteram segregatos, his verbis allocatus est: Multas gratias habete, filii, quia iussionem meam, & utilitatem vestram, iuxta

possibilitatem exsequi fuistis intenti. Nunc ergo ad perfectum attingere studete, & dabo vobis episcopia, & monasteria permagnifica, & semper honorabiles eritis in oculis meis. Deinde ad sinistros cum magna animadversione vultum contorquens, & flammante intuitu conscientias eorum concutiens, hyronice hec terribilia tonando potius, quam loquendo iaculatus est in illos: Vos nobiles, vos primorum filii, vos delicati & formosuli, in natales vestros & possessionem confisi, mandatum meum & glorificationem vestram postponentes, litterarum studiis neglectis, luxurie, ludo, & inertie, vel inanibus exercitiis indulsistis. Et his premissis, solitum iuramentum, augustum caput & invictam dexteram ad cœlum convertens, fulminavit: Per regem celorum non ego magni pendo nobilitatem & pulchritudinem vestram, licet alii vos admirentur, & hoc procul dubio scitote, quia nisi cito priorem negligentiam vigilanti studio recuperaveritis, apud K. nihil unquam boni acquiretis.

C. IV. De pauperibus ergo supradictis quendam optimum dictatorem, & scriptorem, in capellam suam assumpsit. Quo nomine reges Francorum propter cappam S. Martini, quam secum ob sui tuitionem, & hostium oppressionem iugiter ad bella portabant, sacra sua appellare solebant. Qui puer cum quidam episcopus providentissimo Regi Karolo defunctus nuntiaretur, & ille interrogaret, utrum de rebus vel laboribus suis ante se premitteret aliquid, legatusque responderet: Domine, non amplius, quam duas libras de argento. Suspirans ergo puer ille, & vaporem mentis intra pectus continere non valens, audiente rege, in hanc vocem invitus erupit: Parvum viaticum ad iter longinquum & diuturnum! Cumque moderatissimus hominum Karolus paululum deliberasset, dixit ad eum: Putasne tu, quia si episcopatum illum tu acceperis, plura ad longum illud iter dirigere curabis? Ille confestim hec pendentia ver-

verba quasi prematuras uvas, in hos hiantis decidentes, devorans, cecidit ad pedes eius, & dixit: Domine, hoc in Dei nutu & potestate vestra situm est. Et dixit rex: sta post cortinam, que pendet ad dorsum meum, & ausculta quantos adiutores honoris istius habeas. Audientes itaque Palatini recessum episcopi, semper casibus aut certe mortibus aliorum insidiantes, per familiares imperatori personas, unusquisque morarum impatiens, & alter alteri invidentes, sibimet acquirere satagebant. Sed ille in consilii sui immobilitate persistens denegavit omnibus, dicens, se iuvenculo illi nolle mentiri. Tandem Hildigarda regina misit proceres regni primum, postea vero per se ipsa accessit ad regem, ut impetraret episcopium illud clerico suo. Cumque ille peticionem eius iocundissime susciperet, dicens, se nihil ei velle aut posse denegare, nisi quod clericulum illum fallere dedignaretur, ut est omnium consuetudo feminarum, ut consilium suum & votum, virorum decretis preponderare velint, dissimulata iracundia mente concepta, & grossa voce in exilem conversa, gestibusque languidulis inconvulsos imperatoris animos emollire temptata, dixit ad eum: Domine, mi Rex, quid puero illi episcopatum illum ad perdendum? sed obsecro, Domine dulcissime, gloria mea & refugium meum, ut detis illum fideli famulo vestro, clerico meo. Tunc adolescens ille, quem post cortinam, iuxta quam consederat rex, stare percepit, ut audiret, quomodo singuli supplicarent, cum ipsa cortina ipsum circumplexus, in hos questus erupit: Domine rex, tene fortitudinem tuam, ne potestatem a Deo tibi collatam de manibus tuis quisquam extorqueat. Tunc vocavit eum in palam fortissimus veritatis amator, & dixit ei: Habeas episcopatum illum, & provide diligenter, ut maiores expensas & viaticum ad longum illud & inrevocabile iter ante me premittas & te.

C. V. Erat quidam clericus in comitatu regis, vilis &

 ab-

abiectus, & scientia litterarum non satis instructus. Quem piissimus Karolus paupertati eius compassus, licet omnes odio eum haberent, & expellere niterentur, nunquam tamen persuaderi poterat, ut ipse illum abiiceret, vel à sectatu suo removeret. Accidit autem, ut in vigilia S. Martini quidam episcopus imperatori nuntiaretur defunctus. Qui vocavit ad se unum de clericis suis, nobilitate & doctrina non mediocriter preditum, & dedit illi episcopatum illum. Qui leticia resolutus convocavit ad mansionem suam multos de Palatinis; plurimos etiam de parrochia illa venientes ad se cum grandi fastu suscepit, & cunctis permagnificum fecit parari convivium. Dapibus igitur pregravatus, mero ingurgitatus, vinoque sepultus, nocte illa sanctissima ad nocturnas vigilias venire neglexit. Fuit autem consuetudo, ut magister scole designaret pridie singulis, quod responsorium cantare deberent in nocte. Huic autem, qui episcopatum iam quasi in manu retinebat, responsorium: Domine si adhuc populo tuos &c. erat injunctum. Cum ergo defuisset ille, & post lectionem diuturnum silentium transiret, & alterutrum se ad sublevandum respons. coortarentur, & alius atque alius suum resp. se cantare debere diceret, tandem aliquando, dixit imperator, cantet aliquis. Tunc abiectus ille numine divino confortatus, & tali auctoritate roboratus imposuit. Mox clementissimus rex non putans, quia totum canere nosset, iussit eum adiuvare. Cumque alii cantarent, & ille miserabilis a nullo versum perdiscere potuisset, cantato resp. cepit orationem dominicam modulatissime psallere. Omnibus vero illum impedire volentibus, probare volens sapientissimus Karolus, ad quem finem ille veruenirer, prohibuit, ne quis ei molestus esset. Quo versum in hec verba concludente: adveniat regnum tuum, ceteri vellent, nollent, respondere coacti sunt: fiat voluntas tua. Finitis autem laudibus matutinis, cum rex ad palatium, vel caminata dormitaria,

ria, calefaciendi & ornandi se gratia, pro tante festivitatis honore rediret, precepit ad se vocare veterem illum famulum, sed novum cantorem, & ait illi: Quis te iussit responsorium illud canere? Pavefactus ille respondit: Domine, vos precepistis, cantet aliquis. Et dixit rex, quod nomen imperii veteribus in usu fuit; Bene, atque addidit: Quis demonstravit tibi versum illum? Tunc ille verba, quibus eo tempore superiores ab inferioribus honorari demulcerique vel adulari solebant, instinctu Dei, ut creditur animatus, hoc modo labravit: Lete vir Domine, letifice rex, cum à nullo versum alium inquirere potuissem, cogitavi in mente mea, si aliquem incongruum arripuissem, offensam vestre dominationis incurrere. Idcirco eum cantare disposui, cuius finis juxta consuetudinem penultimis responsoriis conveniret. Tunc moderatissimus Imperator sensim arridens illi pronuntiavit coram principibus suis; Superbus ille, qui nec Deum, nec precipuum illius amicum timuit, vel honoravit, ut se vel ad unam noctem à luxuria sua refrenaret, quatenus responsorium, quod, sicut audio, cantare debuit, saltim incipere occurrisset, divino & meo judicio careat episcopatu, & tu illum, Deo donante, & me concedente, iuxta canonicam & apostolicam auctoritatem regere curato.

C. VI. Defuncto quoque alio pontifice, quendam juvenem in locum ejus substituit imperator. Qui cum letus ad abeundum exiret, & ministri eius juxta gravitatem episcopalem caballum ejus ad gradus ascensionum adducerent, indignatus ille, quod quasi pro infirmo eum habere voluissent, de plana terra ita super eum ascendit, ut vix se retineret in eo, ne in ulteriorem partem decideret. Quod per cancellos palatii rex prospiciens, cito illum ad se vocari precepit, & sic illum allocutus est: Bone vir, celer es, & agilis, pernix & prepes; utque ipse tu nosti, multis bellorum turbinibus undique serenitas imperii nostri turbatur, idcirco opus habeo

beo tali clerico in comitatu meo. Esto igitur interim sodius laborum nostrorum, dum tam celeriter ascendere potes caballum tuum.

C. VII. Quod de ordinatione lectionum oblitus sum dicere, cum de responsi dispositione narrarem, hic paucis liceat absoluere. Nullus in basilica doctissimi Karoli lectiones cuiquam recitandas injunxit; nullus ad terminum vel ceram imposuit, vel saltim unguibus quantulumcunque signum impressit: sed cuncti omnia, que legenda erant, ita sibi nota facere curarunt, ut quando inopinato legere juberentur, inreprehensibiles apud eum invenirentur. Digito autem, vel baculo protento, vel ex latere suo ad procul sedentes aliquo directo, demonstravit, quem legere voluisset. Finem vero lectionis sono gutturis designavit, ad quem universi ita intente suspensi fuerunt, ut sive finita sententia, seu in media distinctione, sive sub distinctione significaret, nullus sequens superius aut inferius incipere presumeret, quantumcunque incongrua finis aut initium viderentur. Et hoc modo factum est, ut etiam, si non intelligerent, omnes in ejus palatio lectores optimi fuissent. Nullus alienus, nullus etiam notus, nisi legere sciens & canere, chorum ejus ausus est intrare. Cum autem itinerando venisset K. ad quandam grandem basilicam, & quidam clericus de circumcellionibus ignarus disciplinæ Karoli in chorum ultro intraret, & nihil omnino de talibus unquam didicisset, in medio cantantium mutus & amens constitit. Ad quem paraphonista, levato penniculo, ictum ei, nisi caneret, minabatur. Tum ille nesciens, quid ageret, quove se vertere posset, foras exire non ausus, cervicem in modum circuli contorquens, & dissolutis malis hians, cantandi qualitatem iuxta possibilitatem imitari conabatur. Ceteris ergo risum tenere non valentibus, fortissimus imperator, qui ne ad magnas quidem res a statu mentis sue moveretur, quasi gestum coactionis illius non ad-

ver-

verteret, ordinatissime finem prestolabatur misse. Postea vero vocato ad se misero illo, miseratusque labores & angustias illius, hoc modo consolatus est eum: Multas gratias habeas, bone clerice, pro cantu & laboribus tuis, & ad sublevandam eius paupertatem jussit ei dari 1. libram argenti. Ne vero oblivisci vel negligere videar, hoc vere de industria vel meritis eius agnovi, quia de discipulis ejus nullus remansit, qui non vel abba sanctissimus, vel antistes sanctissimus extiterit. Apud quem & dominus meus Gallus in Gallia, post vero in Italia liberalibus est disciplinis imbutus. Sed, ne a scientibus rerum illarum arguar mendacii, quia nullum exceperim, fuerunt in ejus scola duo molinariorum filii de familia S. Columbani, quos, quia non congruit ad episcopiorum vel cenobiorum regimen sublevari, tamen per merita, ut creditur, magistri sui, preposituram Bobiensis monasterii, unus post unum, strenuissime gubernarunt.

C. VIII. Gloriosissimus itaque K. per totum regnum suum studia litterarum florere conspiciens, sed ad maturitatem patrum precedentium non peruenire condolens, & plusquam mortale laborans in hanc tediatus vocem erupit. O utinam haberem XII. clericos ita doctos, ut fuerunt Hieronymus & Augustinus. Ad quod doctissimus Albinus, ex ipsorum comparatione merito se indoctissimum iudicans, in quantum nullus mortalium in conspectu terribilis K. audere presumeret, maxima indignatione concepta, sed parumper ostensa, respondit: Creator celi & terre similes illis plures non habuit, & tu vis habere XII.

C. IX. Referendum hoc in loco videtur, quod tamen a nostri temporis hominibus difficile credatur, cum & ego ipse, qui scribo, propter nimiam dissimilitudinem nostre, & Romanorum cantilene, non satis adhuc credam, nisi quia patrum veritati plus credendum est, quam moderne ignave falsitati. Igitur indefessus divine

ne

ne servitutis, amator K. voti sui compotem, quantum fieri potuit, in litterarum scientia effectum se gratulatus, sed adhuc omnes provintias, immo regiones, vel civitates in laudibus divinis, hoc est, in cantilene modulationibus ab invicem dissonare perdolens, a beate memorie Stephano papa, qui, deposito & decaluato, ignavissimo Francorum rege Hilderico, se ad regni gubernacula antiquorum patrum more perunxit, aliquos carminum divinorum peritissimos clericos impetrare curavit. Qui bone illius voluntati & studiis divinitus inspiratis assensum præbens, secundum numerum XII. apostolorum de sede apostolica XII. clericos, doctissimos cantilene, ad eum direxit in Franciam. Franciam vero interdum cum nominavero, omnes cisalpinas provincias significo. Quia sicut scriptum est: In die illa apprehendent X. viri ex omnibus linguis gentium fimbria viri Iudei. In illo tempore propter excellentiam gloriosissimi K. & Galli & Aquitani, Edui, Hispani, Alamanni & Baioarii non parum se insignitos gloriabantur, si vel nomine Francorum servorum censeri mererentur. Cum ergo supradicti clerici Roma digrederentur, ut semper omnes Græci & Romani invidia Francorum glorie carpebantur, consiliati sunt inter se, quomodo ita cautum variare potuissent, ut nunquam unitas & consonantia ejus in regno, & provincia non sua, letaretur. Venientes autem ad K. honorifice suscepti, & ad prominentissima loca dispersi, & singuli in locis singulis diversissime, & quam corruptissime poterant, excogitare, & ipsi canere & sic alios docere laborabant. Cum vero ingeniosissimus K. quodam anno festivitates nativitatis, & apparitionis domini apud Treverense, vel Mettense opidum celebrasset, & vigilantissime, imo acutissime vim carminum deprehendisset, vel potius penetrasset, sequenti vero anno easdem sollepnitates Parisii vel Turonis ageret, & nihil illius soni audisset, quem priori anno in supradictis locis expertus fuerat, sed

ſed & illos, quos ad alia loca direxerat, cum tempore procedente ab invicem discordare comperiſſet, ſanctæ recordationis Leoni pape, ſucceſſori Stephani, rem detulit. Qui vocatos Romam vel exilio, vel perpetuis damnavit ergaſtulis, & dixit illuſtri K. ſi alios tibi preſtitero, ſimili ut anteriores invidentia cecati non pretermittent illudere tibi. Sed hoc modo ſtudiis tuis ſatisfacere curabo: Da mihi de latere tuo duos ingenuiſſimos clericos, ut non advertant, qui mecum ſunt, quod ad te pertineant, & perfectam ſcientiam, Deo volente, in hac re, quam poſtulas, aſſequentur. Factumque eſt ita. Et ecce poſt modicum tempus optime inſtructos remiſit ad K. Qui unum ſecum retinuit, alterum vero petente filio ſuo, Trougone, Mettenſi epiſcopo, ad ipſam direxit eccleſiam. Cuius induſtria non ſolum in eodem loco pollere, ſed & per totam Franciam in tantum cepit propagari, ut nunc usque apud eos, qui in his regionibus latino ſermone utuntur, eccleſiaſtica cantilena dicatur Mettenſis; Apud nos autem, qui theutonica ſive teutiſca lingua loquimur, aut vernacule Met, aut Mette, vel ſecundum grecam derivationem uſitato vocabulo Mettiſca nominetur.

C. IX. Religioſiſſimus & temperatiſſimus K. hanc conſuetudinem habebat, ut in XL. diebus octava hora diei, miſſarum celebritate pariter cum veſpertinis laudibus peracta, cibum ſumeret, nec tamen iccirco ieiunium violaret, cum ſecundum domini preceptum ab hora ad horam comederet. Quod epiſcopus quidam contra interdictum ſapientis viri multum juſtus & nimium ſtultus improvide reprehendit; ſapientiſſimus autem K. indignatione ſimulata, admonitionem ejus humiliter ſuſcepit, dicens: Bene admonuiſti, lete vir epiſcope, ego autem tibi precipio, ut nihil deguſtes ante, quam extremi officiales, qui ſunt in curte mea, reficiant. Comedente autem K. miniſtrabant duces, & tiranni, vel reges diverſarum gentium. Poſt cuius convi-

vivium, cum illi comederent, serviebant ei comites & prefecti, vel diversarum dignitatum proceres. Ipsis quoque manducandi finem facientibus, militares viri, vel scolares aule reficiebantur. Post hos omnimodorum officiorum magistri, deinde ministri, post inde vero eorundem ministrorum ministri, ita, ut ultimi ante noctis medium non manducarent. Cumque jam prope finita esset XL, & prefatus episcopus in tali castigatione permansisset, dixit ad illum clementissimus K. ut puto, probasti episcope, quia non intemperantie, sed providentie gratia ante vespertinam horam in XL. convivor.

C. X. Ab alio quoque episcopo cum benedictionem peteret, & ille, signato pane, primum sibi perciperet, deinde honestissimo K. porrigere voluisset, dixit ei: Habeas tibi totum panem illum, & sic eo confuso benedictionem illius accipere noluit.

Providentissimus K. nulli comitum, nisi his, qui in confinio vel termino Barbarorum constituti erant, plus quam unum comitatum aliquando concessit; nulli episcoporum abbateiam, vel ecclesias ad ius regium pertinentes, nisi ex certissimis caussis unquam promisit; cumque à consiliariis, sive familiaribus suis interrogaretur, cur ita faceret, respondit: Cum illo fisco vel curte, illa abbateiola vel ecclesia tam bonum vel meliorem vassallum, quam ille comes est, aut episcopus, fidelem mihi facio. Ex certis autem causis quibusdam plurima tribuit, ut puta, Udalrico, fratri magne Hildigarde, genetricis regum & imperatorum. De quo, cum post obitum ipsius Hildigarde, pro quodam commisso à K. viduaretur honoribus, quidam scurra in auribus misericordissimi K. proclamavit: Nunc habet Udalricus honores perditos in Oriente & Occidente, defuncta sua sorore. Ad que verba illacrimatus ille, pristinos honores statim fecit illi restitui. Ad sancta etiam loca, dictante iustitia, liberalissimas manus patenter aperuit, ut ex sequentibus apparebit.

C. XII.

C. XII. Erat quoddam episcopium itineranti K. nimis obvium vel magis inevitabile. Episcopus vero loci illius cupiens illi satisfacere, cuncta, que habere potuit, in eius obsequium profligavit. Cum autem quodam tempore insperato veniret imperator, tum vero episcopus ille conturbatus more hirundinis huc illucque discurrens, & non solum basilicas vel domos, sed & curtes ipsasque plateas verri faciens & purgari, valde lassus & indignatus obviam illi processit. Quod cum piissimus adverteret K. oculos in diversa iaciens, & singula queque perlustrans, dixit ad antistitem: Semper, hospes optime, bene ad nostrum introitum omnia facis emundari. Ille quasi divinitus allocutus conquiniscens, & invictam dexteram complexus deosculans, indignatione, quantum potuit, occultata, respondit: Iustum est, Domine, ut quocunque vos veneritis, omnia expurgentur usque ad fundum. Tunc sapientissimus regum de aliis alia intelligens dixit ad eum: Si evacuare novi, & replere didici. Et adiecit: Habeas fiscum illum episcopatui tuo proximum, & omnes successores tui usque in seculum.

C. XIII. In eadem quoque profectione, inopinato venit ad quendam episcopum, in loco inevitabili constitutum. Cumque ipso die carnes quadrupedum aut volatilium comedere noluisset, quia VI. esset feria, pontifex ille iuxta facultatem loci ipsius cum repente pisces invenire nequisset, optimum illi caseum, & ex pinguedine canum iussit apponi. Moderatissimus autem K. ubique & in omnibus institutus, verecundie presulis parcens, nihil aliud requisivit, sed assumpto cutello, abhominabili, ut sibi videbatur, erugine proiecta, albore casei vescebatur. Episcopus autem, qui more famulorum propter astabat, propius accedens dixit: Cur ita facis, Domine imperator? nam quod proiiciis, illud optimum est. Tunc ille, qui fallere nesciret, & à nullo se falli posse putasset, iuxta suadelam episcopi eruginis illius partem

tem in os proiecit, & sensim masticans in modum butyri degluttivit, & episcopi consilium probans dixit: Verum bone hospes dixisti, addiditque: Omnibus annis duas carradas talibus caseis plenas ad aquas Grani mihi dirigere ne pretermittas. Ad cuius impossibilitatem rei consternatus episcopus, quasi in periculo status & ministerii sui constitutus, ei suggessit: Domine, caseos acquirere possum, sed nescio, qui eiusmodi sint, qui vero aliter, & timeo, ne reprehensibilis inveniar apud vos. Tum K. quem insueta atque incognita nequaquam fugere vel latere potuissent, dixit episcopo, in talibus enutrito, & adhuc earundem rerum nescio: Incide omnes per medium, & quos tales perspexeris, acuminato ligno conjunge, & in cubam missos dirige mihi, alios autem tibi, & clero, vel familie tue reserva. Quod dum per duos annos factum fuisset, & rex talia munera dissimulanter accipi juberet, tercio anno jam venit episcopus, & per se ipsum tanto labore & tam longe adducta representare curavit. Tunc equissimus K. curis & laboribus ejus compassus, dedit ad eundem episcopatum optimam curtem, unde frumentum & vinum ad suas & suorum necessitates ipse & successores ejus habere potuissent.

C. XIV. Quia retulimus, quomodo sapientissimus K. humiles exaltaverit, referamus etiam, qualiter superbos humiliaverit. Fuit quidam episcopus vane glorie & inanium rerum valde cupidus. Quod sagacissimus K. deprehendens, precepit cuidam Iudeo mercatori, qui terram repromissionis sepius adire, & inde ad cismarinas provincias multa preciosa & incognita solitus erat afferre, ut eundem episcopum quolibet modo deciperet aut illuderet. Qui comprehendens unum murem domesticum, diversis aromatibus condivit, & prefato episcopo venalem adportavit, dicens, se de Iudea illud preciosissimum, & antea non visum animal attulisse. Ille ad rem tantam gaudio repletus obtulit ei tres libras de argen-

gento, ut cariſſimum illud munus deberet accipere. Tunc dixit Iudeus: Quam decorum precium pro tam caro munere; prius hoc in profundum maris projicio, quam quilibet hominum tam vili & turpiſſimo precio illud acquirat. Ille, qui multa haberet, & pauperibus nihil unquam tribueret, promiſit ei X. libras, ut incomparabilem illam rem poſſet accipere. Tunc aſtutus homo ille, indignatione ſimulata, profatus eſt: Non velit Deus Abraham, ut ita perdam laborem & ſubuectionem meam. Tunc avarus ille clericus, tam carum munus inhians, propoſuit ei XX libras. Iudeus ergo turbidus murem precioſiſſimo inuoluens ſerico cepit abire. Epiſcopus quaſi deceptus, ſed vere decipiendus, revocavit eum, & dedit ei plenum modium de argento, ut precioſiſſimo illo munere potiri potuiſſet. Tandem igitur mercator ille multis precibus ambitus vix egre conceſſit, & acceptum argentum imperatori pertulit, omnia ſupradicta narravit. Poſt dies autem non multos convocavit rex omnes epiſcopos & proceres ejusdem provincie, ad colloquium ſuum, & poſt multa neceſſaria pertractata precepit afferri totum illud argentum, & in medio poni palatio. Tunc ſic pronuntians ait: Vos patres & proviſores noſtri, epiſcopi, pauperibus, immo Chriſto in ipſis miniſtrare, non inanibus rebus inhiare debuiſtis. Nunc autem in contrarium cuncta vertentes, cenodoxie vel avaricie ſuper omnes mortales intenditis. Et adiecit: Unus ex vobis tantum argenti pro uno mure domeſtico, pigmentis temperato, cuidam dedit Iudeo. Ille autem, qui tanto flagitio deceptus erat, ad pedes ejus corruens veniam pro commiſſo precabatur. Quem digna ipſe inuectione coercitum confuſum permiſit abire.

C. XV. Idem quoque epiſcopus, cum bellicoſiſſimus K. in bello contra Hunnos eſſet occupatus, ad cuſtodiam glorioſiſſime Hildegarde relictus eſt. Qui cum familiaritate illius animari cepiſſet, in tantam progreſ-

sus est protervia, ut virgam auream incomparabilis K. quam ad statum suum fieri iussit, diebus feriatis vice baculi ferendam, pro episcopali ferula improbus ambiret. Que illum callide deludens dixit, non audere se eam cuilibet homini dare, sed tamen fidam se legationem ejus cause apud regem fore. Veniente autem eo, suggessit illa iocularitet, que amens postulavit episcopus. Cuius peticioni iocundissime rex assensus promisit, se etiam plus facturum, quam ille peteret. Cum autem cuncta pene Europa ad triumphatorem tante gentis K. convenisset, pronunciavit hec in auribus maiorum & minorum: Episcopi contemptores huius mundi esse debuerint, & alios exemplo sui ad appetenda celestia provocare: nunc vero pre ceteris mortalibus tanta ambitione corrupti sunt, ut quidam ex eis non contentus episcopatu, quem in prima Germanie sede retinet, sceptrum nostrum, quod pro significatione regiminis nostri aureum ferre solemus, pro pastorali baculo, nobis ignorantibus, sibi vendicare voluisset. Mox reatum suum recognoscens indulgentia perceptus cessit.

C. XVI. Nimium pertimesco, O! domine imperator K. ne dum iussionem vestram implere cupio, omnium professionum, & maxime summorum sacerdotum offensionem incurram, sed tamen de his omnibus non grandis mihi cura est, si tantum vestra defensione non destituar. Precepit religiosissimus K. imperator, ut omnes episcopi per latissimum regnum suum, ante prefinitum diem, quem ipse constituerat, in ecclesiastice sedis basilica predicarent, aut, quicunque non faceret, episcopatus honore careret. Sed quid dico honore? cum apostolus protestetur: si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sed vere vobis occulte fateor, quia magnus honor in eo, opus vero bonum nec minimum requiritur. Supradictus igitur primas ad tale preceptum conterritus, cum nihil aliud sciret, nisi deli-

li-

liciis affluere, & superbire, timens autem, ne, si episcopio careret, luxuria sua pariter viduaretur, vocavit duos de primoribus palatinis ad diem festum, & post evangelii lectionem ascendit ad gradus, quasi ad alloquendum populum. Cumque ad tam inopinatam rem omnes admirati concurrerent, excepto uno pauperculo valde rufo, gallicula sua, quia pilleum non habuit, & de colore suo nimium erubuit, caput induto, dixit, nominetenus, non revera, episcopus, ad hostiarium vel scarionem suum, cuius dignitatis aut ministerii viri apud antiquos Romanorum edilicionum nomine censebantur, voca ad me illum pilleatum hominem, qui stat iuxta ostium ecclesie. Festinans ille mandatum domini complere, apprehendens miserum, cepit eum trahere ad episcopum. Qui timens, ne gravi mulctaretur vindicta, quia tecto capite in domo Dei stare presumpserit, totis viribus cepit reniti, ne quasi ad tribunal severissimi iudicis duceretur. Tunc episcopus de eminentioribus prospiciens, & nunc vasallum suum alloquens, nunc illum misellum increpitans, excelsa voce clamando predicavit: attrahe illum, cave, ne dimittas, velis, nolis, huc debes venire. Cum ergo aut vi, aut metu devictus appropinquaret, dixit Episcopus: Accede propius, appropinqua etiam; atque deinde apprehensum capitis tegimen extraxit, & ad plebem proclamavit: Ecce, videtis populi: rufus est iste ignavus. Et reversus ad altare solempnia consecravit, vel se consecrasse simulavit. Talibus ergo missis ad finem perductis, ingrediuntur in aulam variis tapetibus & omnigenis ornatam palliis, ubi oppipare illud convivium auro vel argento sive gemmeis vasis immissum fastidio vel nausia laborantes in sui desiderium posset allicere. Sedebat autem ipse mollissimis plumis preciosissimo serico vestitis exstructus, imperatoria purpura indutus, ita, ut nihil illi, nisi sceptrum illud & nomen regium deesset. Ditissimorum militum cohortibus septus, in quorum

comparatione illi palatini, hoc est invictissimi K. proceres, vilissimi sibimet ipsis viderentur. Qui cum post admirabile illud & regibus inusitatum convivium licentiam abeundi peterent, ille, ut eis magnificentiam suam & gloriam manifestius ostenderet, iussit precedere peritissimos cantandi magistros cum omnibus organis musicorum, de quorum vocibus & sonitu fortissima corda mollescerent, & liquidissima Rheni fluenta durescerent. Potuum vero diversissima genera, variis pigmentis aut medicaminibus contemperata, herbis & floribus gemmarum vel auri fulgorem in se trahentibus, suumque ruborem illis infundentibus coronata, restagnantibus iam stomachis, tepebant in manibus. Interea vero pistores, lanii, coci & fartores plenis ventribus omnimoda gule irritamenta exquisitis artibus preparabant. Qualis nunquam cena magno composita est K. Mane autem facto, cum aliquantisper ad sobrietatem rediret episcopus, & luxum, quem pridie coram satellitibus Imperatoris perhorrere cepisset, iussit, eos adduci ad se, & regiis muneribus honoratos adiuravit, ut de se bona & modesta apud terribilem K. narrare dignarentur, & quia publice in ecclesia ipsis audientibus predicaret. Quos cum reversus imperator interrogaret, cur eos episcopus ille vocaret, procidentes ad pedes eius dixerunt: Domine, ut nos in vestro nomine supra mediocritatem nostram honoraret. Et adiecerunt: Fidelissimus est vobis & omnibus vestris optimus episcopus ille, summoque sacerdotio dignissimus est. Nam si nostre vilitati credere dignamini, fatemur sublimitati vestre, quia declamatorie audivimus illum predicare. Cumque imperator ejus imperitie conscius, de modo predicationis inquireret, & illi eum fallere non auderent, omnia per ordinem retexerunt. Tunc intelligens, causa timoris sui aliquid illum loqui conatum, quam preceptum suum pretermittere ausum, licet indignum, retinere permisit pontificatum.

C. XVII. Post tempus vero non longum, cum quidam iuvenis, cognatus regis, optime in quadam festivitate caneret: alleluia, dixit imperator ad eundem episcopum: Bene modo cantavit ille clericus noster. Qui iuxta stulticiam suam iocular iter illa verba suscipiens, illum imperatoris cognatum nesciens, respondit: Sic omnes proriparii possunt bubus agricolantibus vetrenere. Ad quod improbissimum responsum fulmineas in eum acies imperator intorquens attonitum terre prostravit.

C. XVIII. Fuit alius episcopus parvissime civitatule, qui, se, dum adhuc in carne viveret, non apostolorum & martirum more intercessorem ad Deum haberi, sed ipse divinis cultibus voluit honorari. Sed talem superbiam hoc modo studuit occultare, ut sanctus Dei diceretur, ne omnibus abhominabilis cum idolis gentium reputaretur. Hic habuit unum vasallum, non ignobilem civium suorum, valde strennuum & industrium, cui tamen ille, non dicam aliquod beneficium, sed nec ullum quidem aliquando blandum sermonem impendit. Qui nesciens, quid agere posset, ut inmites ejus animos placaret, excogitavit, ut si aliquod signum in nomine ejus se fecisse comprobaret, ad gratiam ipsius pervenire valeret. Cum ergo de domo sua ad episcopum venire disponeret, assumpsit duas caniculas in manu sua, quas gallica ligua vultres nuncupant, que agilitate sua vulpes & ceteras minores bestiolas facillime capientes, qua caras etiam & alia volatilia ascensu celeriore sepe fallerent; & dum in via vulpem, muribus insidiantem videret, ex inproviso canes illi tacitus inmisit. Que volatu rapidissimo ruentes post illam intra iactum sagitte comprehenderunt. Ipse quoque cursu prepeti consecutus vivam & sanam dentibus canum vel unguibus excussit, canes autem, ubi potuit, abscondens, tripudians cum illo munere ad dominum suum introivit, & suppliciter infit: Ecce, domine, quale munus ego

& pauperculus acquirere potui. Tunc episcopus parum arridens, interrogavit, quomodo illam ita sanam comprehenderet. At ille propius accedens & per salutem ipsius domini sui iurans, quod veritatem ab eo non celaret, intulit: Domine, per campum istum cavallicans, & vulpem istam non longe aspiciens, laxis habenis post illam tendere cepi. Porro, cum ipsa tam perniciter aufugeret, ut vix eam iam videre potuissem, elevata manu adiuravi eam dicens: In nomine domini mei Rechonis sta, & non moveraris ultra. Et ecce quasi catenis obligata stetit in loco fixa, donec eam quasi ovum derelictum tollerem. Tunc ille inani gestione perflatus dixit coram omnibus: Nunc apparet sanctitas mea, nunc scio, qui sim, nunc agnosco, quid futurus sim. Ex illo die exosum illum hominem super omnes familiares suos miro coluit amore.

C. XIX. Hoc, quia se ita obtulit occasio, extrinsecus inserto, non ab re videtur etiam cetera, que isdem temporibus memoria digna gesta sunt, stili officio religare. Erat quidam Episcopus in Francia nova, mire sanctitatis & abstinentie, incomparabilis etiam liberalitatis & misericordie. Cuius bonitate invidus omnis justicie hostis antiquus nimium exasperatus, tale illi desiderium, edende carnis in diebus XL. inmisit, ut se absque recrastinatione moriturum putaret, nisi ejusmodi recrearetur edulio. Consilio tandem multorum sanctorum & venerabilium sacerdotum roboratus, ut carnes pro recuperatione sanitatis acciperet, & postea per totum annum more solito se maceraret, ne ipsis inobediens & vite sue proditor inveniretur, eorum cedens auctoritati & ultima necessitate constrictus, parum quid de quadrupedante carne misit in buccum. Quod cum masticare cepit, & gustum illius sensu palati tenuissime percepisset, tanto tedio, fastidio vel odio non solum carnium, seu ceterarum escarum, sed & lucis ipsius & vite presentis cum salutis sue desperatione correptus est, ut

ul-

ultra nec manducare vellet aut bibere, aut ſpem ſuam in ſalvatore perditorum ponere confideret. Cum autem hec prima ebdomada XL. gererentur, ſuggerebant ei prefati patres, ut, quia diabolica ſe illuſione deceptum cognoſceret, acrioribus ieiuniis, & contricione cordis, elemonſinarum largitate, momentaneum illud peccatum ſuperducere, extenuare vel abluere niteretur. Qui, ut erat optime inſtructus, eorum conſilio parens, ut & diaboli maliciam confunderet, & apud innocentie reſtitutorem commiſſi veniam impetraret, biduanis vel triduanis ſe jeiuniis affligens, ſomni quietem fugiens, pauperibus & peregrinis per ſe ipſum cottidie miniſtrans, eorumque pedes abluens, veſteſque & pecunias iuxta facultatem ſuam illis offerens, & ultra impendere volens, die ſancta ſabbati paſchalis plurima dolia de tota civitate poſtulavit, & calidas balneas à mane usque ad veſperam cunctis indigentibus exhibere curavit, & colla ſingulorum ipſe manu ſua raſit, & purulentias ſcabieſque per hirſutorum corporum vepres unguibus extraxit, & unguentis delibutos candidis veſtibus quaſi modo regeneratos induit. Cum autem ſol appropinquaret occaſui, & nullus iam remaneret, qui talibus indigeret obſequiis, intravit ipſe in balneum, & exiens mundata conſcientia, mundiſſimis opertus eſt lineis, ut judicio ſanctorum epiſcoporum ſollepmnia populo celebraret. Cumque iam ad eccleſiam procederet, callidus adverſarius propoſitum illius violare cupiens, ut contra votum ſuum aliquem pauperem non lotum epiſcopus dimitteret, aſſumpta ſpecie fediſſimi luridiſſimique leproſi, ſanie fluvidi, pannis tabo rigentibus amicti, greſſu tremente nutabundi, nimia raucedine miſerandi, ante limen eccleſie ſe illi obvium tulit. Tunc ſanctus antiſtes inſtinctu divino regreſſus, ut cognoſceret, quali nuper inimico ſubcumberet, extractis albis, aquam ſine mora calefieri, & ipſum miſellum in ipſa facit imponi. Aſſumptaque novacula turpiſſi-

mum collum cepit radere. Cumque ab una aure usque ad medias derasisset arterias, cepit ab alia, ut ad eundem locum rasuram perduceret. Illuc autem perveniens setas longiores, quam absciderat, mira dictu, renatas invenit. Et cum hoc sepe fieret, & ille radere non cessaret, ecce inter manus episcopi, horresco referens, oculus mire magnitudinis in arteriarum medio cepit apparere. Tunc ille pavefactus a tali monstro resilivit, & se Christi nomine cum ingenti clamore consignavit. Ante cuius invocationem, fraudulentus hostis ultra fallaciam suam abscondere non valens, ceu fumus evanuit, & abscendens dixit: Iste oculus vigilanter intendit, quando carnem in quadragesima comedisti.

C. XX. In eadem quoque regione fuit alius pontifex incomparabilis sanctitatis, qui incauta securitate iam quasi feminei sexus ignarus, sanctimoniales iuvenculas non minus, quam grandevos sacerdotes discendi gratia secum conversari permisit. Cum autem in ipsa festivitate paschali post officium divinum, quod supra mediam noctem protraxit, alasatiensi illo figultario se licentius indulsisset, & simul cum illo fortiori falerno, cuiusdam venustissime femine vultus & meretricios gestus heu nimis eneruiter in se pertraxisset, recedentibus ceteris, ad lectum suum vocatam lugubriter constupravit. Mane vero rutilante citus exsurgens & iuxta gentiles noctem flumine purgans, ante inevitabilis vere deitatis oculos maculata conscientia processit. Cumque, premissis melodiis, ipse iuxta ministeriũ suum imponere debuisset ymnum angelicum, pavefactus obstupuit, & sacri ministerii vestes super altare posuit, atque ad populum conversus reatum suum confessus est. Deinde ad crepidinem corruens altaris, inestimabilibus ablutus est lacrimarum fluentis. Populo vero instante, ut exurgeret, & se terribilibus sacramentis astringente, quod illa precipua die non sibi ab alio aliquo, quam ab ipso pastore sacra missarum celebrari paterentur, & illo loco

mo-

moveri non posset, atque hec concertatio per trium fere horarum spacia transiret, tandem clementia conditoris, & vota devoti populi, & contritum cor episcopi miserata, sic in pavimento iacentem revestivit, & de sua certioratum indulgentia ad contractanta celestibus metuenda ministeria in exemplum vere penitentie vel cautelam nusquam & nunquam in hoc seculo tute, sed semper & ubique vane securitatis misericorditer animavit.

C. XXI. In Francia quoque, que dicitur antiqua, fuit alius ultra omnem modum tenacitate constrictus. Cum autem sterilitas omnium terre proventuum quodam anno insolita orbem universum depopularetur, tunc avarus ille negotiator omnium mortalium, immo iam morientium ultima necessitate gavisus, repositoria sua precepit aperiri, nimium care venundanda. Tum demon vel larva, cui cure fuit, ludicris vel hominum illusionibus vacare, fecit consuetudinem ad cuiusdam fabri ferrarii domum venire, & per noctes malleis & incudibus ludere. Cumque paterfamilias signo salutifere crucis se suaque munire conaretur, respondit pilosus: Mi compater, si non impedieris me in officina tua iocari, appone hic poticulam tuam, & cottidie plenam invenies illam. Tum miser ille plus penuriam metuens corporalem, quam eternam anime perditionem, fecit iuxta suasionem adversarii. Qui assumpta pregrandi flascone cellarium bromii vel ditis illius irrumpens, rapina perpetrata, reliqua in pavimentum fluere permisit. Cumque iam tali modo plurime cube fuissent exinanite, animadvertens episcopus, quia demonum fraude periissent, benedicta aqua cellam asperit, & invicte crucis signaculo tutavit. Nocte autem facta, furis antiqui callidus satelles cum vasculo suo venit, & cum vinaria vasa propter impressionem sancte crucis non auderet attingere, nec tamen ei liceret exire, in humana specie repertus, & à custode domus alligatus, pro fure ad pu-

publicum productus, & ad palam cesus inter cedendum hoc solum proclamavit: Ve mihi, ve mihi, quia poticulam compatris mei perdidi. Hoc licet historia sit verum iccirco protulerim, ut sciatur, cui proveniant abiurata, & in diebus necessitatis abstrusa, & quantum valeat divini nominis invocatio, etiam per non bonos adhibita.

C. XXII. Dum oculos ad Francorum caput intendo, eiusque membra perlustro, reliquarum gentium summos & infimos post tergum reliqui. Sed iam ad vicinos nostros Italos una tantummodo macheria divisos veniendum est. Erat ibi quidam episcopus, inmanium rerum valde cupidissimus. Quod diabolus advertens cuidam pauperculo, avaritia tamen non evacuato, in humana se obvium tulit specie, pollicitus, non mediocriter illum esse ditandum, si societatis vinculo in perpetuum sibi delegisset adnecti. Quod cum miser profiteri non abnueret, dixit hostis callidus: Converto me in mulum prestantissimum, tu vero ascende super me, & vade ad curtem episcopi. Cum autem ille mulum illum ceperit inhiare, tu protrahe, differ, abnue precium; exaggera, indignationemque simulans recedere para. Tum necesse est, ut ille post te mittat, & plurima promittat. Tandem precibus exoratus, & infinita pecunia cumulatus, quasi non libenter & coacte mulum illi concede, & concitus aufugiens latibulum ubicunque require. Quod cum factum esset, & episcopus usque ad sequentem diem, expectare non sustinens, in ipso fervore meridiano sonipedem ascendens, per urbem superbiens equitabat, in campum volitaturus exibat, ad fluvium refrigerandi gratia properabat. In cujus favorem omnis etas sequebatur, ambulationem volubilissimam, cursum rapidissimum, natatui delphinis simillimum cernere gestientes. Et ecce antiquus ille belial velut chami frenique non patiens, & vere gehenne ignibus estuans, in profundum gurgitis sese demergere, & secum trahere cepit episcopum, ita, ut vix militari ma-
nu,

nu, & industria piscatorum, qui prope navigabant, extraheretur.

C. XXIII. Insidiarum peritus adversarius in via, qua ambulamus, laqueos nobis abscondere solitus, alium quidem hoc, alium vero alio vicio supplantare non desistit. Cuidam sacerdoti episcopi, quippe nomen Itali resupprimendum est, fornicationis crimen imponebatur. Cumque hoc jam ita in noticiam populorum devenisset, ut a referentibus etiam episcoporum episcopo, religiosissimo K. notissimum fieret, & ille sapientissimus aliquandiu rem dissimulans frivolis verbis fidem accommodare noluisset, sed fama malum, quo non velocius ullum, de minima meisa supra aquilarum magnitudinem, excresceret, ut nequaquam jam celari potuisset, misit districtissimus inquisitor justicie K. duos de Palatinis, qui ad proximum civitati locum vespere divertentes, mane primo ad sacerdotem inopinato venirent, & ipsum sibi missam celebrare postularent, si nimis abnueret, illi eum ex suo nomine constringerent, quatenus per se ipsum sacrosancta misteria celebraret. Qui nesciens, quid ageret, quia & ante superni spectoris oculos ipsa nocte peccarat, & illos offendere non auderet, plus tamen homines, quam Deum metuens, frigidissimo fonte estuantia membra baptizans, ad offerenda terribilia sacramenta processit. Et ecce vel conscientia concutiente, vel aqua venas penetrante, tanto frigore correptus est, ut nullorum medicorum adminiculo posset adjuvari, sed imanissima febrium valetudine perductus ad mortem, districti etiam iudicis decreto animam reddere cogeretur.

C. XXIV. Sed ceteris mortalibus, his & huiuscemodi fraudibus a diabolo, vel satellitibus eius illusis, libet intueri sententiam domini, qua firmissimam sancti Petri confessionem remunerans ait: Quia tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo ecclesiam meam, & porte inferni non prevalebunt adversus eam; in his etiam pericu-

lo-

losissimis & nequissimis diebus inconcusam, inmobilem permanere. Ut inter emulos semper inuidia debachatur, sollempne Romanis & consuetudinarium fuit, ut omnes alicuius momenti ad sedem apostolicam per tempora subrogatis iugiter essent infensi vel potius infesti. Unde contigit, ut quidam illorum inuidia cecati, sancte recordationis Leonis pape, cuius supra fecimus mentionem, monstriferum crimen imponentes, eum cecare fuissent aggressi. Divino vero nutu conterriti sunt, & retracti, ne oculos eius eruerent, sed rasoriis per medios inciderent. Quod cum clanculo per familiares suos Michahelo imperatori Constantinopoleos indicari fecisset, & ille omne auxilium ab eo retraheret, dicens: Ille papa regnum habet per se, & nostro prestantius, ipse se per se ipsum vindicet de adversariis suis: tunc sanctus ille divinam constitutionem secutus, ut qui iam re ipsa rector & imperator plurimarum erat nationum, nomen quoque imperatoris Cesaris & Augusti apostolica auctoritate gloriosius assequeretur, inuictum K. Romam venire postulavit. Qui ut semper in expeditione & procinctu bellico positus erat, statim cum apparitoribus, & scola tyronum, cause vocationis sue penitus ignarus, caput orbis, ad caput quondam orbis absque mora perrexit. Cumque perditissimi populi inopinatum illius comperissent adventum, quasi passeres a conspectu domini sui cognomine nuncupati solent celari, ita per diversa latibula criptas & profugia sunt abstrusi. Sed cum industriam & sagacitatem eius sub celo non possent evitare, ad basilicam sancti Petri capti & catenati perducti sunt. Illic intemeratus pater Leo, assumens evangelium Domini nostri Iesu Christi, posuit super caput suum & in conspectu K. eiusque militum, assistentibus etiam persecutoribus suis, in hec verba iuravit: Sic in die magni iudicii sim particeps euangelii sicut inmunis sum criminis, falso mihi ab istis obiecti. Et mox terribilis K. dixit ad suos: Cavete, ne quis de illis evadat.

dat. Omnes itaque comprehensos, vel diversis mortibus, vel inremeabilibus dapnavit exiliis. Cum autem ibidem, aliquot diebus reparandi exercitus gratia moraretur, convocavit antistes apostolicus de vicinis partibus, quoscunque potuit, & coram positis illis, & invincibilibus gloriosissimi K. comitibus, nihil minus suspicantem ipsum pronuntiavit imperatorem, defensoremque ecclesie Romane. Quod cum ille non potuisset abnuere, quia divinitus sic procuratum crederet, non tamen gratanter suscepit pro eo, quod putaret, Grecos, maiore succensos invidia, aliquid incommodi regno Francorum machinaturos, immo potiori cautela provisuros, ne, sicut tunc fama ferebat, K. insperato veniens, regnum illorum suo subiugaret imperio. Et maxime, quia pridem magnanimus K, cum legati regis Bizantini venirent ad se, & de domino suo illi suggererent, quam fidelis ipsi amicus esse voluisset, & si viciniores essent, eum filii loco nutrire, & paupertatem illius relevare decrevisset, ferventissimo igne se intra pectus retinere non quiens, in hec verba prorupit: O! utinam non esset ille gurgitulus inter nos; forsitan divitias orientales aut partiremur, aut pariter participando communiter haberemus: quod ignari paupertatis Africane solent de Afrorum rege narrare. Innocentiam vero beati Leonis pape, ita donator & restitutor sanitatis approbavit, ut post illam penalem & crudelissimam incisionem clariores, quam antea fuerint, ei condonaverit oculos, excepto, quod in signum virtutis illius pulcherrima cicatrix in modum fili tenuissimi turturinas acies niveo candore decorabat.

C. XXIX. Ne vero ab imperitis arguar imperitie, quia mare, quod nomine gurgituli magnus appellavit imperator, inter nos & Grecos ex eius arbitrio retulerim, noverint, qui volunt, adhuc Hunos, & Bulgares, & plures immanissimas gentes intactas & integras iter ad Greciam terrestre negare; quas tamen postea bellicosissi-

si-

simus K. vel terre coequavit, ut omne Sclavorum genus & Bulgarum, vel penitus eradicavit, ut ferreorum adamantinorumue progeniem & nomen Hunorum. De quibus mox docebo, si prius de edificiis, que Cesar Augustus imperator K. apud aquas Grani iuxta sapientissimi Salemonis exemplum Deo, vel sibi, vel omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, & cunctis de toto orbe venientibus hospitibus, mirifice construxit, iuxta pauca satis & minima commemorem.

20 *C.XXVI.* Cum strenuissimus imperator K. aliquam requiem habere potuisset, non otio torpere, sed divinis servitiis voluit insudare, adeo, ut in genitali solo basilicam, antiquis Romanorum operibus prestantiorem, fabricare propria dispositione molitus, in brevi compotem se voti sui gauderet. Ad cuius fabricam de omnibus cismarinis regionibus magistros & opifices omnium id genus artium advocavit. Super quos unum abbatem, cunctorum peritissimum, ad executionem operis, ignarus eius fraudium constituit. Qui mox, ut Augustus quoquam secessit, precio accepto, quos volebat, ad propria remisit. Qui vero se redimere nequiverunt, vel a dominis suis absoluti non sunt, sicut quondam Egyptii populum Dei iniquis operibus afflixerunt, ita immensis laboribus oppressit, ut nunquam eos aliquantulum requiescere pateretur. De tali ergo fraudulentia cum infinitum pondus auri & argenti, sericorumque palliorum congregasset, & viliora suspendens in camera, pretiosiora quaeque in arcis vel scriniis absconsa concluderet, ecce repente domus eius inflammata a referentibus illi nuntiatum est. Qui concitus accurrens & per medios flammarum globos in conclave, quo scrinia auro plena servabantur, irrumpens, & cum uno tantum exire nolens, singula singulis imposuit humeris & exire cepit. Interea trabes una pregrandis ignibus evicta cecidit super eum, & corpus quidem materiali combussit incendio, animam vero transmisit ad ignem, qui non

non succenditur. Ita divinum iudicium pro religiosissimo K. vigilavit, ubi ipse regni negotiis occupatus nimis intendit. Erat ibidem alius opifex in omni opere eris & vitri cunctis excellentior. Cumque Tanco monachus sancti Galli campanum optimum conflaret, & eius sonitum Cesar non mediocriter miraretur, dixit ille prestantissimus, sed infelicissimus in ere magister: Domine imperator, iube mihi cuprum multum afferri, ut excoquam illud ad purum, & in vice stagni fac mihi quantum opus est, de argento dari, saltim centum libras, & fundo tibi tale campanum, ut istud in eius comparatione sit mutum. Tum liberalissimus regum, cui licet divitie affluerent, ipse tamen cor illis non apponeret, facile iussit omnia, que petebantur, exhibere. Que miser ille assumens letus exiuit, & es quidem conflans & emundans, in locum vero argenti purgatissimum stagnum subiciens, multo melius optimo illo de adulterato metallo campanum in brevi tempore perfecit, probatumque Cesari presentavit. Quod ille propter incomparabilem conformationem satis admiratus, inmisso ferro pulsatorio, iussit in campanario suspendi. Quod cum sine mora factum fuisset, & custos ecclesie vel reliqui capellani, nec non & erronei tyrones illud ad sonitum perducere, alii succedentes aliis, niterentur, & nihil efficere potuissent; tandem indignatus auctor operis & commentor inaudite fraudis, apprehenso fune, traxit eramentum. Et ecce ferrum, de medio elapsum, in verticem ipsius cum iniquitate sua descendit, & per cadaver iam iamque defunctum pertransiens, ad terram cum intestinis & virilibus venit. Memoratum vero pondus argenti repertum precepit iustissimus K. inter indigentes Palatinos dispergi.

C. XXVII. Fuit consuetudo in illis temporibus, ut ubicunque aliquid opus ex imperiali precepto faciendum esset, siquidem pontes, vel naves, aut traiecti, sive purgatio seu stramentum vel impletio cenosorum iti-

nerum ea comites per vicarios & officiales suos exequerentur, in minoribus duntaxat laboribus, a maioribus autem, & maxime noviter exstruendis, nullus ducum vel comitum, nullus episcoporum vel abbatum excusaretur aliquo modo. Cuius rei testes adhuc sunt arce pontis Magontiacensis, quam tota Europa communi quidem, sed ornatissime participationis opere perfecit, fraudulentia vero quorundam malivolorum & de navium subvectione mercedes iniquissimas compilare volentium, consumpsit. Si vero essent ecclesie, ad ius regium proprie pertinentes, laquearibus vel muralibus adornande picturis, id a vicinis episcopis aut abbatibus curabatur. Quod si nove fuissent instituende, omnes episcopi, duces & comites, abbates etiam, vel quicunque regalibus ecclesiis presidentes cum universis, qui publica consecuti sunt beneficia, a fundamentis usque ad culmen instantissimo labore perduxerunt, sicut adhuc probat non solum basilica divina, sed & humana apud aquas Grani, & mansiones omnium cuiusquam dignitatis hominum, que ita circa palatium peritissimi K. eius dispositione constructe sunt, ut ipse per cancellos solarii sui cuncta posset videre, quecunque ab intrantibus, vel exeuntibus quasi latenter fierent. Sed & ita omnia procerum habitacula a terra erant in sublime suspensa, ut sub eis non solum militum milites, & eorum servitores, sed omne genus hominum ab iniuriis imbrium vel nivium gelu vel caumatis possent defendi, & nequaquam tamen ab oculis acutissimi K. valerent abscondi. Cujus edificii descriptionem ego inclusus, absolutis cancellariis vestris relinquens, ad iudicium Dei, quod circa illud factum est, explicandum revertor.

C. XXVIII. Providentissimus igitur K. quibuscunque primoribus in proximo constitutis precepit, ut opifices a se directos omni industria sustentare, & cuncta ad opus illud necessaria subministrare curarent. Qui vero ex longinquis partibus advenissent, commendavit

eos

eos preposito domus sue nomine Luitfrido, ut eos de publicis rebus aleret & vestiret, sed & cuncta, que ad constructionem illam pertinerent, sedulus impendere semper instaret. Quod cum illo in eodem loco sedente aliquantulum faceret, recedente vero omnimodo cessaret, tantas pecunias idem prepositus de miserorum illorum cruciatibus aggregavit, ut eas mammonas Pluton atque dis non aliter, quam vehiculo cameli possent ad inferna perducere. Quod mortalibus compertum est. Gloriosissimus K. ad nocturnas laudes pendulo & profundissimo pallio, cuius iam usus & nomen recessit, utebatur. Expletis vero ymnis matutinalibus ad caminatam reversus, imperialibus vestimentis pro tempore ornabatur. Clerici vero cuncti ita parati ad antelucana veniebant officia, ut vel in ecclesia, vel in porticu, que tunc curticula dicebatur, imperatorem ad missarum sollempnia processurum vigilantes exspectarent, aut qui opus haberet, in sinu comparis sui caput paululum reclinaret. Quidam ergo pauperculus ex eis, qui domum supradicti Liutfridi abluendarum seu resarciendarum, sicut exiguis opus est palatinis, vestium, vel potius pannorum causa frequentare solebat, super genua socii sui dormiens vidit gigantem, Antoniano illo adversario proceriorem de curte regia super rivulum illum per traiectum ad domum illius properantem, & camelum inmanissimum, inestimabili sarcina pregravatum, ad ulteriora trahentem. Et obstupefactus in somnio quesivit ab eo, de qua regione veniret, aut quo tendere voluisset. Qui respondit: De domo regis ad domum Liutfridi pergo, ut eum super hos fasces imponam, & pariter cum eis in infernum dimergam. Ad quam visionem expergefactus clericus, & maiore metu contritus, ne eum terribilis K. dormientem repperiret, mox caput elevans, & ceteros ad vigilandum provocans, in hec verba prorupit: Si vultis, audite somnium meum. Videbar mihi videre Poliphemum illum, qui in terra gra-

diens alta pulsat sydera, & in medio ionio latera non tinguit ardua, de hac curte ad domum Liutfridi cum onerario properantem camelo. Cumque causas eius itineris inquisissem, dixit ille: Liutfridum super hec onera ponere, & ad inferna deducere contendo. Hac relatione nondum expleta, venit puella de domo eius, omnibus notissima, & ante pedes eorum procidit, implorans, ut memoriam amici sui Luitfridi dignarentur habere. Illis autem interrogantibus, quid cause haberet, dixit illa: Domini mei, sanus ad latrinam exivit, & cum ibi diutius moraretur, egredientes defunctum invenimus illum. Cuius cum subitanea mors imperatori comperta fuisset, & ab opificibus & reliqua familia, tenacia vel avaritia illius iam libere proderetur, iussit thesauros eius perquiri. Qui cum inestimabiles invenirentur, sciretque iudex, post Deum iustissimus, de qua iniquitate congregati fuissent, publice pronuntiavit: Non potest aliquid ex his, que iniuste fraudavit, ad liberationem illius miseri proficere. Dividantur itaque inter operarios huius edificii, tenuioresque palatii nostri.

C. XXIX. Duo sunt referenda adhuc, que in eodem contigerunt loco. Quidam diaconus iuxta consuetudinem Cisalpinorum contra naturam pugnare solitus, balneas intrans, caput suum pressissime radi faciens cutem expoliavit, ungues murcavit, capillosque brevissimos quasi ad circinum tornando decurtavit, lineas & camisiam candididissimas induit, & quia devitare non potuit, quin potius, ut per hoc gloriosior appareret, sponte coram summo Deo & sanctis angelis & in conspectu severissimi regis & procerum eius evangelium, ut ex consequentibus patuit, polluta conscientia legere presumpsit. Inter legendum vero aranea, per fila subito descendens, caput eius percussit, & celerrime ad superna retraxit. Quod cum districtissimus K. secundo ac tercio provideret, & dissimulando fieri permitteret, clericus vero propter timorem illius se defendere non au-

de-

habetur hoc alibi in Gemulo exemplar:

deret, maxime cum non araneam se impetere, sed muscas inquietare putaret, evangelica lectione perlecta, reliquum etiam complevit officium. Egressus autem de basilica mox intumuit, & intra unius horæ spatium defecit. Religiosissimus vero K. pro eo, quod vidit, & non prohibuit, quasi homicidii reum publica seipsum pœnitentia multavit.

C. XXX. Habuit incomparabilis K. incomparabilem clericum in omnibus, de quo illud ferebatur, quod de nullo unquam mortalium, quia videlicet & scientia litterarum secularium, atque divinarum, cantilenæque ecclesiasticæ, vel iocularis, novaque carminum compositione sive modulatione, insuper & vocis dulcissima plenitudine inestimabilique delectatione cunctos præcelleret. Cum & ipse legislator ex instructione divina sapientissimus de gracilitate vocis vel dispendio linguæ tardioris causetur, & discipulum ex auctoritate inhabitantis in se Dei elementis celestibus imperante ad consulta mittat Eleazari, & Christus dominus noster vel eum, quo inter natos mulierum maiorem non surrexisse testatur, nullum in corpore signum operari concesserit; & eum, quem paterna revelatione se ipsum cognoscere voluit, clavibusque regni celorum donavit, Pauli sapientiam mirari voluerit; discipulumque plus ceteris dilectum in tantam cadere trepidationem permiserit, ut in locum sepulchri eius ingredi non præsumeret, cum illud imbecilles mulierculæ sepius frequentarent. Sed illi, sicut scriptum est, omni habenti dabitur, scientes, a quo haberent, etiam, quæ minus habuere, consecuti sunt. Iste vero nesciens, unde haberet, vel sciens auctori donorum digne gratias non egit, cuncta pariter amisit. Nam ut veluti familiarissimus iuxta gloriosissimum Cesarem constitisset, subito non comparuit. Cumque ad tam inauditam & incredibilem rem invictissimus K. imperator obstupefactus fuisset, sed tandem resipiscens, se cruce domini consignaret, invenit

in eo loco, in quo steterat ille, quasi carbonem teterrimum & modo extinctum.

C. XXXI. Nocturnum illud atque pendulum Augusti pallium adhuc nos a bellico procinctu retrahit. Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum: calciamenta forinsecus aurata, corrigiis tricubitalibus insignita, fasciole crurales vermiculate, & subtus eas tibialia vel coxalia linea, quamvis ex eodem colore, tamen opere artificiosissimo variata. Supraque & fasciolas in crucis modum, intrinsecus & extrinsecus, ante, & retro, longissime ille tendebantur. Deinde camisia clizana, post hec balteus spate colligatus. Que spata primum vagina, secundo corio qualicunque, tercio lintheamine candidissimo cera lucidissima roborato ita cingebatur, ut per medium cruciculis eminentibus ad peremptionem gentilium duraretur. Ultimum habitus eorum erat pallium canum, vel saphirinum quadrangulum duplex, sic formatum, ut, cum imponeretur humeris, ante & retro pedes tangeret, de lateribus vero vix genua contegeret. Tunc baculus de arbore malo, nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis, cuspide manuali ex auro vel argento cum celaturis insignibus prefixo, portabatur in dextera. Quo habitu lentus ego & testudine tardior, cum in Franciam nunquam venirem, vidi caput Francorum in monasterio Sancti Galli prefulgens, duosque flores auricomos ex eius femoribus progressos, quorum qui prior egressus est, proceritatem illius adequabat; posterior autem paulatim excrescens verticem stipitis sui summa gloria decoravit, & transcendendo contexit. Sed, ut se mos humani habet ingenii, cum inter Gallos Franci militantes, virgatis eos sagulis lucere conspicerent, novitate gaudentes, antiquam consuetudinem dimiserunt, & eos imitari ceperunt. Quod interim rigidissimus imperator idcirco non prohibuit, quia bellicis rebus aptior ille videretur habitus. Sed cum Fresones hac licentia abutentes adverteret, & brevissima illa palliola

liola fiunt prius maxima vendere comperisset, percepit, ut nullus ab eis nisi grandia, latissimaq; illa, longissima pallia consuetudinario precio coemeret, & dicens: Quid prosunt illa pittaciola? in lecto non possum eis cooperari, caballicans contra ventos & pluvias nequeo defendi, ad necessaria nature secedens tibiarum congelatione deficio.

Explicit L. I. Incipit Prefatio.

In prefatione huius opusculi tres tantum auctores me secuturum spopondi. Sed quia precipuus eorum Vuerinbertus VII. die de hac vita recessit, & debemus hodie die III. kal. Iunij commemorationem illius orbi filii discipulique agere, hic fiat terminus libelli istius, qui ex sacerdotis eiusdem ore de religiositate & ecclesiastica Domini K. cura processit. Sequens vero de bellicis rebus acerrimi K. ex narratione Adalberti, patris eiusdem Vuerinberti cudatur, qui cum domino suo Keroldo & hunisco & saxonico vel sclavico bello interfuit, & cum valde senior paruulum me nutriret, renitentem & sepius effugientem, vi tandem, coactum, de his instruere solebat. EXPLICIT PREFATIO.

Incipit Lib. II. Gestorum K.

C. I.

Ex relatione secularis hominis, & in scripturis minus eruditi, sermonem facturi, non ab re credimus, si iuxta fidem scriptorum pauca de superioribus ad memoriam revocemus. Cum Deo odibilis Iulianus in bello persico celitus fuisset peremtus, & a regno Romanorum non solum transmarine provintie, sed proxima Pannonia, Noricus, Retia, vel Germania, Francique vel Galli defecissent, ipsique reges Gallorum vel Francorum propter interfectionem sancti Desiderii, Vienensis episcopi, & expulsionem sanctissimorum advenarum, Columbani videlicet & Galli, retro labi cepissent, gens Hunorum prius per Franciam & Equitaniam, vel

Gallias sive Hispanias latrocinari solita, tota simul egressa quasi latissimum incendium cuncta devastans, reliquias, que remanere poterant, ad tutissima illa latibula comportavit. Que huiusmodi fuerunt, sicut prefatus Adalbertus mihi narrare consueverat: Terra, inquiens, Hunorum VIIII circulis cingebatur. Et cum ego alios circulos nisi vimineos cogitare nescius interrogarem; quid illud miraculi fuit: Domine? respondit: Novem hegin muniebatur. Cumque & illos alterius generis esse nescirem, nisi quales segetibus solent pretendi, inquisitus etiam de hoc dixit: Tam latus fuit unus circulus, hoc est, tantum intra se comprehendit, quantum spacium est de castro Turico ad Constantiam, ita stipitibus quernis, faginis vel abiegnis exstructus, ut de margine ad marginem XX. pedes tenderetur in latum, & totidem subrigeretur in altum, civitas autem universa aut durissimis lapidibus aut creta tenacissima repleretur, porro superficies vallorum eorundem integerrimis cespitibus tegeretur. Inter quorum confinia plantabantur arbuscule, que ut cernere solemus, abscise atque proiecte, comas caudicum foliorumque proferunt. Inter hos igitur aggeres ita vici & ville erant locate, ut de aliis ad alias vox humana posset audiri. Contra eadem vero edificia inter expugnabiles illos muros porte non satis late erant constitute, per quas latrocinandi gratia non solum exteriores, sed etiam interiores exire solebant. Item de secundo circulo, qui similiter ut primus erat extructus, XX. milliaria teutonica, que sunt XL. Italica, ad tercium usque tendebantur; similiter usque ad nonum, quamvis ipsi circuli alius alio multo contractiores fuerint. De circulo quoque ad circulum sic erant possessiones & habitacula undique versum ornata, ut clangor tubarum inter singula posset cuiusque rei significativus adverti. Ad has ergo munitiones per ducentos & eo amplius annos qualescunque omnium occidentalium divitias congregantes, cum & Go-

Gothi & Vuandali quietem mortalium perturbarent, orbem occiduum pene vacuum dimiserunt. Quos tamen invictissimus K. ita in annis octo perdomuit, ut de eis minimas quidem reliquias remanere permiserit. A Bulgaribus vero ideo manum retraxit, quia videlicet, Hunis exstinctis, regno Francorum nihil nocituri viderentur. Porro predam in Pannonia repertam, per episcopia vel monasteria liberalissima divisione distribuit. In bello autem saxonico, cum per semet ipsum aliquando fuisset occupatus, quidam privati homines, quorum etiam nomina designarent, nisi notam arrogantie vitarem, testudine facta, muros firmissime civitatis vel aggeris acerrime destruebant. Quod videns iustissimus K. primum illorum, cum consensu domini sui Keroldi, prefectum inter Renum et alpes Italicas instituit.

C. II. Ibidem vero cum duorum ducum filii ad tentorium regis excubare deberent, & potibus ingurgitati iacerent ut mortui, porro ille iuxta consuetudinem suam sepius euigilans, & castra circuiens, sensim & pene nullo cognoscente ad tabernaculum regressus est. Mane autem facto, conuocatis ad se cunctis regni primoribus, interrogauit, qua pena dignus esset, qui caput Francorum in manus hostium tradidisset? Tunc prefati duces, earundem rerum penitus ignari, eiusmodi hominem condemnauerunt ad mortem. Ipse vero clarissimis verbis correctos dimisit inlesos.

C. III. Erant quoque ibi duo nothi de genitio columbrensi procreati. Qui cum fortissime dimicarent, requisiuit imperator ab illis, qui & vnde essent nati? quo comperto, meridiano tempore eos ad tabernaculum suum vocatos sic allocutus est: Boni iuuenes volo, vt mihi, non alii seruiatis. Qui cum se ad hoc venisse testarentur, vt vel vltimi in eius essent obsequio, dixit ille: ad cameram meam seruire debetis. Quod etiam, dum indignatione dissimulata libenter se facturos esse

faterentur, captato tempore, quo imperator quiescere cepisset, exierunt ad castra aduersariorum, & tumultu concitato, suo vel hostium sanguine, seruitutis notam diluerunt.

C. IV. Inter huiusmodi tamen occupationes nullo modo magnanimus pretermisit imperator, quin ad longinquissimarum partium reges, alios atque alios dirigeret litterarum vel munerum portitores, a quibus illi omnium prouinciarum sunt honores directi. Cum igitur de sede saxonici belli, legatos ad regem Constantinopoleos destinaret, interrogauit ille, vtrum pacatum esset regnum filii sui K, vel si a finitimis gentibus incursaretur. Cumque missorum primus alias omnia pacata referret, nisi quod gens quedam, qui Saxones vocitantur, creberrimis latrociniis Francorum fines inquietarent, dixit homo torpens otio, nec vtilis belli negotiis: Heu quare loborat filius meus contra hostes paucissimos nullius nominis, nulliusque virtutis? habeas tu gentem illam cum omnibus ad eam pertinentibus. Quod cum reversus bellicosissimo K. nuntiaret, arridens ille dixit ei: Multo melius tibi rex ille consuluisset, si vnum lineum femorale ad tantum iter tibi tribuisset.

C. V. Non videtur occultanda sapientia, quam insapienti Grecie idem missus aperuit. Cum autumnali tempore ad vrbem quondam regiam cum sociis venisset, aliis alio diuisis, ipse cuidam episcopo commendatus, qui cum ieiuniis & orationibus incessanter incumberet, legatum illum pene continua mortificauit inedia, vernali autem temperie iam aliquantulum arridente presentauit eum regi. Qui & interrogauit eum, qualis sibi idem videretur episcopus. At ille ex imis precordiis alta suspiria trahens, sanctissimus est, ait, ille vester episcopus, quantum sine Deo possibile est. Ad quod stupefactus rex: quomodo, inquit, sine Deo aliquis sanctus esse potest? Tum ille: Scriptum est, inquit, Deus caritas est, qua iste vacuus est. Tunc rex vocauit eum ad convi-

viuitur suum, & inter medios proceres collocauit. A quibus talis lex constituta erat, vt nullus in mensa regis, indigena, siue aduena aliquid animal, vel corpus animalis in partem aliam conuerteret, sed ita tantum, vt positum erat, de superiori parte manducaret. Allatus est autem piscis fluuialis & pigmentis infusus in disco positus. Cumque hospes idem consuetudinis illius ignarus piscem illum in partem alteram giraret, exurgentes omnes dixerunt ad regem: Domine, ita estis inhonorati, sicut nunquam anteriores vestri. At ille ingemiscens, dixit ad legatum illum: Obstare non possum istis, quin morti continuo tradaris. Aliud pete, quodcunque volueris, & complebo. Tunc parumper deliberans, cunctis audientibus, in hec verba prorupit: Obsecro, Domine imperator, vt secundum promissionem vestram concedatis mihi vnam peticionem paruulam. Et rex ait: Postula quodcunque volueris, & impetrabis, preter quod contra legem Grecorum vitam tibi concedere non possum. Tum ille, hoc, inquit, vnum moriturus flagito, ut, quicunque me piscem illum girare conspexit, oculorum lumine priuetur. Obstupefactus ad talem conditionem iurauit per Christum, quod ipse hoc non videret, sed tantum narrantibus crederet. Deinde regina ita se cepit excusare, per letificam theotocon, sanctam Mariam ego illud non aduerti. Post reliqui proceres, alius ante alium, tali se periculo exuere cupientes, hic per clauigerum celi, ille per doctorem gentium, reliqui per virtutes angelicas, sanctorumque omnium turbas ab hac se noxa terribilibus sacramentis absoluere conabantur. Tum sapiens ille francigena, vanissima Hellade in suis sedibus exsuperata, victor sanus in patriam suam reversus est. Post annos autem aliquot direxit illuc indefessus K. quendam episcopum, precellentissimum mente & corpore virum, adiuncto ei comite nobilissimo duce. Qui diutissime protracti tandem ad presentiam regis perducti & indigne habiti per diuersis-

sissima sunt loca diuisi. Tandem vero aliquando dimissi, cum magno nauis & rerum dispendio redierunt. Non post multum autem direxit idem rex legatarios suos ad gloriosissimum K. Forte vero contigit, ut tunc idem episcopus cum duce prefato apud imperatorem fuissent. Nuntiatis igitur legatis venturis, dederunt consilium sapientissimo K. ut circumducerentur per alpes & inuia, donec attritis omnibus & consumptis, ingenti penuria confecti, ad conspectum illius venire cogerentur. Cumque venissent, fuit idem episcopus vel socius eius, comitem stabuli in medio subiectorum throno suorum sublimi considere, vt nequaquam alius quam imperator credi potuisset. Quem vt legati viderunt, corruentes in terra adorare voluerunt. Sed a ministris repulsi, ad interiora progredi sunt compulsi. Quo cum venirent, videntes comitem palatii in medio procerum concionantem, imperatorem suspicati, terratenus sunt prostrati. Cumque & inde colaphis propellerentur, dicentibus, qui aderant, non hic est imperator, in vlteriora progressi, & inuenientes magistrum mense regie cum ministris ornatissimis, putantes Imperatorem deuoluti sunt in humum. Indeque repulsi repperebunt in consistorio cubicularios Imperatoris circa magistrum suum, de quo non videretur dubium, quin ille princeps posset esse mortalium. Qui cum se, quod non erat, abnegaret, pollicebatur tamen, quod cum primoribus palatii moliretur, quatenus, si fieri potuisset, in presentiam Imperatoris augustissimi peruenire deberent. Tunc ex latere Cesaris directi sunt, qui eos honorifice introducerent. Stabat autem gloriosissimus regum K. iuxta fenestram lucidissimam, radiens sicut sol in ortu suo, gemmis & auro conspicuus, innixus super Heittonem. Hoc quippe nomen erat episcopi, ad Constantinopolim quondam destinati. In cuius vndique circuitu consistebat instar militie celestis, tres videlicet iuvenes filii eius, iam regni participes effecti, filieque

cum

cum matre non minus sapientia vel pulchritudine, quam monilibus ornate, pontifices forma & virtutibus incomparabiles, prestantissimique nobilitate simul & sanctitate abbates, duces vero tales, qualis quondam apparuit Iosue in castris Galgale, exercitus vero talis, qualis de Samaria Siros cum Assiriis effugauit, vt, si Dauid medius esset, hec non inmerito precinuisset: Reges terre & omnes populi, principes & omnes iudices terre, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen domini. Tunc consternati missi Grecorum, deficiente spiritu & consilio perdito, muti & exanimes in pauimentum deciderunt. Quos benignissimus Imperator eleuatos consolatoriis allocutionibus animare conatus est. Tandem itaque recreato spiritu, cum exosum quondam & abiectum a se Heittonem in tali gloria vidissent, iterum pauefacti tamdiu volutabantur humi, donec eis rex per regem celorum iuraret, nihil se illis mali in nullo aliquo facturum. Qua sponsione roborati, aliquantulum fiducialius agere ceperunt, patriamque reuersi non sunt vlterius ad nostram progressi. Hic replicandum videtur, quam sapientissimos homines preclarissimus K. habuerit in omnibus.

C. VI. Cum igitur Greci post matutinas laudes imperatori celebratas in octaua die Theophanie secreto in sua lingua Deo psallerent, & ille occultatus in proximo carminum dulcedine delectaretur, precepit clericis suis, vt nihil ante gustarent, quam easdem antiphonas in latinum conuersas ipsi presentarent. Inde est, quod omnes eiusdem sunt toni, & quod in vna ipsarum pro: contriuit conteruit positum inuenitur. Adduxerunt etiam idem missi omne genus organorum, sed & variarum rerum secum. Que cuncta ab opificibus sagacissimi K. quasi dissimulanter aspecta accuratissime sunt in opus conuersa, & precipue illud musicorum organum prestantissimum, quod doliis ex ere conflatis follibusque taurinis per fistulas ereas mire per-

flan-

flantibus rugitum quidem tonitrui beatu, garrulitatem vero lyre vel cymbali dulcedine coequabat. Quod vbi positum fuerit, quamdiuque durauerit, & quomodo inter alia post dampna perierit, non est huius loci vel temporis enarrare.

C. VII. Per idem tempus etiam legati Persarum ad eum directi sunt. Qui situm Francie nescientes, pro magno duxerunt, si litus Italice propter famositatem Rome, cui tunc illum imperare cognouerant, apprehendere valuissent. Cumque episcopis Campanie, vel Tuscie, Emilie, vel Ligurie Burgundieque, siue Gallie simul & abbatibus vel comitibus causam aduentus sui indicassent, dissimulanterque ab eisdem suscepti vel expulsi fuissent, tandem post anni reuolutum circulum apud aquas Grani famosissimum virtutibus K. defessi & nimio defecti reppererunt circuitu. Venerunt autem illuc in maioris XL. ebdomada maiore. Nuntiatique imperatori, dilati sunt ab eius conspectu vsque in vigilia Pasche. Cumque in festiuitate precipua incomparabilis ille incomparabiliter adornatus fuisset, iussit introduci personas eius gentis, que cuncto quondam esset orbi terribilis. Quibus tamen excellentissimus K. ita terrificus videbatur pre omnibus, quasi nunquam regem vel imperatorem vidissent. Quos ille blande susceptos hoc munere ditauit, vt, quasi vnus de filiis eius, vbicvnque vellent, ambulandi, & singula queque perspiciendi, & quecunque rogandi vel interrogandi licentiam haberent. Quo tripudio gestientes ipsi adherere, ipsum inspicere, ipsumque admirari, cunctis orientalibus preposuere diuitiis. Ascendentesque in solarium, quod ambit edem basilice, & inde despectantes clerum vel exercitum, iterumque & iterum ad imperatorem regredientes, propterque leticie magnitudinem, risum retinere nequeuntes, complosis manibus aiebant: Prius terreos tantum homines videmus, nunc autem aureum. Deinde ad singulos procerum, accedentes,

no-

nouitatemque vestimentorum siue armorum admirati ad mirabiliorem sunt Augustum regressi. Quod cum eadem nocte & sequente dominica iugiter in ecclesia facerent, in ipso sacro sancta die, ad opipare conuiuium opulentissimi K. cum Francie Europeue proceribus sunt inuitati: sed tamen rerum miraculo perculsi propemodum exsurrexere ieiuni. Postea phebea spargebat lampade terras, Titoni croceum linquens aurora cubile, cum ecce quietis & otii impatientissimus K. ad venatum bissontium, vel vrorum in nemus ire, & Persarum nuncios secum parat educere. Qui cum ingentia illa viderent animalia, nimio pauore perculsi, in fugam conuersi sunt. At non territus heros K. vt in equo sedebat acerrimo, appropinquans vni eorum, extracta spata, ceruicem eius abscidere conabatur, sed frustrato ictu, galliculam regis & fasciolam ferus immanissimus disrumpens, tibiamque illius summo licet cornu perstringens, paullo tardiorem reddidit, & in conuallem tutissimam, lignis & lapidibus asperatam, casso vulnere irritatus aufugit. Cumque ad obsequium domini cuncti pene hossas suas vellent extrahere, ille prohibuit dicens: Sic affectus ad Hilligardam venire debeo. Consecutus autem feram Isambardo, filius Vuarini, persecutoris patroni vestri Othmari, cum propius non fuisset ausus accedere, librata lancea inter armum & guttur cor eius penetrauit, & Imperatori palpitantem consignauit. Quod cum ille quasi non aduertisset, cadauere sociis relicto, reuersus est domum, aduocataque regina, ostendit ocreas disruptas, & dixit ei: Quid dignus est, qui de hoste hec infligente me liberauit? illaque respondente, omni bono, enarrauit Imperator cuncta per ordinem, & immanissimis cornibus in testimonium prolatis, ad lacrimas & suspiria pugnosque pectoris dominatricem coegit. Que cum audisset, quod tunc odibilis, & cunctis honoribus exspoliatus Isambardo, Imperatorem de tali aduersario vindicasset, eius

pe-

pedibus aduoluta impetrauit ei omnia, quecunque illi fuerant ablata, sed & ipsa eidem est munera largita. Attulerunt autem Perse Imperatori elephantum & simias, opobalsamum, nardum, vnguentaque varia, pigmenta, odoramenta, vel medicamenta diuersissima, adeo, vt Orientem euacuasse, & Occidentem viderentur implesse. Cumque multa apud imperatorem familiaritate vti cepissent, quadam die, cum iam letiores essent, & gracingario fortiori incaluissent, ad K. serietate sobrietaque semper armatum ilocalariter hec prolocuti sunt: Magna quidem est, o Imperator, potentia vestra, sed multo minor rumore, quo apud orientalia regna diffamati polletis. Quo ille audito, & profundissima indignatione dissimulata, iocalariter inquisiuit ab eis: Cur ita filii mei dicitis? vel hoc vobis vnde videtur? at illi repetentes a principio narrauerunt ei cuncta, que sibi in cismarinis partibus contigerunt, dicentes: Nos Perse vel Medi, Armeniique vel Indi, Parthi & Elamite, omnesque Orientales multo magis vos, quam dominatorem nostrum Aaron timemus. De Macedonibus autem vel Achiuis quid dicamus? qui iam iamque magnitudinem vestram plus se fluctibus Ionii oppressuram pauitant. Insulani autem omnes, per quos iter habuimus, ad obsequium vestrum ita prompti sunt & intenti, quasi in palacio vestro nutriti fuerint, & beneficiis ingentibus honorati. Istarum autem partium primores, vt nobis videtur, non satis curant de vobis, nisi tantum in presentia vestra. Nam cum eis vtpote peregrini perinde suggeremus, vt aliquid nobis humanitatis in vestri amore, quia vos quereremus, exhibere dignarentur, inadiutos & vacuos dimiserunt. Tunc Imperator omnes comites & abbates, per quos idem missi profecti sunt, cunctis honoribus denudauit. Episcopos autem infinite pecunie multauit vel dapnauit, legatos vero cum ingenti cautela & honore ad vsque proprios fines deduci precepit.

C. VIII.

C. VIII. Venerunt quoque ad eum legatarii regis Afrorum, deferentes leonem marmaricum, vrsumque numidicum cum ferrugine hibera, tyrioque murice, & ceteris earundem regionum insignibus. Quam liberalissimus K. libicosque iugi penuria confectos, Europe diuitiis, frumento videlicet, vino, & oleo non solum tunc, sed & omni tempore vite sue remunerans, & larga manu sustentans subiectos sibi atque fideles in perpetuum retentauit, & ab eis non vilia tributa suscepit. Porro autem Imperatori Persarum direxit indefessus Augustus equos & mulos Hispanos, pallia fresonica, alba, cana, vermiculata vel saphirina, que in illis partibus rara & multum cara comperit, canes quoque agilitate & ferocia singulares, quales ipse prius ad capiendos vel propellendos leones & tigrides postulauit. Qui ceteris muneribus quasi neglegenter inspectis requisiuit a missis, quas feras & bestias canes illi debellare solerent. Cumque responsum acciperet, quia cuncta, quibus immissi fuissent, absque mora discerperent, hoc, inquit, rei probabit euentus. Et ecce crastina die factus est maximus pastorum clamor, a facie leonis fugientium. Quod cum in aula regis fuisset auditum, dixit ad legatos: O socii Franci, ascendite in equos vestros, & exite post me. Qui statim quasi nihil vnquam laboris aut lassitudinis passi alacriter sunt regem prosecuti. Cum autem ad conspectum leonis eminus, licet ventum fuisset, dixit satraparum satrapa: Instigate canes vestros in leonem. Qui iussa complentes & acerrime aduolantes a germanicis canibus persicum leonem comprehensum yperboree vene gladiis duratis pro sanguine peremerunt. Quo viso, nominis sui fortissimus heres Aaron ex rebus minimis fortiorem K. deprehendens, his verbis in eius fauorem prorupit: Nunc cognosco, quam sint vera, que audiui de fratre meo K. quia scilicet assiduitate venandi & infatigabili studio corpus & animam exercendi cuncta, que sub celo sunt, consuetudinem habet edoman-

mandi. Quid igitur ei possum condignum rependere, qui ita me curauit honorare? si terram promissam Abrahe & exhibitam Iosue dedero illi, propter longinquitatem locorum non potest eam defensare a barbaris; vel si iuxta magnitudinem suam defendere ceperit, timeo, ne finitime regno Francorum prouintie discedant ab eius imperio. Sed tamen hoc modo liberalitati eius gratificari temptabo. Dabo quidem illam in eius potestatem, & ego aduocatus eius ero super eam. Ipse vero, quandocunque voluerit, vel sibi oportunissimum videtur, dirigat ad me legatos suos, & fidelissimum me procuratorem eiusdem provintie redituum inueniet. Hoc ergo modo factum est, vt quod pro impossibili dixit Poëta, aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim; propter industriam vigorosissimi K. exitum, vel reditum missorum eius & profectionem vel reuersionem legatorum Aaron de Parthia in Germaniam, siue de Germania in Parthiam iuuenibus, pueris & senioribus non solum possibile; sed & facillimum videretur omnino. Vtrumlibet Ararim velint accipere Grammatici eum videlicet, qui Rhenum vel illum, qui Rodanum precipitat; quia hoc locorum confuderunt ignari. Ad huius rei testimonium totam ciebo Germaniam, que temporibus gloriosissimi patris vestri, Hludouuici, de singulis hobis regalium possessionum singulos denarios reddere compulsa est; Qui darentur ad redemptionem christianorum, terram promissionis incolentium, hoc pro antiqua dominatione ataui vestri K. auique vestri Hl. ab eo miserabiliter implorantium. Et quia ita se obtulit occasio, vt de indicibili patre vestro incideret honoranda mentio, libet commemorare presagium, quod de illo sapientissimum constat protulisse K. Nam cum natus & VI annis in domo patris cautissime nutritus, sexagenariis hominibus sapientior haut immerito videretur, genitor indulgentissimus, qui hoc vix egre expectaret, ut ad conspectum aui eum perducere potuis-

potuisset, assumens puerum, a matre delicatissime curatum, cepit instruere, quam serie vel quam timorate ante Imperatorem se agere, aut forte interrogatus ei respondere, nec non & sibi deferre deberet; & sic eum ad palatium produxit. Cumque prima die vel secunda inter reliquos statores eum Imperator curiosioribus oculis intueretur, dixit ad filium: Cuius est ille puerulus? Illo respondente, quia meus & vester, si dignamini, postulabat eum dicens: Da illum mihi. Quod cum factum fuisset; deosculatum serenissimus Augustus pusionem remisit ad stationem pristinam. Ille mox dignitatem suam cognoscens, & cuiquam post Imperatorem secundus remanere despiciens, collectis animis, & membris compositissime collocatis, equato gradu stetit iuxta patrem suum. Quod prouidentissimus aspectans K. vocato ad se filio N. precepit, vt interrogaret cognominem suum, cur ita faceret, vel qua fiducia se patri adequare presumeret. Ille vero ratione subnixum reddidit responsum: Quando, inquiens, vester eram vasallus, post vos, vt oportuit, inter commilitones meos steteram: nunc autem vester socius & commilito non immerito me vobis coequo. Quod cum Hl. Imperatori retulisset, ille huiusmodi sententiam promulgauit: Si vixerit puerulus iste, aliquid magni erit. Que verba ideo de Ambrosio mutuati sumus, quia K. que dixit, non possunt ex amussim in latinum conuerti. Nec immerito prophetiam de sancto Ambrosio magno accommodauerim. Hl. cui, exceptis eis rebus & negociis, quibus respublica terrena non subsistit, coniugio videlicet vsuque armorum per omnia simillimus, immo etiam quantum potentia regni, tantum religionis studio, si dici liceat, quodammodo maior exstiterit Ambrosio, fide scilicet catholicus, Dei cultor eximius, seruorum Christi socius, tutor & defensor indefessus. Quod adeo verum est, vt cum fidelis eius, abba noster Hartmutus, nunc autem vester inclusus ei retulerit, quod reicule Sancti Galli non ex regali-

bus donariis, sed ex priuatorum tradiciunculis collecte nullum priuilegium aliorum monasteriorum, vel communes populorum cunctorum leges haberent, & ideo neminem sui defensorem vel aduocatum repperire potuissent, ipse se cunctis aduersariis nostris opponens, aduocatum se vilitatis nostre coram cunctis principibus suis profiteri non erubuerit. Quo etiam tempore epistolam ad vestram indolem direxit, vt per vestram auctoritatem iuramento coacticio, quecunque opus habuerimus, licenter querere deberemus. Sed heu quam stultus ego, qui propter specialem benignitatem, ab eo nobis prebitam, a generali & ineffabili eius bonitate & magnitudine vel magnanimitate, parum consulte, priuato gaudio retrahente, digressus sum.

C. IX. Erat itaque HL. rex vel Imperator totius Germanie, Rhetiarumque & antique Francie, nec non Saxonice, Thuringie, Norici, Pannoniarum, atque omnium septentrionalium nationum, statura optimus, forma decorus, oculis astrorum more radiantibus, voce clara & omnino virili, sapientia singularis, quam acutissimo fretus ingenio scripturarum assiduitate cumulatiorem reddere non cessabat. Ideoque ad anticipandas vel superandas omnes inimicorum insidias, & subiectorum litigia terminanda, fidelibusque suis vniuersa commoda prouidenda, incomparabili viuacitate pollebat. Cunctis gentilibus, circumque vniuersis anterioribus suis magis magisque terrificus subinde perseuerabat & merito, quippe qui nunquam linguam suam iudicio, aut manus suas effusione sanguinis christiani commacularet preter vltimam necessitatem. Quam prius enarrare non audeo, quam aliquem paruulum Ludouuiculum vel Carolastrum vobis astantem video. Postquam tamen cedem nullo vnquam modo compelli potuit, vt quempiam condempnaret ad mortem. Sed tamen hac districtione infidelitatis vel insidiarum insimulatos coërcere solebat, vt honoribus priuatos, nulla vn-

vnquam occasione vel temporis longitudine mollitus, ad pristinum gradum conscendere pateretur. Ad orationis studium, & deuotionem ieiuniorum, curamque seruitii diuini supra omnes homines ita erat intentus, vt exemplo Sancti Martini, quicquid aliud ageret, semper quasi presenti domino supplicare videretur. Carne & cibis lautioribus diebus certis abstinuit. Tempore vero Letaniarum, de palatio discaltiatis pedibus vsque ad ecclesiam pastoralem, vel ad sanctum Hemmeranium, siquidem esset Reganesburg, crucem sequi solitus erat. In aliis vero locis commanentium consuetudinem non abnuebat. Oratoria noua ad Franconouurt & Reganesburg admirabili opere construxit. Cumque propter magnitudinem fabrice alii lapides non sufficerent, muros vrbis destrui fecit. In quorum ciuitatibus tantum auri circa antiquorum ossa repperit, vt non solum eandem basilicam eodem adornaret, sed & libros integros exinde conscriptos, thecis eiusdem materie grossitudine prope digiti cooperiret. Nullus clericus nisi legere doctus & canere, non solum cum eo manere, sed ne in conspectum eius venire presumpsit. Monachos vero voti sui preuaricatores ita despexit, vt obseruatores omni affectu dilexit, ita omni iocunditate ac dulcedine plenus semper exstitit, vt, si quis ad eum tristis adueniret, ex sola visione vel quantulacunque eius allocutione letificatus abscederet. Quod si quid forte sinistrum vel ineptum in eius conspectu subito fieret, vel eum aliunde comperisse contingeret, sola oculorum animaduersione sic omnia correxit, vt, quod de eterno internoque iudice scriptum est: Rex, qui sedet in solio regni sui, intuitu vultus sui dissipat omne malum, supra fas mortalibus concessum, in illo non ambigeretur inceptum. Hec breuiter per excessum dixerim vita comite, propitiaque diuinitate votum habens plurima de eo scribere. Ad propositum iam redeundum est. Interea cum Imperator K. propter aduentantium frequen-

tiam, vel infestationem indomitorum Saxonum vel latrocinia, pyraticamque Nordmannorum siue Maurorum apud Aquas Grani paulo diutius consedisset, bellum autem contra Hunos a filio eius Pippino gereretur, exeuntes a Septentrione barbare nationes Noricum & orientalem Franciam magna de parte depredatæ sunt. Quod ille comperiens per seipsum ita omnes humiliauit, vt etiam pueros & infantes ad spatas metiri preciperet, & quicunque eandem mensuram excederet, capite plecteretur. De quo facto aliud multo maius & illustrius opus excreuit. Cum enim sanctissimus auus imperii vestri vita decederet, quidam gigantes, quales propter iracundiam Dei per filios Seth de filiabus Cain narrat scriptura procreatos, spiritu superbie inflati, eorum procul dubio supares, qui dixerunt: Que nobis pars in Dauid, aut que hereditas in filio Isai? eius prolem habitudinis optime despicientes singuli sibi principatum arripere, & diadema portare conati sunt. Tunc quibusdam de mediocribus Dei instinctu protestantibus, quod inclitus Imperator K. hostes quondam christianorum metiretur ad spatam, & idcirco, quamdiu de progenie illius aliquis spate longitudinis inueniri posset, ille Francis immo toti Germanie deberet imperare, factio illa diabolica quasi fulminis ictu percussa est in diuersa disiecta. Sed extraneorum victor K. a propriis est mira quidem, sed cassa fraude circumuentus. Nam de Sclauis ad reginam regressus, a filio per concubinam progenito, nomine gloriosissimi Pippini a matre ominaliter insignito, pene captus, & quantum in eo fuit, est morti dampnatus. Quod hoc modo compertum est. Cum in ecclesia Sancti Petri, proceribus congregatis, de morte Imperatoris consiliatus fuisset, finito consilio, omnia tuta timens iussit explorare, si quis vsquam in angulis aut subter altaribus fuisset absconsus, & ecce, vt timuerunt, inuenerunt unum clericum subtus altare celatum. Quem apprehendentes ad iusiurandum compu-

pu-

pulerunt, ne proditor molitionis eorum fieret. Qui ne vitam perderet, vt dictauerunt, iurare non abnuit. Sed, illis recedentibus, iuramentum illud sacrilegum paruipendens, ad palatium properauit. Cumque cum maxima difficultate per VII. seras & ostia tandem ad cubiculum Imperatoris penetrasset, pulsato aditu, vigilantissimum semper K. ad maximam perduxit admirationem, quis eo tempore eum presumeret inquietare. Precepit tamen feminas, que ad obsequium regine vel filiarum eum comitari solebant, vt exirent videre, quis esset ad ianuam, vel quid inquireret. Que exeuntes cognoscentesque personam vilissimam obseratis ostiis cum ingenti risu & chachino se per angulos (vestibus ora represse) conabantur abscondere: sed sagacissimus Imperator, quem nihil sub celo posset effugere, diligenter a mulieribus exquisiuit, quid haberent, vel quis ostium pulsaret, responsumque accipiens, quia quidam coctio derasus, insulsus & insaniens linea tantum & femoralibus indutus se absque mora postularet alloqui, iussit eum intromittere. Qui statim corruens ad pedes illius cuncta patefecit ex ordine. Nihil vero minus suspicantes ante horam diei terciam omnes illi coniuratores dignissima pena, vel exiliis deportati sunt aut puniti. Ipse quoque nanus & gipperosus Pippinus inmanissime cesus & detonsus ad cellulam Sancti Galli, que cunctis locis imperii latissimi pauperior visa est, & angustior, castigandi gratia ad tempus aliquantulum destinatus est.

C. X. Nec multo post quidam de primoribus Francorum in regem manum mittere voluerunt. Quod cum eum minime lateret, & tamen non libenter eos perderet, quia si bene voluissent, magnum christianis munimen esse potuissent, direxit legatos suos ad eundem Pippinum, sciscitans ab eo, quid de his fieri oporteret. Quem cum in orto cum senioribus fratribus, iunioribus ad maiora opera detentis, vrticas & noxia queque tri-

dente extrahentem repperissent, vt vsui proficua viuacius excrescere valerent, indicauerunt ei causam aduentus sui. At ille ex imis precordiis suspiria trahens, vt omnes debiles animosiores sanis esse consueuerunt, in hec verba respondit: Si K. consilium meum dignaretur, non ad tantas deponeret iniurias: ego nihil illi demando, dicite illi, quid me agentem inueneritis. At illi timentes, ne sine certo aliquo responso ad formidabilem reuerterentur imperatorem, iterum atque iterum requirebant ab eo, quid domino renuntiare deberent. Tunc ille stomachando nihil, inquit, aliud ei demando, nisi quod facio. Inutilia recrementa extraho, vt holera necessaria liberius excrescere valeant. Igitur illi tristes abscesserunt, quasi qui nihil rationabile reportarent. Venientes autem ad imperatorem & requisiti, quid referrent, conquesti sunt de tanto labore & itinere, ne in vno quidem sermone certiorati. Sagacissimo autem rege per ordinem interrogante, vbi eum vel quid agentem reppererint, quidque responsi illis reddiderint, dixerunt: In tripetio rusticano sedentem eum inuenimus, & tridente areolam holerum nouellantem, causamque itineris nostri reuoluentes hoc solum ab eo responsi magnis flagitationibus extorquere potuimus, nihil, aiente, aliud ei demando, nisi quod facio. Inutilia recrementa extraho, vt holera necessaria liberius excrescere valeant. His auditis, astu non carens, & sapientia pollens Augustus confricatis auribus, & inflatis naribus dixit ad eos: Rationabile responsum optimi vasalli reportastis. Illis itaque de periculo vite metuentibus, ipse vim dictorum ad effectum perducens, cunctos illos insidiatores suos de medio viuentium auferens, fidelibus suis, occupata ab infructuosis loca, crescendi & se extendendi caussa concessit. Vnum vero aduersariorum, qui excelsissimum in Francia collem, & quecunque de eo prospicere posset, sibi in possessionem delegit, in eodem colle altissime trabi affixum iussit eleua-

ua-

nari; Pippinum vero nothum precepit eligere sibi, quomodo vitam degere voluisset. Qui optione concessa, optauit locum in quodam monasterio tunc nobilissimo, nunc autem non incertum, de qua causa destructo. Quam antea non absoluam, quam Bernhardulum vestrum spata femur accinctum conspiciam. Indignatus est autem magnanimus K. quia ipse ad barbaricas illas nationes sit exire prouocatus, cum quilibet ducum suorum ad hoc videretur idoneus. Quod etiam ita esse, ex vnius conprouintialium meorum facto probabo. Erat quidam vir de Durgouue iuxta nomen suum magna pars terribilis exercitus, vocabulo eis here, tante proceritatis, vt de Enachim stirpe ortus credi potuisset, nisi tantum temporibus ac locorum interesset. Qui quotienscunque ad fluuium Duram alpinis torrentibus tumefactum exundantemque venisset, nec caballum maximum in eius, non dicam, fluenta, sed nec liquentia posset impellere, apprehensis habenis, fluitantem post se traxit, inquiens: Per dominum Gallum velis nolis me sequi debebis. Is itaque cum in comitatu Cesaris Bemanos, Vuilzos & Auaros in morem prati secaret, & in auicularum modum de hastili suspenderet, domum victor reuersus, & a torpentibus interrogatus, qualiter ei in regione Vuinidum complaceret, illos dedignatus, hisque indignatus aiebat: Quid mihi ranunculi illi? septem vel octo vel certe nouem de illis hasta mea perforatos, & quid nescio murmurantes huc illucque portare solebam; frustra aduersum tales vermiculos dominus rex & nos fatigati sumus. Eodem itaque tempore cum imperator Hunnorum bello extremam manum imponeret, & supradictas gentes in deditionem suscepisset, exeuntes Nordmanni Gallis & Francis magnam inquietudinem fecerunt. Reuersus autem inuictissimus K. itinere terrestri, quamuis multum angusto & inuio, domi eos inuadere molitus est: sed vel Dei prouidentia prohibente, vt secundum scripturas in his ex-

periretur Israelem, vel peccatis nostris obsistentibus cuncta illius temptamenta in irritum deducta sunt, in tantum, ut ad incommoda totius exercitus comprobanda, de vnius abbatis copiis in vna nocte quinquaginta boum paria repentina peste numerarentur extincta. Sapientissimus igitur virorum K. ne scripture inobediens contra iactum fluuii conaretur, destitit ab incepto. Cum vero per non modicum tempus latissimum peragraret imperium, Godefridus rex Normannorum, absentia eius animatus fines regni Francorum inuasit, mosellanumque pagum in sedem sibi preelegit. Cum vero falconem suum de aneta vellet extrahere, consecutus eum filius suus, cuius nuperrime matrem reliquit, & alteram super eam duxit vxorem, per medium diuisit. Quo facto, sicut quondam Holoferne perempto nullus in animis aut armis, sed in solo fuge presidio ausus est confidere, & ita ne exemplo ingrati Israhelis contra Deum gloriaretur, absque sua industria liberata est Francia. Inuictus autem, nec vincendus vnquam K. de tali quidem iudicio Deum glorificauit, sed plurimum conquestus est, quod propter absentiam suam aliquis de illis euaserit, heu prohdolor inquiens, quia videre non merui, quomodo christiana manus mea cum cynocephalis illis luserit. Contigit qvoqve ad quandam maritimam Gallie Narbonensis vrbem vagabundum K. inopinato venire. Ad cuius portum eo prandente, sed ignorato, piraterium exploratores Nordmannorum fecerunt; cumque, visis nauibus, alii Iudeos, alii vero Africanos, alii Brittannos mercatores esse dicerent, sapientissimus K. ex instructione vel agilitate non mercatores, sed hostes esse deprehendens, dixit ad suos: Non iste naues conferte mercimoniis, sed hostibus fete sunt acerrimis. His auditis, alter alterum preuenire cupientes festine properabant ad naves, sed frustra. Nam comperto Nordmanni, quod ibidem esset, vt ipsi eum, nuncupare solebant, Martellus

K.

K. ne omnis armatura sua in illo aut retunderetur, aut in minutissimas resoluta particulas disperiret, effugio satis incomparabili insequentium non solum gladios, sed & oculos euitarunt. Religiosus autem K. iustus & timoratus exurgens de mensa ad fenestram orientalem constitit, & in estimabilibus lacrimis diutissime perfusus cum nullus eum compellare presumeret, tandem aliquando ipse bellicosissimis proceribus suis de tali gestu & lacrimatione satisfaciens: scitis, inquit, o fideles mei, quid tantopere plorauerim? Non hoc, ait, timeo, quod isti nuge & nihili mihi aliquid nocere preualeant: sed nimirum contristor, quod me viuente ausi sunt litus istud attingere, & maximo dolore torqueor, quia preuideo, quanta mala posteris meis & eorum sunt facturi subiectis. Quod ne adhuc fiat, Christi domini nostri tutela prohibeat. Et gladius vester in sanguine Nordostranorum duratus obsistit, adiuncto sibi mucrone Karllomanni fratris vestri, tincto quidem in eorundem cruore, sed nunc non propter ignauiam, sed propter inopiam rerum, angustiamque terrarum fidelissimi vestri Arnoldi, ita in rubiginem versus, vt tamen iussu & voluntate potentie vestre haut difficulter possit ad acumen & splendorem perduci. Hic enim solus ramusculus cum tenuissima bennonili astula de facundissima HL. radice sub singulari cacumine protectionis vestre pullulascit. Interim ergo de proatauo vestro Pippino in historiam vestri cognominis aliquid inseratur, quod concedente clementia diuina mox futurus Karolaster aut Ludouuiculus vester imitetur. Longobardis vel ceteris hostibus Romanis infestantibus, miserunt legatos suos ad eundem Pippinum, vt propter amorem sancti Petri sibi quantocius in auxilium venire dignaretur. Qui absque mora subiugatis hostibus, orationis tantum gratia Romam victor ingreditur, & a ciuibus hac laude suscipitur: Ciues apostolorum & domestici Dei aduenerunt hodie, portantes pa-

com

ſtriaca: qui regitur, ſunt omnes in Germania, Italia & alibi Principes Hiſpani partes tuentes, exceptis Gallo, Venetis, Sabaudo: iſti omnes à nutu & fortuna Hiſpani dependent, & * *ducuntur ut nervis alienis mobile lignum*: conſilia non dant, ſed accipiunt; † *juſſa non ſcrutantur, ſed exequuntur; velle, vereri, obedire* ſui *muneris* eſſe ducunt; ***conſilium & virtutis ſuæ regimen, tanquam boni milites*, relinquunt Hiſpano. De his non opus eſt aliquid dicere; cum in obſequio & patientia illorum mores & indoles conſiſtat: de Hiſpanis dicendum, *rectoribus Orbis*. Ingenium illis eſt ſubdolum, aſtutum, fallax: indefatigabiles ſunt, & nullo labore franguntur; ſolem, inediam, imperium, correctionem, juſſa, diſciplinam ferunt; conſilia callida, ſed ſibi ſemper conſtantia, una via eunt, ſed gradu interdum ſuſpenſo, interdum celeri; ſi curſum pro rei natæ occaſione mutant, ad eundem tamen portum contendunt, nec ullis impedimentis, etiamſi cognoſcantur eorum ſecreta, avocantur. Omnibus infidi, Regi ſuo ſoli fidi, ad cuius commodum magnitudinemque promovendam digna indigna exſequuntur, & *ſummum nefas, ſummum fas* æſtimant. Nihil cum temeritate aut cæco odii, vel vindictæ, vel gratiæ affectu aggrediuntur: ſed inſtar teſtudinum lento gradu, & tecti fraudium cochlea procedunt, moris & dilationibus hoſtes, non impetu, nec virtute, nec robore vincunt. Artificioſas ſpes, & ſimulatas promiſſiones, tanquam *medicatas offas*, deliniendis, retinendis & aſſopiendis animis objicere; tractatibus ſpecioſis implicare credulos, muneribus & pollicitis hos corrumpere, illos attrahere, alios apud ſuos reddere infeſtos & ſuſpectos: dolo & verſutia conatus & conſilia contra ſe inita & in-

um Ingenium & mores, tum potentiam & vires, tum conſilia & ſcopum. Hoſtem eſſe duplicem: qui regit, qui regitur.

Ingenium hiſpanorum quale.

* *Horat.* † *Thucyd. lib. V.* ** *Tacit. lib. I. hiſtor.*

Valer. Max. cap. 3. *Salluft. in orat. Lepidi.* *Plaut. Aulular.*

ineunda prævenire & divertere, *sagacitate ingenii compensare, quod negat angustia temporis:* per cavillos & argutiolas foedera eludere: omnia retinendæ dominationis honesta judicare.

Pactum non pactum est, non pactum, pactum est, cum illis libet: Aemulationes, odia, invidiam, diffidentiam, dissidia & factiones, utpote dominationi ancillantia, inter Principes, amicos & socios si inveniunt, alere, si non inveniunt, serere, gnari illius dogmatis, Divide & Imperabis: prætextu religionis & pietatis his opem ferre, illos opprimere, alios spe simulata matrimonii decipere, amicitias nullas, nisi quæ serviunt & famulantur, æstimare, cunctos severo imperii freno coercere, & terrore percellere, *magna odia magno timore compescere, trucidare, auferre, rapere, falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem fecerunt, Pacem appellitare solent.* Per emissarios Jesuitas, qui in quovis terræ angulo vel clam vel palam interveniunt, & factionum ministeria exercent: per pensionarios, quos in omnium Principum aulis, imo & cubiculis, habent, secretissima quæque pernoscunt, &, *Id quod Regina rex in aurem dixerit, sciunt, quod Juno fabulata est cum Jove,* Per confessatores sacrificulos animos & cogitationes Principum Catholicorum scrutantur & regunt, obtentu religionis hos retinent, illos terrent, ne se cum adversi dogmatis Principibus jungant, aut auxilia ferant oppressis; superstitiosiores etiam in societatem attrahunt, persuasos pro sede & doctrina pontificia arma sumi. Protestantes etiam Principes hac impressa opinione dementare & ambigentes reddere conantur, fore, si soli se coniungant, solique inter se foedus feriant sine adscitu alicujus Regis & Principis Catholici, ut bellum Religionis intendere præsumantur, tum omnibus Catholicis ex of-

Tacitus in vita Agricola.

Plaut.

officio & necessitate incumbere, ut conjunctis viribus in exstirpationem protestantium consentiant. Sic hispani, *quibus quaestui sunt capti superstitione animi*, His consiliis & artibus impediunt, ut nec ab illis, nec ab his foedera contra se ineantur. Quamprimum animadvertunt inter aliquos consensum esse ratione status, & ad commune periculum depellendum animos & consilia iungere velle, statim ex occasione impedimenta & remoras objicere, & impressa diffidentia, & factionibus fomentatis efficere, ut vel incepta successu careant, vel lentius procedant, hoc negligentius, illo suspectius, alio cautius agente aut consentiente. *Livius lib. 4.*

Jam videamus *potentiam & vires hostis*, quae omnino penitus noscendae sunt, si feliciter bellum suscipere & conficere volumus. Oportet enim ut comparatione propriarum virium, calculum & rationem subducamus, quibus apparatibus, quo robore, & quantis viribus contra tantum hostem sit agendum. *Difficile vinci eum*, inquit Vegetius, *qui de suis & adversarii copiis vere potest judicare.* Utinam hodie nostri Principes & Reges hoc melius expenderent: vel non in bellum ruerent separati & disjuncti; vel se colligarent & viribus sociatis vniti opponerent, nec ita secure agerent, praeparationesve tam negligenter instituerent. * *Nihil tuto in hoste*, maxime potente, *despicitur*, *quem valentiorem negligentia facit.* At potentia certe magna est, & maior quam vulgo creditur aut notum, tum in se, tum accessione & conjunctione. *In se*: Primo, cum tot regnis & provinciis, quas in Europa & utroque Orbe possidet, imperiale diadema, in sua domo ducentis abhinc & amplius an-

Potentia & vires hostis quales.

Lib. 3. cap. 26.

Potentia in se magna.

* *Curtius libr. 6. vita Ammirat. discurs. in Tacit. lib. 18. disc. 10.*

annis continuatum, & hæreditario ac longæ successionis jure prætensum, quo omnes Reges honore & majestate præcellit, potentiam conspicuam maxime & verendam reddit. Ipse inter *Imperii* sui *arcana* numerat, suæ *domus potentiam & fortunas Cæsarea dignitate contineri & florere*; hac translata in aliam domum, illas concidere & imminui. Deinde potentia hæc, tot felicibus progressibus, & victoriis per Germaniam, Italiam & Belgium, intra paucos annos, partis, insanum incrementum sumpsit, sumitque quotidie, & in eam magnitudinem excrescit, ut magis ac magis formidabilior sit. Tum perpetuis consiliis, quæ nunquam mutantur aut corrumpuntur, stabilita est, continua potentique militia, *domi in præsidium & decus, foris in bellum & victoriam* suffulta, & magnis certisque reditibus subnixa. Eo cumprimis hostis potentia invicta est & admiranda, quod sicut *Fata Jovi* ex Poetarum opinione, *cum stilo & tabulis præsto sunt*, ita hispano Consilium æternum, quod pro *suprema lege* & scopo *Monarchiam & magnitudinem intensionemque imperii* habet, assidet. Successione & morte Principum sceptra transferuntur ab alio in alium: consilium tamen immotum manet, & expers mortis stabili tenore meat; nullius potentis gratiæ, adfectui aut regimini subjectum. Denique, quod maximum est, potentia illa ab uno solo dependet & regitur, ex norma quidem & decreto perpetui senatus. *Accessione & coniunctione* quoque *potentia* hostis tremenda est. Omnes in Germania Ordines pontificiæ religionis inseparabili nexu sibi ligatos tenet; reliquos in Europa Reges & Principes, solis Gallo, Venetis et Sabaudo exceptis, ad obsequium: quidquid ubique ecclesiastici Ordinis est, ad jussa natum & paratum; Papam denique & ipsum Cardinalium

Vide consil. Maximiliani Archiducis, & liter. Ferdin. Imp. ad Runigan.

Tacitus de moribus Germ.

Pacatus lib. I. Inst. cap. 10.

Potentia accessione & conjunctione magna.

Con-

Conclave, vel ex necessitate, vel timore, vel corruptione & spe utilitatis, obnoxium habet. Hanc omnes in imperio Pontificii, ab infimo usque ad summum, & major in reliqua Europa pars, opinionem, à *Jesuitis* fidis & *juratis potentiæ hispanicæ satellitibus*, impressam habent, & tanquam fidei articulum credunt, *neminem posse esse bonum Catholicum, nisi Regis Catholici partes sectetur* & defendat. Duo vero hic notanda: *potentiam* hanc tam late dominantem, *dispersam* esse, prout sunt regna & provinciæ, & quia (a) *timore, malo diuturnitatis magistro*, continetur, haud diuturnam, ideoque vinci posse. Ubique per omnes Mundi partes militem alere, in remotis terris ac insulis vires partiri, longinqua præsidiis tueri, variis in locis & portubus infestationem & assultus timere, continuis diversis exercitibus, uno in Germania, alio in Belgio, alio in Italia, ærarium exhaurire cogitur. Deinde *minor* est *pro tanti corporis mole potentia per mare*: hac parte debilis est, & ab Europæis septentrionalibus Oceano & omni mari pelli potest, modo cito fiat, priusquam civitatibus maritimis in Germania subactis, fundamenta ponat potentiæ per mare stabiliendæ. Si æquale fuisset robur & potentia viribus terrestribus, jamdudum Europam reliquumque Orbis sui juris fecisset.

Potentiam esse dispersam.

Vires marinas non correspondere terrestribus.

Quod *Scopum & intentionem hostis* attinet, quis nescit ipsum *totius Orbis dominatum* affectare & prætendere, ut sibi jure debitum? sic-ut (b) *magnorum imperiorum natura semper fuit vicina complecti*: ita hispani maxime est, vicinas respublicas & regna data aut quæsita occasione devorare. Ob id *nomen Catholicum*, sive vniversum sibi vindicat, quasi καθολικῶς & per universum terrarum orbem regnare, propitio fato, debeat. Iccirco etiam pro-

Scopus & intentio Hostis qualis.

(a) *Cicero Philip. 2.* (b) *Lipsius.*

propter illam fato, si Diis placet, debitam monarchiam, civitatem (a) *Madriti Caput Mundi*, ut olim Romani Romam, nonnulli Hispanorum vocant, & rationibus in publicum emissis probarunt, optimo jure sic nuncupari. (b) *Cum igitur omnibus imperitare velit Hispanus, sequitur, ut omnes servitutem accipiant*, nisi depulerint. Bellum contra Principes Germaniæ non alio fine captum est, & cum tanta mole & animis tam diu continuatur, quam ut in Angliæ & Galliæ Regibus finiatur; quid enim (c) *aliud expectare possunt ab hispanis, quam dolum in præsens, & postea bellum.* Lucius primum parvos pisces devorat, ubi illorum sagina adolevit, magnos adoritur: sic Romani eversis prius in Italia regulis, Reges Asiæ, Ponti, & alios extra Italiam, aggressi sunt. *Germania* servitute accepta, instat *gradus est & fundamenti ad Monarchiam Hispanicam*, ibique jam cuniculi fodiuntur evertendis reliquis Principibus: illius enim ruina tractura est cætera Europæ regna. Henricus II. Galliarum Rex hoc bene novit, cum in suis ad Proceres & Ordines imperii literis anno 1552. scriptis, *Germaniam propugnaculum vocat libertatis reliquorum in Europa Regum.* Campanella Consiliarius Hispanicus multis argumentis demonstravit; (d) *non nisi Germania domita* domum Austriacam *ad Monarchiam posse ascendere*; per illam incipiendum esse, in illa sensim vinci reliquos; illam etiam propter factiones, & ex diversitate religionis suppullulantia dissidia, & propter auctoritatem imperatorii fastigii, & propter tot potentium Præla-

Sine Germania subjectione ad Monarchiam ascendi non posse.

(a) *Andres Mendoza in discursu ad civitatem Madrid. caput mundi: sic titulus est. scripl. in Hispanica ling. cum Princeps Angliæ ibi esset.* (b) *Caractacus apud Tacit. annal. XII.* (c) *Mithridates apud Sallust. Varro in Satyr. fragm.* (d) *In libro de monarchia.*

ıtorum ſtudia, omnium opportunam victoriæ
: jugo. Illa vero in libertate conſueta manen-
:, nihil cum ſucceſſu contra alios tentari. Fa-
ıle enim, & quaſi occaſione, motus ibi excitari
oſſe, quibus Hiſpanus & domus Auſtriaca di-
ertatur alium extra imperium Principem vel
allum, vel Anglum, vel Batavos bello aggreſ-
ı. Si ſaltem Principes Electores tantum liberta-
s & animorum nanciſcerentur *deligendi ex alia omo Imperatorem, actum eſſe de potentia Auſtriaca*, &
am etiam extra imperium caſuram & vileſcitu-
am. Germaniam igitur prius perdomandam,
 in poteſtatem redigendam, ſi nolit in propoſi-
 & opprimendis cæteris Regibus turbari. Im-
erator hodiernus ipſe in ſuis ad zunigam Hiſpa-
iæ Regis conſiliarium literis nuper ſcripſit: fun-
lamenta, inquit, auguſtæ domus noſtræ, Dei
ratia tam late per Orbem terrarum dominantis,
n Germania eſſe, majores noſtri ſemper judica-
unt, *quæ eo magis ab hoſtium vi defendenda ſunt, qua ropior iis ſuffoſſis ruina.* Cum Gabor Tranſilva-
ıus, anno 1621. potenti & victorioſo exercitu
Auſtriam devaſtaret, Hiſpanus per Oratorem
uum Comitem Ognatenſem hoc conſilium pro-
oſuit Imperatori: omnibus modis, etiam duriſ-
imis cum conditionibus pacem cum Gabore &
n Oriente paciſcendam eſſe; tum enim facilius
 promtius Principes, in imperio tumultuantes,
n ordinem redigi, potentiam in Germania ſta-
ıliri, ſeptentrionem frenari poſſe: eo facto reli-
uam *Europam dominationem nec evitaturam, nec re-uſaturam.* Tum enim omnes militum copias in
ermaniæ limites diſponi fas eſſe, conterminis
'rincipibus, armis ſupraſtantibus, continuo pe-
iculi metu coërcendis & conſumandis: ſic etiam
ractatus confœderationum & conventuum, no-

In literis ad zunigam.

varumque rerum molitiones impediri, & Batavorum res in arctum cogi, auxiliis, alimentis & viribus resistendi ademtis: has esse vias, hos gradus ad potentiam bene constabiliendam. Hoc consilio approbato Ferdinandus cum Gabore Niclasburgi & Edinburgi statim pacem durissimis, & Imperatore indignis conditionibus, pepigit. Ex his, & aliis, quæ adduci possent, manifestum est, *scopum hostis esse* nullum alium, quam *debellata Germania monarchiam fundare*, & reliquos Europæ Reges, unum post alium, sub iugum mittere. Et sane, si Hispani Germania absolute potiuntur, *perditis* vel exhaustis *Indiis hanc istarum loco habebunt*: nam Germania, regnum est totius Europæ amplissimum & potentissimum; tot imperiis, tot urbibus imperialibus, tot Dynastis potentibus insigne, (a) *rebus opima bonis, multa munita virum vi*, &, quod inprimis ad Monarchiam Austriacam confert, in meditullio Europæ situm. Si vel ex qualibet republica & civitate imperiali, & a quolibet Principe non nisi unam turmam aut cohortem cogunt, & ali faciunt; exercitum perpetuum & cuivis regno evertendo sufficientem formabunt & sustentabunt. Quod si urbes hanseaticas & maritimas, Hamburgum, Lubecam, Bremam, Embdam & reliquas, quæ haud procul absunt a discrimine, hoste tam vicino & progredi annitente, subiugant; potentissimas classes instruere, & a septentrione & a meridie Angliam, Galliamque infestare possunt. Ne dicamus, tum eos commercia impedituros, & non, nisi cum quibus velint, exerceri passuros. Et licet interea alibi aliquid amittant, subjugatæ tamen Germaniæ viribus facile postea recuperabunt.

Quid Germania subacta hosti prosit, & quantum periculum inde in alios Europæ Reges.

Sed

(a) *Lips. in dedicat. centuria ad German. & Gallos ex Lucret.*

Sed de hoc satis; ad *tertium requisitum* pergamus, quod est, (a) *expendere vires proprias, procul & iuxta sitas circumspicere*, & *fundamentum rei feliciter gerendæ, societate & conjunctione animorum & armorum, ponere.* (b) *Metiri* quisque *suas regnique* & ditionum suarum *vires*, & opes, & statum decet. (c) *Multi dum se tam magnos, quam audiunt, credunt, attraxere supervacua & in discrimen rerum omnium perventura bella.* Quod si æqua judicii lance & cum ratione, procul ab assentatione, omnium Regum in Europa vires separatim & solas libramus, inveniemus *nullum tuto, in se solum tanti belli onus* in tam validum & vafrum hostem *suscipere*, minus cum successu diu sustinere, ne dicamus, victoriæ fundamentum locare *posse. Britannus* & *Gallus*, robore & valore reliquos in Europa antistant: *hic* quidem terrestri potentia valet, sed nec æquat domus Austriacæ magnitudinem & fastigium; nec mari quicquam contra eam audet: ast *ille* terrestri solus parum; multum vero marina potentia potest, qua si non superat, certe coæquat Hispanum; ita ut, sicut nunc rerum status est, Batavis per mare potentibus & æternis hispanorum inimicis, *sola Anglia multum negotii possit facessere hosti.* Sed solis marinis expeditionibus rem omnem haud conficimus, nec Palatinatum recuperabimus, nec Amicos à jugo asseremus, nec pacem Europæ restituemus, nec tutam reddemus nostram Aliorumque Regum libertatem. *Solo* nos inprimis *premit potentia* Hispanica; *solo nos vexat & debellat*: si permittimus progredi & firmari, tandem etiam nos Oceano expellet, Belgio & civitatibus Hanseaticis subactis, classes, vela, naves subministrantibus. *Utroque, & bello per mare, &*

Tertium requisitum: expendere vires proprias.

Nullum Principem solum satis potentem in se, contra tantum hostem.

Galli & Britanni vires quales.

Bello & mari, & terra res aggre-

(a) *Tacitus. 2. histor.* (b) *Lucan. lib. 8.* (c) *Seneca de Benefic. cap. 30.*

diundas esse: ad hoc opus confœderatione.

& bello per terram res aggrediundæ sunt: cui cum singulorum vires haud sufficiant, necesse est, ut in societatem omnes, quos commune periculum tangit, foederibus & pactis in defensionem & offensionem colligentur, & (a) *solida Vnio, eadem velle, eadem nolle*, inter cunctos indissolubili nexu vinciatur. In hoc *fundamentum rei* feliciter gerendæ, consistit, *& certa spes victoriæ.* (b) Quod olim Tacitus de Romanis scripsit; *non aliud adversus validissimas gentes pro illis utilius fuisse, quam quod in commune non consulebant: rarum duabus tribusve civitatibus consensum ad propulsandum commune periculum, ita dum singuli pugnarint, universos victos fuisse:* hoc vere de domo Austriaca dici potest: non aliud adversus Germaniæ & Europæ Principes & Reges illi utilius, quam quod fœdera nulla ineant, nec sociatis viribus & animis imminentem ruinam arcere connitentur. (c) Et quid *maius fortuna potest præstare affectata* hispanorum dominationi, quam *discordiam inter* Germaniæ *Principes*, cæcam quietem cæterorum Regum Europæ, diffidentiam inter omnes? ita *alii post alios vincuntur fatali omnium ignavia.* (d) Commune vero periculum, nonnisi communi concordia propulsatur, & unitis viribus unita potentia tanti hostis frangi potest. Vel sola fama & nomen eiusmodi foederis magnum rei bene gerendæ momentum conferret, timorem hostibus, confidentiam Amicis addet. Plus exsternabitur hispanus fundamento belli per firman Principum coniunctionem jacto, factis ad continuationem apparatibus, quam quovis potentissimo exercitu per impetum valido.

Diffidentia & discordia inter Principes quantum prosit hosti.

Duplices esse socios.

Duplicis autem *generis* sunt, *qui in* hanc *societatem* fœ-

(a) *Sallust. Catilian.* (b) *Tacitus in vita Agricol.*
(c) *Tacitus de mor. germ.* (d) *Tacit. 4. Annal.*

foederis *possunt* invitari & *pertrahi*. *Quidam, qui* non nisi *certo respectu* & cum multa restrictione aliquid opis in bellum clam conferre, nec tamen in foedus nomen dare, aut partium palam esse volent. ratione enim diversitatis religionis & aliarum considerationum vel nolunt, vel non possunt: *alii, qui paris religionis, paris animi* & voluntatis *sunt*. E numero priorum est *Gallus*, & quem sequuntur ex necessitate, *Veneti* & *Sabaudus*. Hi quidem ex animo desiderant & concupiscunt, tam amore Reip. quam timore periculi suprastantis, & propriæ conservationis studio, potentiam Austriacam coercitam & depressam: sed ut se aperte membra foederis profiteantur, & illimitate subscribant articulis, hoc rebus sic stantibus haud est sperandum, nec nimis sollicite petendum. Inter plures caussas hæ haud sunt minimæ. Primo fieri non potest, quin ex huius foederis conventione, in quam qui ingrediuntur omnes, vel majorem partem protestantes sunt, & quæstio & controversia status est, restitutio Principum Protestantium læsorum in pristinum statum (Pontificiorum enim nullus læsus est) religio, Romanæ contraria, magnum incrementum & robur sit acceptura. Deinde cum Hispano, Imperatore, Bavaro, & reliquis in imperio Principibus pontificiis maxime Ecclesiasticis, rumpat necesse est, qui in hoc foedus condescendit. At Gallus timet, ut offendat Papam, tum aperte sibi hostem futurum, abalienet à se in proprio regno Cleri animos, tanti ibi instrumenti in omnem occasionem, ansam det hostibus concitandi in se subditos incolas, Imperatoris, Hispani, Bavari & totius imperii vires contra se provocet, sedem & omnem belli molem, tanquam confederatorum potentissimo & maxime op-

Quid de Gallo sentiendum.

Cur non possit aut nolit aperte nomen in fœdus dare.

opportuno sibi soli attrahat, se privet ipsum honore & commoditate componendarum utrinque rerum, ex arbitrio se partem constituat, cogaturque tum bello involutus ad gratiam sociorum vivere; & similia deterrent. Ne dicam Gallum, Principem religiosum nimis, quotidie admoneri, *bona conscientia talia fœdera à Catholico Rege cum Protestantibus iniri* & percuti *vix posse*; rem enim Catholicorum detrimentum, Hæreticorum vero incrementum inde consequi. Hæc doctrina à Jesuitis, nullam occasionem res Hispani promovendi negligentibus, nuper in Gallia proposita, Romæ etiam publicis in lucem emissis scriptis defensa fuit: & non dubitandum, quin speciosa illa & in tempus excogitata argumenta, saltem scrupulum *moveant animo superstitioni obnoxio.* Ne præterea tamen, quia Gallum in fœdus pertrahere non possumus, hastas abjiciamus, & caussæ renunciemus, *bestiis comparandi, quæ non se juvant, nisi juventur.* Et quid majus Galli conjunctio præstare potest, quam ut bellum fortasse citius & promtius finiamus? Si non habemus junctum, aliquid plus laboris exantlandum erit, ut aliquanto tardius rem conficiamus, sed fortasse melius pro voto & scopo nostro, victoria, prout visum fuerit, & sine impedimento usuri. Interea tamen à *Gallis* hoc beneficii habebimus, ut *sub manu* clanculum *aliquid* certæ *opis* & pecuniarum conferant, *& bellum* in *Italia & Valle Telina* fovere pergant, & Hispanum continuis suspicionibus & metibus distineant, semper minanti bellum similes. Ad minimum in omnem casum Gallum contrarium nostris conatibus, propter consortium periculi, nunquam habebimus, licet fiat, ut fortassis, sicut occasiones rerum esse possunt, nostris actionibus domesticis læsum

Tacit. 3. hist.

Quid à Gallo utilitatis haberi possit.

se

se clamet. Si necessitas cogit, aut ratio prægnans suadet, ut aliquid agamus & patremus, quo ille offendi possit, ne propterea tamen differamus: agendum est celeriter, actum vero excusandum. Spe præveniendi & impediendi relicta, accenduntur studia & conatus impediendi, & continuarum disputationum materies fovetur. Si res effecta est, aut efficitur, civili excusatione præveniendæ sunt exprobrationes & querimoniæ ratione status, & quia in aperto bello contra Hispanum simus, pro securitate domestica hæc fieri necesse fuisse; optassemus evitare & parcere potuisse, sed conditiones temporum aliter haud permisisse: si vos foris stabiliverimus, iterum mutaturos, & precibus locum daturos. Idem quoque ex Galli parte fiat; ne offendamur statim, cum videmus, cum Bavaro & Ecclesiasticis hoc vel illud agi, quod in nostram offensionem vergit, aut non exequi, quæ sperare jussi fuimus: nec deceptos nos esse clamemus; sed *tempori & regiminis Gallici, quod suos paroxismos febriles habet, constitutioni* & naturæ attribuamus. Annitemur autem nihilo secius, prudentia & patientia à Gallis consequi, quantum possumus utilitatis ad scopum nostrum, relinquentes illis suum; & ex *isto torrente ad molam nostram, quantum aqua cœli indulgentia concesserit, derivemus*. Quod si vero fatali væcordia obstinati, ita ad Gallum respicere pertendimus, ut, nisi ille nobiscum se coniungat in fœdus, aut primus navim conscendat, nos nihil ex nobis ipsis aggredi, nec nos coniungere velimus; nobis nostrisque Amicis exitium accelerabimus, Hispanis *nostram stultitiam & moras ad usum suum convertentibus*. Sicuti fundamentum illud, quod in matrimonio & affinitate male cum Hispano contrahenda, creduli posueramus, falsum fuit, &

Quomodo cum Gallo agendum sit.

Sine Gallo fieri posse.

nobis præclaras agendi occasiones, quæ tum maturæ erant, eripuit cum æterno nostro damno & dedecore: ita hoc, quod in matrimonio gallico, & inde sperata armorum & virium coniunctione locamus, infirmum est & lubricum. *In nobis*, in nobis *fundamentum solidum* & verum *est*; nos coniungamus, qui paris religionis & caussæ studio ducimur, qui communia sacra & Deos habemus, quos consortia periculi & damni conligant, eandem omnes fortunam, vel exitium vel salutem habituri. Atque hi sunt *secundi generis socii & Amici*, & vere veri *Confedasta*, quibus tuto inniti & fidere, omnia consilia, arcana etiam & secretioris mentis reservata communicare possumus, nec opus habemus, vel suspensius, vel restrictius, vel cautius ire, respectu & contemplatione religionis aut aliarum considerationum.

Fundamentum in sociis secundi generis esse.

Cum igitur *fundamentum rei* ex voto gerendæ *Confederatio* sit, de ea censeamus accuratius operæ pretium est. Primo videbimus, quid agendum & quæ via tenenda, ut ad illius conclusionem & certo & cito perveniamus. Secundo qualis ea esse debeat, & quibus articulis formanda. Ac primo quidem haud inficiamur, summas difficultates obstare, & multa consideranda esse, priusquam ad hanc fœderis conventionem perveniri possit.

De Confederatione.

Duplicis enim *generis* sunt, *qui sunt vinciendi* & colligandi in hoc corpus Vnionis: *alii, qui nullo retinentur metu*, & absque exceptione ingredi possunt & pacisci; ut sunt *Anglus, Danus, Suecus, Batavi, Gabor*: *vel, qui metu retinentur* & non audent palam, ut sunt Principes Germaniæ bonarum intentionum: de quorum salute tamen inprimis agitur; Illi eripiendi sunt ex exitio; si Germaniam à jugo liberatam, & res lapsas in pristinum statum reductas, pacem Europæ redditam, nos nostrosque Ami-

Duplices esse Confederandos.

Amicos in tuto collocatos videre contendimus & speramus. Qui cum equo in fossam aut aquam prolapsus est, nisi addito calcari, voce & annisu equum juvet & impellat, una cum equo perit: sic nisi Germania, qua Europæ libertas vehitur, omnium Europæorum junctis auxiliis, vi extrahatur è discrimine, & de illa, & de hac actum erit. Quod *ad* illos *primos* attinet, illis adhuc integrum est per Legatos convenire, & stipulari invicem; sed hinc hiscere quidem de aliqua conjunctione audent, minus conventus agere, aut per internuncios cum exteris tractare: ne dicam jam, contribuere in alimentum belli, aut militem conscribere. Statim enim, si quid tale animadverteret hostis, eos obrueret, & per militem propinquum ac circum imminentem conatus in herba impediret, cum ipsorum perpetua ruina. Hactenus infeliciter, quia imprudenter, ultro citroque deliberatum, tentatum & laboratum fuit, quomodo Principes Imperii bonarum partium possent conjungi & reuniri, ut consociatis viribus, & resumtis animis, se opponerent oppressoribus suarum libertatum. Gallus, & Anglus missis legationibus, & magnis pollicitationibus, spe auxiliorum & conjunctionis facta, eos cohortati fuerunt: exercitum etiam sub Comitis Mansfeldii ductu instrui curaverunt, & Dano magnas menstruas pecunias condixerunt. Sed frustra omnia: tum quod singulares expeditiones in paucos menses pactæ erant: tum quod autore & auspiciis carebant. *In Germania* res ita constitutæ hodie sunt, ut quamprimum ibi motus oriuntur, *omnes Catholici ordine*, nullo excepto, absque alia consideratione *partes domus Austriacæ*, hoc est Imperatoris & Hispani *suscipiant*, & eos tanquam Caput sequuntur, pro quo hi se gerunt &

Hactenus male tentatam fuisse Principum in Germania conjunctionem.

Quomodo res in Germania comparatæ sint.

& profitentur publice contra quosvis. Proteſtantes vero, quamvis ſe coniungant, vix adæquant potentiam Catholicorum colligatorum, &, quod peius eſt, Caput, vel Imperatori, vel Hiſpano potentia & auctoritate regia par, non habent in imperio. Tum etiam Saxo, unus è potentioribus Proteſtantibus, & qui ab eo dependent quam plurimi, vel aperte Cæſaris partes tuentur & propugnant, vel, etiamſi quieſcant, ita tamen ſe gerunt, ut plus emolumenti ipſorum quies Imperatori & Hiſpano afferat, quam Vnitis reliquis. Extra Imperium aliquis, vel aliqui juncti ſimul, Caput ſint, requiritur. *Per ſe ipſos ſolos Principes* bonarum partium in Germania *haud multum poſſunt* contra potentiam Auſtriacam: acceſſione & conjunctione Regum vel Galliæ, vel Angliæ, & aliorum aliquid ſunt, ſine illis ſcopæ diſſolutæ ſunt, & tanquam *tabula vaſorum circulis non aſtricta.* Vnitorum Principum poſtrema Vnio in ſe ſola tam potens haud fuit, ut ſe tueri potuiſſet, vel contra ſolos Pontificios Bavarica Liga junctos, vel contra vim ſolius Imperatoris, Hiſpani coniunctione ſejuncta, Angli, Galli, & Batauorum acceſſione & fulcro ſubſiſtebat, & aliquid potuiſſet, ſi fuiſſet in tempore, conſiliis & viribus fortioribus ſuſtentata. *Sicut teſtudo, ubi collecta in ſuum tegmen eſt, tuta ad omnes ictus eſt; ubi exſerit partes aliquas, quodcunque nudavit, obnoxium atque infirmum habetur:* Sic Principum Germanorum hodierna conditio eſt, ubi ſe movent, cum interitu ſuo ſe movent, & magno Hiſpani emolumento, niſi prius ſecuri ſint de reliquorum Regum erga ſe voluntate & protectione. At hactenus in eo maxime peccatum fuit, quod *nullus Regum*, (a) licet auxilia & opes promiſerint, &

Livius lib. 34.

(a) *Vide Ammir. lib. 5. diſcur. v. in ea verba Taciti Nomine tantum & auctore opus.*

& exercitus etiam, Principibus animandis & excitandis, instruxerint, & in eorum favorem progredi fecerint; *aperte* tamen *nomen* suum & auctoritatem *accommodare voluerit*, nec se Caput & auctorem constituere. *Consilium* quidem ab *omnibus datum* fuit, *nulli periculum sumserunt*. (a) Vel quia *stultitia esse* putabant, *res alienas suo periculo curare*, cum tamen aliena *res* non sit, sed *tua, paries cum proximus ardet*: vel quia timebant offendere Hispanum. Gallus, qui in Germania multum poterat, tamen propter Ducis Bavariæ & Catholicorum colligatorum respectum, quos tandem ab Hispani partibus retrahi posse, subinde credebat, suspensus intentusque agebat: alii caussam Bohemicam à Palatina separari, & pro hac, non pro illa se profiteri: alii: Hispanum expresse excipi volebant, contra Imperatorem tamen & Bavarum stringere ferrum: ita omnes tanquam (b) *Vespertiliones, neque in volucribus, neque in muribus erant*, & dum *media inter ancipitia sequebantur, nec ausi sunt satis, nec providerunt*. (c) Bella illa Metaphysica & *obliqua*, quæ sub manu, ut dicimus, geruntur, quemadmodum infausta sunt, & Reip. *exitiosa*: ita non modo non frangunt & imminuunt Hispani potentiam, sed etiam attollunt & accrescunt. (d) Vtcunque enim, finiuntur cum ruina illius, qui fiducia auxilii & opis missæ, & mittendæ, se in bellum, & ad arma perpelli sivit. Vna clade accepta non solum de ditionibus suis periclitatur; sed nec amplius se recolligere potest, externatis suis, & fulcro, quod in se propriisque viribus habere de-

Tacit. hist.

Cur bella obliqua exitiosa sint.

(a) *Sallus.* (b) *Varro in Satyr.* (c) *Tacit. hist. 3. vid. Ammirat. libr. 18. cap. 8. in ea verba: nihil medium inter summa & præcipitia.* (d) *Vide Ammir. lib. 20. disc. 9. ubi docet accelerare ruinam, qui potentiam per se adoritur.*

debuerat, everso, & sic tandem hosti præda manet, vel tarde & post festum venientibus, vel à longinquo petendis auxiliis, vel pœnitente & mutato auxiliatore. Si aliquis Principum minorum, auxilia hinc inde emendicare cogitur, & spe illorum sola subsistere, nullo amplius apud se & in sua domo fundamento & fulcro subsistendi remanente; jam ad incitas redactus est, & brevi conclamabitur. Frequens nimium hodie est, & subtilis prudentiæ æstimatur *aliorum laboribus se tueri*, & eum in finem unum post alium in bellum perpellere spe sociandorum armorum, vel divertendi belli, deinde ex occasione res suas agere & pœnitere, *prava calliditate ab armis abstinere*, auxilia remissius submittere, mole belli alteri relicta. At Hispani, & domus Austriaca, aliis consiliis & prudentioribus utitur: res Amicorum, & per quorum latera petuntur, ita curant, ut suas, imo cum maiori cura, sicuti boni Tutores res pupillorum. Si bello petitur aliquis eorum, cuius ruina sibi damnum afferre potest, illum non solum omnibus viribus defensant, sed quasi ipsis bellum directe fieret, accipiunt, & propellunt. Sic nuper vidimus fecisse Hispanum pro Genuensibus, quibus cum bellum inferretur, sibi illatum & se directe petitum esse judicavit: Idem Imper. facit, cum Principes sibi Amici & devoti in Germania infestantur; caussam suam esse arbitratus, non alienam: & vehementia, calore, & annisu majore eam agit, quam propriam. In Insubria res primum prospere cesserunt, pro Sabaudo, quia creditum erat, & hostem exsternebat, Gallum ipsum bellum movere, & illius Caput esse, aut certe partem se aperte profiteri; sed cum visum Sabaudum solum esse auctorem & primum actorem Tragediæ: Gallum vero nonnisi auxiliatorem & personam,

Sall. in epist. Mithr. ad Arsacem.

Sallust. ibidem.

Cur bellum Sabaudicum primo feliciter, post male cesserit.

nam, nec declarato bello Hispanum adoriri prætendere, Genuenses receptis animis se opposuerunt alacrius, & lætus felicium progressuum vultus in tristiorem mutatus fuit. Hæc & similia considerata ut Hostes attollunt; ita Principes in Germania retinent & deterrent, sic ratiocinantes: si Gallus & Britannus, à periculo remotiores & valentiores verentur timentve bello directo & denunciato rem agere, aut se hostes contra Hispanum & Austriacos aperte profiteri, quanto magis periculo vicinioribus & imbellibus convenire, ut armis abstineant, & tempori cedant, nec se intempestive cum exitio suo moveant. Quis vitio vertere possit, quod statum, fortunas, ditiones & subditos suos, discrimini exponere nolint, nec confidere sciant in expeditione vel Comitis Mansfeldii, vel alterius ductu suscepta, non nisi *impetu valida, per moras & tædia evanescenda*: quæ nullum certum scopum, nulla media & fulcra continuationis habeat, quam nullus Princeps suam vocet aut agnoscat, nullus auspicia & nomen accommodet? Quis propter secretam & incognitam cum hoc vel illo in paucos menses initam pactionem; & pecuniæ ad exercitum alendum promissionem; arma arripiat & suum exitium festinet, firmiori & solidiori fundamento opus esse, si debeant rem armis gerere, & cum felici successu & sui tutela movere.

Quid Principes Germaniæ retineat & deterreat.

Tacit. hist. 2.

Quocirca, *si velimus cum effectu* in Germania *rem aggredi*, & Principes in libertatem asserere & ad Vnionem reducere, ante omnia *necesse* est, *ut Reges*, qui caussam communem restitutam volunt, *se manifeste declarent*, & profiteantur vindices libertatis Germanicæ, autoresque belli, & se gerant apertos hostes Domus Austriacæ & liga Bavarica junctorum Ordinum, & hoc absque tergiversatione & cal-

Qua via tenenda, ut Principes in Germania possint reduci.

ad Vnionem, & virium coniunctionem.

calliditate: & tum cogant ad societatem & fœdus Principes Germaniæ, qui procul dubio, si metu se exsolutos, & quibus tuto inniti possint, fundamenta viderint, accessuri sunt. Sed requiritur, ut *prius inter Reges & Principes* istos *exteros conjunctio* & pactis firmata in multos annos confederatio *fiat*, ut una aut altera clade accepta, nihilominus media supersint continuandi aut perficiendi incepta. Vnius enim Regis vires & opes, unius exercitus, quamvis potentissimi, labores, haud sufficiunt; nec uno aut altero anno res conficietur, nec unius aut alterius prælii eventu debellabitur. *Deinde*, ut expressis verbis conveniatur, *pro libertate Germaniæ*, & reponendis in pristinum statum læsis, hanc *confœderationem initam*, nec arma posituros Confœderatos, priusquam Germaniæ, & per eam Europæ pacem restituerint, & æquilibrium reduxerint: omnesque illos hostes futuros & teneri, qui se opposuerint his conatibus. *Denique* ut *potentissimus exercitus*, vel potius plures, ut infra dicetur, instruantur, & sub nomine atque auspiciis Confœderatorum Regum, ductu alicuius Imperatoris, regia dignitate præditi, *in Germaniam* recta contendat & *descendat*, vel in Domus Austriacæ, vel ab illa dependentium ditiones, quam minime læsis bonarum partium Principibus. Dum hæc fiunt, eodem tempore declaratione publica & in vulgus emissa, & communicatis per internuncios consiliis, intentio & propositum explicanda sunt, & Ordines docendi, & hortandi argumentis & minis, ut animos resumant, & sibi ipsis deesse nolint hac præclara occasione: Hoc si viderint Principes, non dubitandum est, quin arma sint arrepturi, seque cum reliquis ad commune periculum depellendum coniuncturi. Sed hæc cautela non est negligenda: Quoniam Gallus, atque ita alius

alius aliquis Catholicorum Principum, vix nomen sit in hanc Confederationem daturus, ut supra diximus; declaratio & protestatio fiat solemnis, nec fœdus, nec bellum hoc religionis caussa fieri, minimeque ad oppressionem & sublationem Pontificiorum sacrorum intendi.

Quomodo vero cito & absque contatione, cumque temporis compendio, quia *in Celeritate cuncta sita sunt*, ut dicetur, hæc Confederatio possit percuti, videamus. Optandum quidem esset, ut Confederandi, maxime ii, qui absque metu & periculo coire possunt, in unum conveniant, & collatis sententiis articulos pactaque forment: sed ad hoc requiritur spatium temporis satis longum, quia Confederati dispersi dissitique procul habitant. Tum solens est, ut *in eiusmodi conventibus plurium iungendorum, vel dispensando, vel cunctatione eorum res extrahantur* & sæpe labefactentur, & sine conclusione discedatur. Alia igitur via brevior & expeditior quærenda est, quam hanc putamus. *Britannus*, qui omnium Principum Protestantium & auctoritate & potentia primus est, & ad quem reliqui, tanquam cuius maxime intersit, respiciunt, *cum Batavis* suis Vicinis Amicis, & æternis Hispani & domus Austriacæ hostibus, *fœdus concludat* & ineat certis legibus & articulis, quibus cæteri ratione status & absque scrupulo possint subscribere, conceptis. Hoc facto, & fœdere iam concluso & consignato, isti duo Confoederati tabulas pactorum ad Danum, Suecum, Gaborem Transilvanum, & meliores ac potentiores in Germania Principes confestim mittant, eos invitent ac cohortentur, ut subscribant & ingrediantur, cuilibet permisso, eas conditiones annectere, quibus sibi & Reip. optime consultum prospectumque putet. *Articuli* vero ita *concipiendi*

Quid faciendum, ut Confederatio cito absque mora percutiatur.

Tacit. de morib. Germ.

sunt, ut sub publico omnium Confederatorum bono, etiam in specie saluti & securitati singulorum consulatur, eorumque emolumentum spectatum fuisse appareat. *Primo* declaretur, *Confederationem defensivam & offensivam* in tot & tot annos initam, *eum in finem, ut* remittantur & restituantur in pristinum statum læsi & disjecti, unusquisque Confederatorum & eius ditiones & jura defendantur, Principum & Ordinum Germaniæ prisca libertas & privilegia conserventur & asserantur, servitus ab Oppressis depellatur, Pax, securitas & tutela procuretur Europæ, & *unicuique suum reddatur*. *Secundo* declaretur, *Confederationem* hanc *non initam esse ad alicuius* innocentis & sincere quiescentis *læsionem* aut inuasionem, sed solum contra injustos & violentos oppressores, & alienorum bonorum & ditionum malitiosos detentores, & uno verbo contra eos, qui se sint justis & legitimis Confederatorum conatibus oppposituri. Imperator & Domus Austriaca non sunt expressis verbis nominandi in tabulis, quæ ad Principes Germaniæ & Danum, (de reliquis aliud judicium est) mittuntur, ne ansam exceptionis habeant, aut sibi obiici posse timeant, in fœdus contra Imperatorem & Austriacos, tanquam Imperatorem & Archiduces Austriæ, nominatim consensisse: quamquam in effectu nihil aliud sit, quam contra eos, licet certis de causis abstineatur à nominibus. Qualis avis sit, satis intelligitur, si suis coloribus depingitur, quamvis non nominetur. *Tertio* declaretur, *quid Angli ex sua parte*, & quid Batavi ex alia *sint facturi*, tam mari quam terra, & quantum numerum militum & navium tormentorumque, durante hoc fœdere, sustentaturi. Et ita cæteri, qui intraturi sint in societatem, stipulentur, *quilibet pro modulo suarum virium & potentiæ*, sic ratione inita, ut

omni

omni momento promtus paratusque sit, & possit tum de mense in mensem continuare, tum si opus etiam sit, anticipare. Interea tamen Angli & Batavi, & mari & terra procedant, sicuti inter eos conventum erit, & faciant pro modulo virium, quantum possunt: si reliqui postea accesserint, (accedent autem citius & certius, si illos iam revera progredi videant, & fœdus perfectum & impletum fuerit,) tum maioribus viribus et mole bellum instaurari & duplicari poterit, aliisque etiam in locis, nempe Germania, hosti negocium facessi, atque ita universorum conjunctione res confici. *Vltimo loco* declarandum etiam esset, *quis Director belli* in Germania gerendi constitui debeat; sed quoniam hoc, vel per internuncios, qui tabulas fœderis perferunt, vel per Confederatorum commissarios statim post conclusum fœdus in certum locum mittendos, melius convenientiusque fieri potest, eo differri & remitti potest. Nos inferius aliquid de belli Imperatore deligendo dicemus. Necesse autem est, ut principes Confederati statim ac consensum dederint & Confederationem articulosque in genere (& hic primus maximusque gradus est) approbarint, quosdam suos ministros delegent, ut certo in loco conventi reliqua minutiora, & quæ in executione consistunt, & non nisi ultro citroque auscultatis & concordatis sententiis, fieri queunt, deliberent & accommodent. Interea tamen, ne quid negligatur temporis, quilibet Confederatorum, præparationes Militum, armorum, & inprimis *Pecuniarum*, quæ non *ita in promtu cunctis* & *quarum defectu omnia bene conclusa concidunt*, studiose domi faciat, pro eo modo, quo se vult obligare.

Quoniam vero sæpissime fit, & experientia testata est, ut *in Societate & Vnione plurium, si res impro-*

spere cedunt, quilibet rebus & saluti suæ *separatim consulere studeat*, & ab Vnione discedere, relicto in discrimine socio & Republica. Paucissimis abhinc annis, cum Fridericus Rex eiectus esset Bohemia, & cecidisset, Principes socii ab Vnione statim discesserunt, & hastam abjecerunt, *unius prælii eventu exsternati, & summa rei diffidentes.* (a) Ne dicam iam, societates & Confederationes *multorum non habere* (b) natura sua talem concordiam & firmitudinem, ut sperare non possit potens hostis, per se solum subsistens, quin aliquem ex illis, vel mora, vel arte, vel præmiis queat attrahere. Sacrosancto igitur juramento, Deo in testem vocato, universi & singuli promittant, nunquam pœnituros, nec ab Vnione ullo pacto recessuros, nec pacem pacisve conditiones separatim accepturos, nec paciscituros cum Hoste, nisi omnibus sociis consciis & assentientibus: sed parem cum cæteris fortunam habituros, hoc est, aut mortis esse, aut victores. Ad summam, *omnia prius experiantur, quam caussam deserant; more anguium, qui obtrito capite postremum cauda minantur.* (c) Mortuo autem quodam Confederatorum, successor vestigiis defuncti insistens pari modo jureque in fœdus astringatur.

Confederationem juramento stabiliendam esse.

Vltimum, quod *requirimus*, est *Consiliorum*, Consiliorum inquam, *constitutio & ardens cura*: alias male incipimus, peius gerimus, & pessime finimus bellum. Nihil est quod res nostras ita pessunderit, quam incuria & neglectus bonorum consiliorum: ex

Vltimum requisitum, Consiliorum bonam constitutionem esse.

Hoc fonte derivata clades
In Reges populumque fluxit. (d)

Hispa-

(a) *Tacit. 2. histor.* (b) *Guicciard. lib. 2. hist.* (c) *Florus lib. 1. cap. 15.* (d) *Horat. Od. 6. libr. 3.*

Hispani in eo admirandi sunt, ut supra diximus; consessum habent perpetuum & fixum; non scenam, sed domum, hoc est, *verum Senatum*, veri & falsi examen, temporum & occasionum trutinam, præteritorum & præsentium imaginem, futurorum & successuum speculum. Suasores ipsi prudentes & experti, non ambitu, non *studiis privatis, non ex commendatione & precibus*, (a) sed meritis & virtute lecti; *cauti in deliberando & decernendo, in exsequendo viri & promti*; factionibus & diffidentia non rapiuntur in transversum; Stellæ fixæ sunt, non Planetæ; Veronenses, non Placentini; Vlysses & Nestores, non Thersithæ nec Stentores; Vulpes & Lynces, non Lepores, nec Asini: non ambulando & stando, sed sedendo consilia & suasus promunt; ut bene possit dici de iis, quod olim de Romanis, *sedendo vincere*. Ad scopum, quem tot abhinc annis præfixum habuerunt, cuncta dirigunt, & contendunt mediis consilio quærendis & regendis. Toto illo tempore, quo res Hispana stetit, nullum exemplum reperitur, aliquem tantæ gratiæ & potentiæ fuisse, qui ausus fuerit se huic consilio opponere, aut qui potuerit procurare aliquod conclusum rescindi & mutari; vel statui, quod sibi soli placebat. Quod si iam contemplamur, qualis apud nostros Principes, majorem quidem partem, consiliorum vultus sit, suspiria ex imo corde cogimur effundere. Quotusquisque nostrorum Principum hodie consilium formatum & fixum habet? si habet, non ad usum, sed ad speciem & pompam habet, ab unius & alterius præpotentis in aula nutu dependens. Si aliquid ibi conclusum est, potest mutari & exsecutioni mandari, ut allubescit Principi, vel illi, apud quem Princeps multum potest. Cubicula-

Qualis consiliorum forma & facies apud hostes.

Velleus lib. 2.

Varro.

Qualis forma & facies consiliorum apud nos.

(a) *Tacit. Agric.*

ria consilia & domestica prævalent, affectu in unum aut alterum valido: consultationes solemnes & legitimæ raro instituuntur, sententiæ conferuntur, liberæ voces & vota non admittuntur; (in silvis, inter canes, inter ludicra ambulando & stando dantur decreta, sumuntur resolutiones, fiunt conclusiones) Auscultationes raræ & subitæ, informationes superficiariæ, communicationes nullæ vel imperfectæ, nulla temporum, locorum, rerum & hominum consideratio: cum Principibus Amicis, licet eiusdem caussæ & religionis sint, consiliorum communicatio frigida vel diffidens; cum eorum legatis rara & perbrevia colloquia, & tipidi discursus; noxiæ irresolutiones, perniciosæ comperendinationes, inutiles disputationes, *voluntates ut vehementes ita mobiles, & pleramque sibi contraria*: asseclæ potentiorum, quibus sui Regimen Princeps præbuit, sumus, & vel *servilis sententia autores vel laudatores*: externorum & nostrorum ignari, *vires nostras ac alienas ex rebus antea gestis æstimamus*, cum tamen mutata sit facies, & mutetur: affectu & *propria rei studio, pessimo veri veneno*, cuncta metimur, pudore ignorantiæ & inexperientiæ multa omittimus & perperam ordinamus, nec cupimus informari, aut agnoscere imperitiam, turpe putantes erudiri & corrigi, privatis æmuationibus & simultatibus ac invidia, alius in alium, bonum publicum impedimus, consilia sub prætextu communis utilitatis ad id, quod nobis nostræque fortunæ conducit deflectimus, nunc nimio calore, nunc nimia socordia res tractamus; post factum deliberamus; statuimus, cum res fieri amplius nequit occasionibus perditis; pœnitemus, postquam rem confecimus. Si hæc profundius intueor, & penitius scrutor, oportet ut dicam, me vereri, nisi matura mutatione in me-

Tacit.

Tacit. 6 Annal.

Liv. lib. 35.

Tacit. 1. hist.

melius præveniamus, ut Dei in nos ira, & fatum, Hiſpano ſpondeat imperium Orbis, inprimis Europæ. Nam multa ſane *præſagia*, antecurſores & cauſſæ, quæ *interitum* noſtrarum libertatum *comminantur* & portendunt ante pedes noſtras conſpicimus: ut ſunt Securitas nimia, contemptus hoſtis, pruritus in bellum, negligentia & omiſſio præparationum neceſſariarum, diſcordia & diffidentia inter nos ipſos, oppreſſorum Amicorum nulla vera miſeratio, privatorum uſuum prælatio & iniqua ſollicitudo, publicorum ſegnis amor & tractatio, neglectus rerum divinarum, & frigidior religionis cura, impreſſa mala opinio de noſtro regimine, autoritas apud exteros & ſubditos vilis & abiecta, populi animi abalienati, plebs ad contribuendum belli ſubſidia aſpera, deteſtans noſtras actiones & conſilia; & ſi quæ his conſimilia ſunt, quæ tamen cuncta originem trahunt ex conſiliorum, vel nulla, vel mala gubernatione & adminiſtratione. *At ego*, ut cum Salluſtio hoc dicam, *legendo atque audiendo ita comperi, omnia regna, civitates, nationes usque eo prosperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt; ubicunque gratia, timor, voluptas ea corrupere: poſt paullo imminuta opes, deinde ademptum imperium, poſtremo ſervitus impoſita eſt*. Hæc ſuperiora de confuſo & luctuoſo apud nos rerum & conſiliorum ſtatu, ſine offenſione & injuria à nobis dici, neminemque in ſpecie taxari mentem eſſe; ſed ex ſincero & ardenti in Remp. Chriſtianam Zelo, &, ut cognitis malis remedia inveniamus, profluere, Deum atteſtamur & noſtram conſcientiam. Sed redeamus in orbitam: Ante omnia igitur *conſtituantur conſilia*, quæ tam *in incipiendo*, quam *in gerendo & finiendo bello* requiruntur. Nihil temere & præcipiti calore, ſed conſulto & præviſis omnibus, & circumſpectis rebus & rerum

Præſagia futura mutationis.

Sall. de Rep. ordinanda.

rum circumstantiis suscipiendum, domi cunctis munitis, foris vero hoste opportuno. *Duobus Capitibus* hæc includemus. *Primo* deliberandum esse tum *de domestica tutela & defensione*; tum *de necessitate* & mediis *continuationis* belli; hoc est, *de apparatibus*; *Secundo*, *consultum* esse, *ut confestim* sine ulteriori dilatione *bellum suscipiatur*, rerum momentis præsentibus expensis & urgentibus. Et sane ante omnia *de tutela sui* suorumque subditorum & ditionum prospicere debet providus & bellum suscepturus Princeps, & præsidium ad se suumque statum defendendum parare: *cum in finem Milites* habebit, & *Munimenta*. Quod ad *Milites*: unusquisque Confederatorum paucas quasdam turmas & cohortes conscriptas sub signis, & mercede conductas alat, pro viribus & modo provinciarum suarum, quas ad subitas invasiones & excursiones sustinendas & impediendas in opida, in castella, maxime in fines, disponat. Non vero opus est magno eorum numero, nec integro exercitu, sed quantum suffecerit ad repentina casuum & inopinatos assultus. Nam si integris viribus hostis appropinquat, & toto bello adoritur, tum præsidium erit in exercitu communibus viribus Confederatorum sustentando, qui è vestigio sequi necesse habet per rationem belli, hostilis motum & progressum. Præter Milites istos mercenarios, quilibet confederatorum etiam *suos subditos domi* ad jussa militaria *paratos armatosque habeat*, faciatque assuescere armis, ut necessitate ingruente, & ab hoste incursionibus metuendis, possint uno edicto evocari, & cum armis adesse coniungendi & miscendi cum mercenariis istis, ad defendenda loca sedesque patrias, & ad hostis subitaneos impetus sistendos. *Exercitati* vero *& prudentes viri Delectui præponantur*, qui eos exer-

Duobus Capitibus comprehendi Consilia.

In quibus consistat Tutela sui in militibus,

Veget. lib. 2. cap. 18.

ce-

ceant, & ad arma condocefaciant statis temporibus.

Quod *Munimenta*: quilibet confederatus meliora & munitiora suæ ditionis opida & castella, maxime quæ in finibus, & ad flumina & ad transitus opportunos sita sunt, communiat, armis, machinis bellicis, pulvere tormentario, inprimis annona, & aliis rebus necessariis provideat. Hæc cautela observetur hic; ut non omnia loca communire, & omnibus nidulis prospicere studeamus, nullum vere munitum & prospectum locum habeamus; quod haud semel accidisse vidimus his nostris temporibus, ubi incauto amore & misericordia omnes quasi angulos nostrarum ditionum communire, & ad defensionem præparare voluimus, & pares non eramus tantis oneribus & sumtibus: tandem omnia perdidimus nullo loco ita proviso, ut par erat. Igitur eligenda sunt pauca quædam loca, situ, transitu, opportunitate omnium maxime consideranda, accessu ardua, et inexpugnabilia, in quibus præsidium provinciæ consistit; per quæ recuperari possunt amissa, & hosti transitus, pabulatio & frumentatio impediri; eò omnis cura omneque studium conferatur, & armis, annona, præsidiis, & aliis similibus, ita provideantur & communiantur, ut non modo ad exiguum & subitum motum aut assultum; sed etiam ad comunem & diuturnum, durent: quo subditi sua meliora & pretiosiora deferant, & tuto deponant tempore periculi, invasionum incursionumque, aut hoste vicino. Et hæc hactenus de domesticæ defensionis sollicitudine: nunc videamus *de necessitate & mediis continuationis, deque apparatibus belli* nostri, de quo præcipuus nobis sermo est. Vt vero bellum continuari queat; inprimis annitendum est, ne *per impetum validum tantum sit, per moras & tædia evane-*

& Muniment is.

De apparatibus & mediis continuandi

 ne-

belli: & quam necessaria sint.

nescat. (a) Hactenus omnia nostra bella fuerunt, tanquam flammæ paleis accensis lucidæ, quæ subitum incendium & speciosum præbent, sed repente exstinguuntur exusta confestim materie, vel *ut Adonii horti, qui subito & uno die nati, celerrime pereunt*. (b) *Nullum ædificium diu subsistere potest, quod fundamento caret*; ita nullum bellum bonum successum habere, quod mediis continuationis destituitur. Præsto igitur & in parato esse debent duratura ad continuandum bellum media, ut si semel atque iterum succumbamus, habeamus statim ad manum, quo nos recolligamus. *Eventus omnium præliorum*, inquit Vegetius, *inter initia contra illos fuit, quibus victoria debebatur*: at si continuare possumus, ne dubitemus *tandem bonam caussam triumphaturam*. Danda proinde opera est, ut ubique omnia ita dispositα sint, ut clade accepta, reliqui, & milites, & subditi in obsequio contineantur, nec *lapsu aliquo summæ rei diffidant, aut formidine ad desperationem & defectionem properent*. Quod sæpius accidisse vidimus: nuper sola clades Pragensis, totam Bohemiam & vicinos Principes, quasi uno ictu perdidit, tum quia de mediis reparandarum virium ante prospectum non erat, tum quia *pavidis consilia in incerto sunt*. Quocirca ratio ea ineunda est, ut nunquam deficiant supplementa seu *Milites*, *Arma*, *Annona*, *Pecunia*, de quibus nunc videbimus.

de Milit. lib. 3. cap. 25.

Egesip. 4. cap. 1. Tacit. 2. hist.

Tacit. Annal. 3. cap. 9.

De Militibus & supplementis.

Milites: quilibet confederatus provideat statim ac consenserit in Vnionem, illum numerum militum, ad quem se vult astringi virtute Confederationis, aut tantum pecuniæ, (quantum tanta militum manus constare poterit conscribi & per mensem ali, si malit) accumulet, & mittat ad Imperatorem belli deligendum. Aut potius relinqua-

(a) *Tacit. hist. 2.* (b) *Plato apud Stobæum in Eth. Eclog.*

quatur hoc arbitrio Imperatoris belli, utrum Militem vel Pecuniam malit imperare. Quoniam vero fit, ut milites vel morte pereant, vel fuga dilabantur, vel missione imminuantur, vel per vulnera & morbos absint ab exercitu: igitur statim ac illi conscripti & dimissi sunt, de supplementis cogitandum est Confederato, & dilectus subinde novi instituendi, ut ad primum minimumque monitum, & ad omnem eventum cum supplementis præsto sit, & accurrat, ne Director belli opus habeat cum dispendio, ut fieri solet, cum è longinquo expectanda sunt auxilia, præstolari, & occasiones rerum propter tardum supplementorum adventum, amittere. *Nisi enim annis singulis*, ut inquit Vegetius, imo *singulis* pœne *mensibus in decedentium locum, juniorum turba succedat, quamvis copiosus exhauritur exercitus.* cap. 3. lib. 3. Sed hoc totum de Militibus tam conscribendis, & supplendis, melius judicio & arbitrio Imperatoris belli relinquitur; & sic multis incommodis & impedimentis obviam itur. Is enim exercitum formare, milites conscribere, legiones ordinare, Duces deligere & id genus alia instituere potest, prout ipsi utilissimum expeditissimumque fuerit visum, secundum locorum, temporumque & belli occasiones.

Arma: Armamentaria sua Confederati recenseant, vetera arma, quæ utibilia poliri, alia desueta reformari in hodiernum usum curent, nova comparent: summa, tormentis, machinis, pulvere pyrio, telis, & aliis omnibus, quæ nostro tempore in usu sunt, & esse possunt juvandis viribus & bello gerendo, ita instructi sint, ut non modo pro se suisque, & ad suas terras & arces defendendas, & pro modulo, ad quem alligantur ad fœdus, sufficientia arma habeant; sed possint etiam ne- *De Armis.*

cessitate; aut Imperatore belli exigente, in auxilium quædam accommodare. Inprimis vero unusquisque Confederatorum, certum bonumque numerum equorum tormentariorum, ut sic dicam, apud paganos in vicis & opidis in præparato & præsto habeat, exercitus Confederati tormentis, machinis, & impedimentis devehendis & transportandis, prout usus postulabit. Confederati quoque, quorum regiones maritimæ & portuosæ, naves & instrumenta nautica in parato habere studeant, tam ad se defendendum; quam ad reparandas & coadjuvandas classes, quas vigore pactorum Confederationis sustentare coguntur.

De Annona. *Annona*: huius diligentem provisionem, quanta fieri potest, unusquisque ex confederatis, inprimis qui in Germania sunt, & quorum in confiniis exercitus confederatus militaturus est, in suis terris faciant; frumentum & necessarium commeatum pro hominibus & bestiis in loca tuta & munita recondat, promenda cum usus & necessitas fert; *Reliquis casibus potest in tempore subveniri; pabulatio & annona in necessitate non habent legem, nisi ante condita.* *Veget. lib. 3. cap. 26.*

De Pecunia. *Pecunia*: hæc est potens illa Diva, locorum, animorum, & bellorum Domina, per *quam arma efficacia & utilia sunt*, hostesque urbesque fortissimæ expugnantur. Hæc statim cum omni cura & industria paranda & conquirenda est nobis, qui eam in parato non habemus, & cum summo labore & jactura temporis paramus. At ex defectu stipendiorum dissolutio exercitus, rebellio, defectio, desperatio militum, & *Ilias malorum* oritur. Itaque requiritur, ut unusquisque ex Confederatis ratione & calculo omnium suarum opum & proventuum supputato, (postquam ea, quæ sibi in propriis necessitatibus necessaria sunt deduxerit,) tum *Lips. Polit. 4. cap. 9. Thucyd. lib. 1.*

tum ad portionem, ad quam se vult in singulos menses durante hoc bello astringere, certos reditus destinet & appropriet, & fundamenta solutionis de mense in mensem faciendæ, constituat: aut cum suo populo, communicatis consiliis, rationem ineat, ut hic in se suscipiat portionis istius solutionem. Extemplo autem, illo ipso momento, quo in Confederationem consentit, incipiat, & nummos accumulet, atque eam viam modumque instituat, ut non solum de mense in mensem possit solutionem facere; sed etiam aliquot menses in anticipationem annumerare. In quædam tuta & versura nobilia loca nummi deponantur; Hamburgi nempe & Amstelrodami; & ad tempus asserventur & in usum. Spe vero prædæ & spoliorum aut contributionum à victis cogendarum, ne credamus posse sustineri bellum: fundamentum incertum est & fallax; solidiori opus est, nempe, ut quisque domi suæ in loculis habeat, & è suis terris, paretve vel benevolentia subditorum (qui proniores erunt, ubi intellexerint pro communi omnium salute fieri, nummosque provide dispensandos iri, nec compendio privato servituros) vel aliis artibus. *In ipso bello & per tempus belli exactiones odiosæ sunt, & periculosæ*, præsertim si subditi incommoda belli sentiunt. imprudentiæ accusatur & socordiæ, qui non prospexit de expensis, antequam aliquid inceperit. *Lips. Polit. lib. 5.*

Videamus jam *cur consultum sit, celeriter bellum suscipere*, (a) & non differre diutius resolutionem. Contatione omnia deteriora fiunt, & hostis potentia ac fortuna, irresolutione nostra attollitur, conniventia vel ignavia nostra magis ac magis stabilitur, & sicut ex nivibus pila volvendo excrescit, sic ille progrediendo, & unum post alium deglutiendo, *Cur bellum celeriter suscipi consultum sit.*

(a) *Vid. Ammirat. lib. 18. dis. 5.*

do, fit ex potente potentior in omnium terrorem & exitium. Quantum hactenus peccaverimus, quantumque nobis & Amicis nocuerimus, hosti vero profuerimus, hac irresolutione, nullo eloquio exprimi potest. Multos, quorum societate & opera potuissemus tanto facilius bellum conficere, perditum ivimus: plures, quos olim, in tempore bellum aggressi, amicos habuissemus, nunc hostes experiri cogimur, hispanis, quod maxime cruciat, sociorum oppressorum opibus & copiis belligerantibus & vincentibus. Quod si adhuc moras nectere, & rerum momenta negligere pergimus, mox cæteros etiam, qui adhuc in Germania supersunt, perdemus; pænas tandem gravissimas nostræ stultitiæ luituri, & servitium, sicut illi, passuri. Nunc quoniam adhuc aliquid temporis restat, & dum rerum momenta urgent, matura & celeri opus est resolutione. Hostis iam opportunus est, eius potentia in imperio nondum stabilita, *imperium invisum, nec diu retinendum*, (a) diutina felicitas & *in fastigio rota collocata mutationi & casui propinqua*, ærarium tot continuis bellis exhaustum, vires dispersæ, tum propter bella in Italia, in Belgio, & in Germania: tum propter copias hinc inde in finibus & præsidiis dispositas ob metum. Bohemia cum vicinis provinciis sub duro jugo suspirat, & nonnisi excutiendi occasionem optat. Vngari & Transilvanus proni ad motus, & subito in bellum accendendi: tot Proceres patriis sedibus extorres, tot millia libertate religionis orbati, & ad aliena sacra coacti, tot innocentes oppressi, si via facta fuerit, prorupturi: Bavari amicitia fluxa & fortunæ assecla; qui nunc hostes, mox futuri socii & Amici: Principes & ordines imperii non affectu, sed *terrore* retinentur, quem

Quomodo hostis opportunus.

(a) *Senec.*

quem *si removerimus, qui timere desierint, odisse incipiant.* Felicitas quoque & *fortuna* hostis iam *ad summum rota perducta* est, & *agre consistet*, communi voto, consensu, & sententia Orbis Christiani exsecrata, & coërcenda. Jam *ad culmen eniti contendit, una cum ipsis ramis, quos comprehendit, decidet. Qui stabilire res suas potuit, & fortuna utiliter uti, & non fecit, is proximus est casui fatali* vel superbia, vel pertinacia sibi accelerans ruinam. Et hæc dicta sint de primo Generali Capite: nempe de suscipiendo bello: Prolixiores fuimus; necesse enim fuit, quædam altius repetere & inculcare, quia haud ita cognoscuntur nec ponderantur vulgo, prout par est, & præsentium rerum ac temporum conditio deposcit.

Tacit. in Agric. Senec. Curt. lib. 7. Guicciar. lib. 17.

CAPVT SECVNDVM.

Jam *de secundo Generali capite* agendum, nempe, quæ in Gerendo feliciter hoc bello consideranda sint. Ac primum quidem, sicuti *priusquam incipias, consulto, & ubi consulueris, mature facto opus est*: (a) ita cum constitutum sit hoc Bellum suscipere, & de fœdere, de Amicorum societate, de domestica tutela, de annona, commeatu, Pecunia, & aliis mediis continuandi belli, satis cautum ac prospectum sit; consequens est, ut absque dilatione *consultis facta coniungantur*, (b) & jam paratum conclusumque bellum geratur. Nulla in re magis hactenus ex parte nostra peccatum fuit, sicut supra diximus, & iterum etiam hoc loci uberius inculcamus, quam quod *inutili cunctatione, vel in deliberando*, (c) vel apparando, tempus perdiderimus; cum tamen res nostræ ita comparatæ sint, ut sicut *Hispanis*, utpote potentiæ Vnitæ, & victoribus ac Detentoribus, *Mora*; ita *nobis*, oppressis & periculo

Bellum absque dilatione gerendum.

Quare mora noceat nobis, & hosti prosit.

(a) *Sall. in Catilin.* (b) *Vell. 1. hist.* (c) *Tacit. 3. hist.*

Vide Ammir. discorso 5. lib. 17.

lo vicinis, *festinatio utilis* sit. In bello gerendo nihil magis obest illis, quorum res in arcto sunt, & bellum diu continuare non possunt; vel qui à societate plurium dependere necesse habent, quam *Dilatio & Mora*; *nihil melius Celeritate*, quæ haud immerito *Bellonæ filia* vocatur; consilio tamen regenda. At nihil magis crebrum & usitatum, quam in bello, quod à multis geritur, peccare comperendinatione & mora. Vnitæ vero potentiæ & inveteratæ, qualis est Hispanorum, qui *omnia habent opulenta*, (a) & propter timorem ad nutum; qui cum integris & victricibus exercitibus tenent insessas. Amicorum nostrorum ditiones, & aliorum spoliis & sumtibus sustinent bella; & quibus Principum in Germania, propter diversitatem religionis, diffidentia, tempore belli quæstui est, Contatio & Mora utilissima. Possemus deducere, quomodo hactenus agendi tempus in apparatu consumserimus, & *rerum occasiones, quæ non expectant socordiam*, (b) turpiter neglexerimus. Quam vero periculorum noxiumque sit res magni momenti, magno quidem molimine & vehementia & conatu incipere; sed postea oscitanter agere, & tandem in medio cursu relinquere, vel tædio, vel ignavia, vel pœnitentia, hoc udis oculis aspicimus; hostis inde incrementum & emolumentum, nos vero contemptum & penuriam sentimus.

Eligendum Directorem belli cum summo imperio.

Vt vero omnia ista mala & incommoda, quæ in gerendo Bello moræ, & è dissito petendi assensus, consultationesque intempestivæ pariunt; evitentur; ante omnia opus est, ut *Imperator supremusque Dux*

(a) *Tacit. 2. hist. Lips. cent. 3. ad Belg. ep. 31. Habet sane hoc noster Philippus, & Crassorum omnium Crassus, ut ducere bella possit, perennibus ærarii fontibus, quos alii requirunt.* (b) *Demost. Phil. 1.*

Dux belli constituatur, cum summo & absoluto Imperio, imitati Romanos, qui in rebus arduis, *quoties circumstetit atrox Tempestas, ipsumque Caput lasura pependit*, Dictatorem crearunt; penes quem sit summa rei militaris, qui non opus habeat semper referre ad reliquos Confederatos, & eorum sententias & opiniones expectare: qui potestatem habeat decernendi & concludendi omnia, quæ in gerendo bello, & circa modum exequendi destinatum, propositum, occurrunt ordinanda, resolvenda & perficienda. Consilium tamen formatum, compositum ex confederatorum ministris confidentioribus plena autoritate instructis, secum perpetuo in castris & expeditionibus habeat: horum sententias & vota in rebus gravioribus, maxime res status & commune Confederatorum emolumentum vel damnum concernentibus, auscultare, rogare & sequi teneatur, modo per maiora conclusio facta sit; hi possunt deinde ad suos Dominos referre, quæ geri & concludi è re & tempore erat. Hoc *primum est, quod ad Gerendum bellum* requiritur, nempe *Electio Imperatoris. At unum ex difficillimis est, huius Electio inter Principes*, ubi plures paris autoritatis & potentiæ consociati sunt, & alter alteri in dictatura postponi pro injuria ducit, vel non pro suo suique status honore: *æmulatio inter pares impedimentum* magnum est rerum gerendarum. Quod si jam circumspicimus, cui possit summa rei & directio huius belli deferri, consideranda veniunt. Primo *bellum duplex, unum mari, alterum*, & præcipuum, *terra* gerendum esse; Quantum ad illud, res caret difficultate & lite. Cum enim Anglus, absque æmulatione & invidia, primus potentissimusque sit omnium Confederandorum per mare, & nemo prætendat ipsi præferri, cumque huius belli onus quasi solus, Ba-

Claud. de bell. Getico.

Consilium adiungendum esse.

Guicc.

Tacit. Ann. 2.

Bellum in genere duplex.

tavis vix quincuncem contribuere valentibus, ferre & sustinere cogatur, poterit præficere Thalassiarcham, quem ipse voluerit; non necesse habens ad reliquorum in eo respicere voluntatem & judicium. Quantum vero ad rei summam conducat, & necesse sit navale hoc bellum patrare, operæ pretium erit paucis considerare. Si aliquem, vel mininum successum, hæc expeditio habuerit, vel in impedienda, dissipanda & intercipienda aurifera classe, vel in infestandis, capiendis & exspoliandis maritimis opidis & portubus; vel in cursu mercimoniorum rumpendo, & navibus onustis merce depredandis & adducendis; sicut fieri non potest, quin horum unum aut alterum successurum sit, præsertim si cuilibet subditorum quoque conceditur, ut possit jure repressaliarum honestam piraticam exercere contra hostes; letiferum vulnus Hispani intra breve tempus accepturi sunt. *Crebra, etiamsi modica aut levia damna momentum afferunt ad victoriam parandam*, vel ad minimum lacerant famam partæ per hostem victoriæ. Hispani per hoc bellum maxime incommodantur; excubiis continuis, in omnibus portubus, per tot dissita regna, vires opesque suas absumere; in perpetuo periculo esse, & ad omnem ventum timere irruptiones & inopinos assultus: mercaturas omittere, & millia impendia pati coguntur. Nullibi vero citius vincuntur, quam mari si confligunt: nullibi imbecilliores sunt, quam in Oceano; si vires eorum marinas, ut nunc sunt, cum Anglorum, Batavorum & cæterorum Septentrionis Principum marino robore comparamus. Non enim fortuna parem & coæqualem potentiam per mare, pro symmetria tantæ imperii per terram molis concessit; nec immensis per Orbem late diffusis viribus, marinæ & navales cor-

Bellum marinum quam necessarium & utile.

Tacit. lib. 4. hist.

correspondent, ut supra quoque dictum. Nihil est, quod Hispanis difficilius sumtuosiusque sit, quam potentem classem instruere; qua una perdita aut dissipata damnum sentiunt maius, quam si cladem solo accipiant. Nam terra citò exercitus formare, & militem imperare possunt, præsertim nunc majori parte Germaniæ, viris opulentæ, ad nutum & obsequium promta: sed mari, ubi eorum expeditiones sæpe numero infaustæ fuerunt, cum immenso sumtu & labore classes parant: ne dicam hispanos natura ad navalem militiam non factos, nec ea, qua cæteri Europæi in Septentrione sunt, præditos dexteritate, nec vel Aeoli, vel Neptuni furoribus ferendis assuetos, naviculatores expertos aliunde conquirunt.

Quod vero *bellum terra* gerendum, de quo inprimis quæstio est, attinet, considerandum occurrit, illud etiam *duplex* esse debere, *vel Directum* seu principale, *vel Diversivum*, ut ita dicam, & secundarium. *Directum* illud, quod gerendum est in ipsis Germaniæ visceribus, ubi fundamenta sunt hostis, ut supra dictum, unde calorem, unde alimenta sugit; ubi vincit citius & felicius cum majori nostro damno, & suo emolumento; ubi vincitur, cum certiori suo interitu & ruina; ut domus, columnis innexa, concidit his subversis; sic domus Austriacæ potentia, Principum ligistarum viribus & opibus subnixa, ruat necesse est, his attritis & victis. In *Germania* enim *hostes potiora sua robora*, & exercitum primarium, tanquam *invictam & perpetuam aciem*, *habent*, compositum ex Vnitis omnium ubique hostium viribus, Ligistarum, Imperatoris, Hispani, &, si opus est, Poloni. Ille in omnes partes excubat, ille instar cordis & Capitis est, qui calorem & fomentum diffundit ad reliquos, quos habent in aliis partibus subordinatos,

Bellum terra: duplex esse.

De bello Directo, ubi gerendum.

ut ita dicam, exercitus; qui membra sunt, & vel ex Hispani, vel Imperatoris viribus solis constant. at in hoc unita sunt, ut diximus, omnium hostium robora, ad hunc conservandum omnes contribuunt, in hoc sedem ac fundamentum rei bene gerendæ ponunt, ad hunc, tanquam tutum propugnaculum se recipiunt; hoc continent in metu suspectos, motus præveniunt & coercent; si aliquid in finibus nutat & turbat, si domi novarum rerum molitiones timentur, si amici & socii in periculo sunt, si auxilia petuntur: nutantia firmant, suspecta frenant, amica focillant, auxilia mittunt. Principes Ligistæ, & domus Austriaca ad huius exercitus conservationem, à quo omnem salutem & tutelam dependere norunt, tanto promtius & liberalius contribuunt, quanto maius periculum ipsis imminere norunt illo everso & deleto. Vbique enim, aliis etiam in locis hostis fortuna, robur & animi tum simul concidant necesse est; pecunias & viros imperare, & ad remota tuenda mittere impeditur: victor autem progredi potest ut lubuerit, & in Ligistarum terras late ingredi, ibique sedem belli, semper ulterius procedendo, figere; nullo resistere audente, nec vires tam cito recolligere valente. Quia plures ad conservandum hunc exercitum, quem ut *res secundæ continent, ita adversæ,* & una aliqua magna victoria, cito *dissolvent*, contribuunt; & uno aut altero obtrito & victo, reliqui attoniti & in domesticis protegendis satis occupati, haud poterunt tam promte conferre vires & opes, et se domi nudos præbere. At si hoc obtinere prætendimus, exercitui isti hostili & tam formidabili, opponendus est alius, paris potentiæ & auctoritatis, imo majoris; quia non tantum ad defendendum, sed etiam ad recuperanda amissa destinandus &

Tacit. in Agric.

com-

comparandus est. Hinc Ductor deligendus est: *De Directore deligendo.*

Non qui præcipiti rapiat simul omnia casu,
Sed qui maturo vel læta vel aspera rerum
Consilio momenta regens, nec tristibus impar,
Nec pro successu tumidus, spatiumque morandi,
Vincendique modum mutatis noscat habenis. (a)

Quod si nunc secundo loco cuncta examinamus, ponderatis temporis præsentis, & hodiernorum nostrorum Principum ac Regum conditionibus, virtutibus, & ingeniis, *duo* inprimis *digni considerandi* occurrunt, quibus huius belli directio & summum hujus exercitus imperium possit deferri: *Danus & Suecus.* Invidiæ plenum opus aggrederemur nunc, si comparationem vellemus instituere, & examinare uter præferendus sit; licet fortasse statim ab initio consultius fuisset Suecum delegisse, tum quia in parato habebat exercitum, nec opus erat cum tanto labore & difficultate conscribere, & poterat imparatos tum hostes ex improviso adoriri & opprimere: tum quia pro sua parte plus offerre & contribuere paratus erat, quam ullus alius Amicorum Regum; & primus consilia bene suscipiendarum & gerendarum rerum proposuerat: denique quia, quod maximum est, nulli Ordinum in Germania suspectus est propter privatæ rei studium aut controversiam. Sed cum Danus iam ultro in se susceperit, (Anglo festinum consensum & certas in aliquot menses pecunias pacto) atque cum exercitu instructo hanc curam exerceat, & spes sit accessuros inferioris Saxoniæ Principes, quorum maior pars tum delegit circuli Protectorem: *cum Platone acquiescendum est* & patientia & prudentia *oblata casu ad consilium flectenda.* (b) Nunc vero convenit, omnibus *In Dano Directore acquiescendum esse: quare & quomodo.*

(a) *Claud. de Bello Getico.* (b) *Liv. lib. 28.*

bus modis anniti, ut Dani exercitus non modo novis subinde supplementis, annona, pecunia sustentetur: sed etiam confederatorum & sociorum auxiliis & contributionibus in eam potentiam & numerum accrescat, *ut* ad devincendum hostilem exercitum, collatis signis de summa rei decertare potens sit, hoste nimirum se opportunum dante; egregia occasione data, & spe victoriæ certa. Inprimis danda opera est, ut tempore proximo veris, quoniam hoc anno quasi ad finem decurso, fieri amplius nequeat, prior in campum ducat & hostem præveniat, reparatis viribus & animis. Atque ut cuncta cum firmiori fulcimento fiant, & principia ea, cum calore & impetu suscepta, regentur tamen & emendentur in progressu cum consilio & provisu: et, *ut* huic *directioni* sua *constet autoritas* & vacillare nequeat, reliqui etiam qui in societatem trahendi confidentia impleantur animenturque, *duo necessaria* sunt. *Primo* ut certa formula, certis capitulis comprehensa, vulgò *Capitulationem* vocant, præscribatur, quam Danus, tanquam Director & Imperator belli, ceu regulam Lesbiam observare, & ex præscripto bellum, quæque illi adhærent, administrare stipuletur. *Secundum*, ut *Consilium formatum*, constans ex confidentioribus Confederatorum ministris, ut suprà dictum, cui auctoritas sit pro rei & temporis occasione, definire, decernere, & statuere absolutè, sine necessitate referendi ad Dominos, ubique & semper Dano præstò sit.

De monitis. Tertio, hic quædam *monita generalia*, & observatu haud indigna præmonenda ducimus operæ pretium: sed quæ non concernunt ipsius expeditionis labores, aut castrorum curam, & rei militaris executionem, aut propria sunt belli administrandi, nec quæ Ducis ipsius munia & partes tangunt:

gunt: illa enim nos monere posse aut intelligere haud præsumimus, nec præcepta sagatis & Paludatis *instar delíri Phormionis*, dare intendimus.

Primum monitum esto: celeritate summa, prudentia tamen admixta, *prorumpendum*, &, quovis modo, licet cum aliqua parva jactura & detrimento fiat, in hosticum agrum intrandum, & ibi sedem belli figendam, & utile esse, & necessarium; si velimus *bona spei portum* attingere, & ad Victoriam semitam ingredi. Propter duplicem rationem. Primò, augemus nostris & Amicis confidentiam, & adversariis minuimus. *Plus animi est inferenti periculum, quam propulsanti*: (a) in confusionem hostes, ut *fit in subitis, & inopinatis*, (b) coniicimus, & ad priorum consiliorum mutationem, quæ plerumque mutationem fortunæ affert, impellimus. Vidimus omnes illos pœnas gravissimas dedisse imprudentiæ, qui per modum defensionis solummodo belligerare volebant consultumque ducebant, vel veriti offendendo sibi interitum accelerare, & hostem in se exasperare; vel persuasi *in sinum de cœlo devolaturam Victoriam esse*. Et quid consequuti sunt hac moderatione exitiosa inter ancipitia? *militem ex otio insolentem*, in propriis & Amicorum visceribus ad sui exitium saginarunt, & se suosve consumserunt, atque ad cladem opportunos reddiderunt, hoste modestiam hanc pro ignavia reputante & castigante. Exempla possent adduci: sed odiosa sunt. Deinde, amicos conservamus, & illorum opibus bellum sustinemus. In Amicorum & nostris terris hærentes, nobis ipsis alas incidimus: milites etiam securitate, &, quia non in continuo procinctu, frangimus & emollimus, in hostico vigilantiores & excitatiores degunt, &

Primum monitum.

Cursus dem belli in hosticum transferri, utile & necessarium sit.

Livius lib. 7.

 pe-

(a) *Liv. lib. 28.* (b) *Vegetius 3. cap. 26.*

pericula pro consuetudine numerant. Videtur sanè, Danum tutò posse prorumpere, & per obstantes catervas in terras Ligistarum signa inferre; Nam licet à tergo relinquat quosdam, qui nunc vel impulsi metu, vel respectu Imperatoris moti, haud amici sunt; tamen eos posteà in hosticum progressus habebit faventes, vel ad minimum non hostes, & tales, qui vel fortuna successum prosperum largita, vel hoste ab eorum finibus, quibus imminet nunc, recedere coacto, palam accedent ad partes. Si ab initio statim progressus fuisset, & post se reliquisset Luneburgum, Brunsuicensem & alios Cæsaris devotos clientes; numquam eos aliter expertus esset, nisi amicos & fautores vel ex necessitate & ratione belli. At quoniam illos, tanquam scutum, ante se positos habere, & in eorum terris cum copiis hærere, tam diffidentes Dani viribus, experimentum fortitudinis nullum ausis, quam timere ab exercitu toties victore appropinquante, Cæsaris partes, vel inviti, sequi coacti fuerunt, quas nunquam suscepissent, nec suscipere ausi fuissent Dano, ante se tanquam muro, locato & militante: imò omnibus modis juvassent, ne repulso, in suis terris receptum quærere, vel armata manu, si negarent, ansam darent, & eo modo sibi bellum attraherent. *Media consilia in bellis plerumque infausta & exitiosa*; offendendo & statim invadendo defendere tutissimum est.

Liv. 32. & Tacit. 3. hist.

Secundum monitum.

Secundum monitum sit: Ne, quando in procinctu sumus, & certi de successu, nos sinamus circumveniri tractatibus, aut quibusvis aliis conditionibus, vel pacis vel induciarum, ad sistendam & eludendam nostram fortunam propositis & inventis. In hoc multum hactenus peccatum fuit ex nostra parte; pluria & majora vulnera nostræ

cre-

credulitati & vanis promissionibus auscultatis, quam bello & cladibus, debemus. *Frequentius conventionum pacisque simulatio credulis quàm arma nocuerunt.* (a) Habent hoc in more & indole Hispani, ut sicut *Hippomenes*, velocitate pedum cum *Atalanta decertans*; (b) in medio cursu pomum aureolum projecit, quo à puella improvidè levato moram & tempus nactus fuit præcurrendi & vincendi: sic isti ad sistendos suorum hostium progressus, in ipso belli calore pulcerrimas conditiones proponunt, ut iis auscultatis dementati occasiones agendi perdant, & in scopulos subsidant, similes iis qui Sirenum cantu assopiti fuerunt. *Audiri interdum posse*, & quidem cum duplici fructu *propositiones tales* & tractatus, haud abnuimus; tum ut pacificum nostrum animum in ipsa acie & armorum commixtione demonstremus, magnum devinciendæ plebis momentum: tum, ut inde hostis vel confidentiam, vel metum, vel intentionem cognoscamus. Cautè tamen auscultemus, ne militibus & Amicis nostris hoc contemplatis, malè opinandi, & diffidendi, quà nobis, quà rei successui, ansam præbeamus. Quem enim in procinctu & expeditione positum tractatus amplecti videmus, illum, vel timere, & de successu diuve continuando bello desperare; vel pœnitentia duci, quod arma induerit, inferioremque hostibus esse, vel simile aliquid, suspicamur. Quando vero necessitas vel ratio exposcit, ut suscipiamus tractatus, apud nostros caussa lateat, & hostem rebus suis in arcto positis, perutili prætextu affirmemus, & *concessa dissimulatione omnia lætiora fingamus*. *Sæpe quod falsò creditum est, veri vicem obtinet*, & impellit animos in metum & spem. Cum aliquando cuidam Duci in media acie & pugna

Quomodo gerere nos debeamus circa tractatus propositos.

Tacit. 3. hist.

(a) *Veget. lib. 3. cap. 3.* (b) *Ovid. lib. 10. Metam.*

per quendam incitato equo accurrentem, nunciatum esset, clam & in aures, exercitum & copias præmissas alia in parte victas & deletas, obfirmato animo & læto assumto vultu, detractum ex digito annulum magni pretii nuncio dono dedit, tanquam in signum bonorum evangeliorum, & ilico per omnem exercitum publicavit socios vicisse: hoc ita erexit in spem & fortitudinem suos, ut illo die acie vincerent. Sed postea infelicem nuntium suspendi jussit, quod hæc tristia in acie & conflictu nunciatum venisset, quæ divulgata militi timorem incutere potuissent, nisi Ducis prudentia & silentii impositio prævenisset.

Tertium monitum. *Tertium monitum* sit: *ab initio* huius belli egregii *aliquid audendum*, & totis viribus patrandum. Cum enim omnium oculos in se conversos habeat hæc expeditio, & spei apud amicos, metus apud hostes instrumentum sit, *prout initia belli provenient, famam in cætera fore* (a) credamus; & sicut *prima cesserint, sic erunt universa. Primis felicibus eventibus fiducia* apud Amicos *paratur*, (b) nutantes confirmantur, neutrarum partium attrahuntur: hostes verò in confusionem & metum coniiciuntur. Observandum tamen, ne facilè de rei summa certemus, aut in discrimen cuncta mittamus, nisi fortuna victoriæ meritò & infallibilibus indiciis præsumta. (c) Nam sicut in omnibus bellis cavendum est maxime, ne aciei temerè res committatur: sic cumprimis in bello, quod à pluribus geritur: una enim clades statim ad pœnitentiam adducit timidiores, & ad dissessionem desperationemque invitat imbecilliores, & periculo proximos. Sicuti post cladem Pragensem Vnitos Principes fecisse suprà diximus.

Quar-

(a) *Tacit. 2. hist. & in Agricol.* (b) *Idem ann. XII.*
(c) *Suet. cap. 25. & Sempronius apud Gelli Veget. 3. cap. 9. Livius 7.*

Quartum monitum sit; dandam operam esse, ut *bellum* non solum Vere & æstate geramus; sed *etiam hieme continuemus*, cum hostis in hiberna discessit & securior degit, nobis intra moenia & opida ad focum per frigus sedentibus. Interdum occasio fert, ut aliquid maximi momenti possit attentari & patrari cum majori felicitate in hieme aquis & fluminibus glacie concretis, quam æstate, modò miles sit vestibus munitus, quo durare possit contra aëris asperitatem. In eo Suecus admirandus & imitandus est, qui ex pellibus & crassioribus pannis vestes pro milite in parato habet, ut media etiam hieme, si occasio est, possit expeditionem suscipere & attentare aliquod facinus egregium. *Usitata*, maximè in bellis, *vilescunt; nova & non prævisa ac inopinata terrent.* (a) *Quartum monitum.*

Quintum monitum sit: pecuniæ, commeatus & annonæ *dispensationem providam*, & ad amussim exactam; *lustrationem* item & recensitionem militum crebrò institui, exerceri, & repeti; ac eum in finem Commissarii, perspecta fide, & juramenti vinculo obligati delegi debere, qui eius curam habeant. tum quotidiè velitationibus, excursionibus, pabulationibus, invasionibus, laboribus, exercitiis militem meliorem reddere, indurare, & animare, conveniens esse. Inprimis *disciplinam strictam, qua stabilimentum est belli, & ex cuius sinu omnes triumphi manant, in omnes exercendam esse: nulla indulgentia, nulla venia, delicta condonanda.* *Quintum monitum.* *Valer. lib. 2. cap. 7.*

Sextum monitum sit: exactiones contributionum terris devictis cum moderatione imponi, & in belli sumptus, non in prædam & luxum militum conferri debere. Archidamus apud Thucydidem ait, *non aliud terram hostium censendam, quam velut obsidem; idque eo magis, quo illa cultior.* *Sextum monitum.* *Lib. 2.*

Huic

(a) *Veget. 3. cap. 26.*

Huic parcendum esse ut plurimum, ne hostes in amentiam & desperationem redacti, difficiliores expugnatu reddantur.

Vltimum monitum. *Vltimum* monitum sit: *præventionem* in rebus omnibus utilissimam adhibendam esse in omni loco, in tempore, in re. Præveniendum esse consiliis, præparationibus, conatibus, assultibus, provocationibus, facto & opere, præveniendum composita præoccupatione & modo apud illos, quos hostis ad partes attrahere potest, aut ex hostibus reddere neutrarum partium.

Et hæc monita sufficiant; quibus *unum* adhuc *addemus*, tanquam mantissam: nempe *nullo modo*, licet videamus plæraque aliter evenire, quam nobis simus imaginati, nos debere nostræ intentionis *fundamentum mutare*, aut propositum semel susceptum derelinquere, quidquid etiam accidat. *Cicer. ad Lentul. ep. 9.* *Si recto portum tenere nequimus, id ipsum, mutata velificatione, vel obliquando sinus, assequi tentemus.* Quæ vero aliter succedunt, quam prævidimus, & nos vexant, *ad consilium* tamen *flectere*, & ad scopum præfixum detorquere annitamur, & *tanquam in* *Plato. de Rep. lib. 10.* *talorum jactu ad id quod cecidit res nostras aptemus, quo modocunque ratio id optimum ad finem nostrum esse dixerit.*

De bello Diversivo, quam necessarium & quanti momenti sit. Jam ad *bellum diversivum* quod attinet, omninò necessarium est ad rem benè gerendam, ut hostis non uno loco occupetur. Potentia enim eius tam magna est, & unita consiliis & animis; ut si non divertatur, nunquam uno in loco vinci & superari possit. Incendium, quamvis magnum una in parte urbis impositum extingui potest; vel saltem impediri, ne ulterius progrediatur: sed ubi diversis in partibus exsurgit, difficilius sopitur flamma exsuperante industriam & spem. Potentia unita separari coacta, opportuna est vinci.

Rex

Rex Alphonsus benè hoc novit, dum dixit, *Praventione & Diversione omnia bella confici.* Diversio autem ibi fieri debet, ubi hostis imbecillior, ubi citius debellatur, ubi facilior invasio & accessus, ubi spes est rebellionis & defectionis, ubi maximè premuntur parientes, & sub gravi iugo suspirant, ubi novi usurpatores ingressi & extorres restitui desiderant, ubi hostis alimenta belli habet, ubi vulnus in proprium corpus infligitur, & ad ipsa viscera penetrat. Hæc ita perpendentes, inveniemus nullibi feliciorem eiusmodi belli *diversionem* fieri posse, quàm *per Suecum in Silesia, & per Gaborem in Austria, Vngaria & Moravia.* *Guicc. lib. 1.*

Suecus domita jam & subacta Livonia in Lithuania vexilla victricia explicuit, & cum triumphanti exercitu in illis oris degit, sine magno impedimento aut remora potest in Silesiam ingredi. Ibi populus, Principes & Nobiles religionis protestantis sunt, & metuunt mutationem & oppressionem, qualem in vicinis & assitis provinciis intuiti sunt; ideo caussæ nostræ favent clam, mox metu remoto palam se conjuncturi. nomen Friderici in illis locis nondum planè extinctum, contermina Bohemia & Moravia propter jugum in omnem occasionem & spem libertatis nutatura; tot exules, clara nomina, quorum nec amor, nec memoria oblitterata, annisuri; summa, in quovis loco, in quovis opido, *in acie* & in præliis *manus nostras inveniemus.* Ex hac Diversione pluria bona consequemur: Primum illos, qui nunc *dominationi* Austriacæ *sanguinem accommodant*, tum pro nobis & Amicos futuros: quos si relinquimus eo statu, quo nunc sunt, hostes contra voluntatem manent, & nobis debellandis arma, vires, sumtus, sufficere coguntur inviti. Secundo, iis mediis, quæ hostis ex istis provinciis cogit, ad nos

Diversio per Suecum in Silesia, quanti ponderis sit. *Tacit. Agric.* *Ibid.*

nos oppugnandos, nos utemur ad eum oppugnandum. Denique Imperator, qui autoritate apud hostes primus, perdet autoritatem apud eos, quos autoritate sua continet in obsequio, tùm in suis, quàm in imperii terris, nec poterit amplius tantùm contribuere, nec tàm impensè curas suas intendere ad fovendum bellum in imperio, coactus sollicitudines rebus domesticis, & quæ propiùs tangunt, impendere & sibi domi vacare. Reliqui quoque Ligistæ animos perdent, videndo Imperatorem iterum de suo periclitari, & in proprio nido protegendum esse, magisque opus habere ope, quàm opem ferre posse. Imperia & jussa non habent tantum ponderis & valoris foris, cùm domi res in arcto & discrimine sunt. Quapropter allaborandum est, ut Confederatorum consilio, conditionibus honestis, Suecus emoveatur hanc expeditionem in se suscipiat. Simul etiam annitendum est, ut *eodem tempore Gabor arma assumat*, & in Austriam vel Moraviam cum exercitu descendat. Illa enim Diversio haud minoris effectus & ponderis erit, quàm illa iam memorata. Nam, ut rem paullò altiùs repetamus, experientia discimus & historia, motus in Vngaria, Austria & Orientalibus illis oris, fatales esse domui Austriacæ, & maximè formidandos. Centum abhinc annis ne latum quidem unguem Austriaci ibi promoverunt fines imperii sui, sed quasi semper repulsi fuerunt magno cum damno & sicut progressi sunt per Principum discordiam, in Germania & Italia; ita in Vngaria & Oriente multoties succubuerunt. Dampirii, Bucquei, & Negromontii, clarissimorum Ducum, *calenti sanguine stillantes clades*, & intra biennium duo de Bohemis & Germanis triumphantes exercitus ad internecionem deleti, testes sunt. Ab imperio pauca ha-

Diversio per Gaborem in Austria, & Moravia quanti momenti sit.

habet Imperator, si ipsius patrimonia & ditiones exhauriuntur & depopulantur, auctoritas, quam imperiale Diadema confert, statim concidet domesticis adminiculis non suffulta: illa verò collapsa, ipsa domus Austriacæ fundamenta, quæ in Germaniæ & dignitate cæsarea consistere sæpiùs iam dictum est, corruant necesse est. Porrò Cæsar bello domestico petitus, ex longinquo milites & Duces immenso ære conquirere propter dubiam domesticorum fidem, Germaniam, Boëmiam,& ea loca, quibus diffidit,nudare præsidiis, in proprio, cum subditorum exitio magnum & potentem exercitum alere, et bellum intestinum gerere cogitur. Vbicunque hosti damnum infert, sibi nocet, et se suosque destruit, dum affligit alios, ipsa denique *victoria, calamitas & funus est.* Ad hæc in illis locis facilis est hosti aditus, & quia campi, rarioresque urbes munitæ, Vngari, & qui equitatu prævalent, repentino decursu totas regiones depopulari possunt. Periculum etiam majus & certius pro Austriacis, quia uno momento, & uno prælio obtento integri alicuius regni, aut provinciæ perditio & eversio timenda est. Oppressi ibi, & liberiori freno olim recti nisi aliud, quàm liberationem à jugo expetunt, ipsi admoturi manus spe aliqua affulgente, & amicorum armis appropinquantibus. Licet Vngari impetu plus valeant, quam morâ, & ad expugnandas ad defendendas urbes haud sint ita proprii; continuis tamen assultibus & incursionibus hostiles exercitus atterunt, hostique nocent: qui perpetuis excubiis & in procinctu semper stando seipsum pedetentim consumit. Nec eques nec pedes illos lacessentes & repentinos assultus defatigationesque, benè sustinet: & hoc est, quod Imperatoris milites & Duces ab hoc bel-

Cicer. IV. ep. famil. ep. 9.

lo abhorrere facit, vestigiis priorum ibi cæsorum Ducum & exercituum territi. Ex his quis non videt, has expeditiones sub tantis tamque timendis belli Imperatoribus, Sueco, & Gabore susceptas ad rei summam summa conferre, quæ eò majorem terrorem incutient, & effectum habituri sunt, quia utriusque exercitus se coniungere possunt, & alter in alterius auxilium properare, si occasio & necessitas flagitat. Bellum illud in imperio, quod Directum indigitavimus, certiori successu & celeriori victoria conficietur, & quasi sine conflictu ibi debellabitur. Cogetur enim Imperator revocare omnes suas vires & legiones, quas in exercitu Ligistarum vigore pactorum alere tenetur. Qui in extinguendo propriæ domus incendio occupatur, aliis ignem immittere nequit. At hæ expeditiones iam memoratæ haud sunt paratu difficiles: modò confederati vellent seriò cogitare, vel de quibusdam sumtibus & subsidiis conferendis, vel de eiusmodi conditionibus proponendis & concedendis, quibus Suecus & Gabor, cum ratione & fundamento inniti & commoveri possint ad suscipienda hæc bella. Vt verò suis sumtibus, & sine aliquo adminiculo, aut reciproca stipulatione & promissione, cuncta onera soli subeant, æquum haud est. De utriusque verò egregiâ intentione & proclivi promtoque animo, innumeris & luculentis indiciis constat, eosque paratos esse, & expectare occasionem aggrediundi opus, modò ex nostra parte quoque fiant ea, quæ fieri par est.

Quomodo Sueco portus & tuta statio

Vnum dumtaxat movet considerationem, *quomodo Sueco possit procurari portus* & tuta statio, militibus exponendis, tormentis, commeatu, & quæ alia bello sunt necessaria devehendis & recondendis ad usum & necessitatem. Oportet ut hoc sit

in

in una ex his tribus regionibus, vel in Pomerania, vel in Borussia, vel in ducatu Megapolitano; Vbi certum portum ac opidum habeat, ad exscensionem & receptum, aditum & reditum, quod præsidiis durante hac expeditione firmet, navibus custodiendis; & securitatis, redeundi, annonæ & necessariarum rerum recipiendarum caussa. At Principes, istarum ditionum domini, licet Amici sint, tamen respectu & metu Imperatoris, & quia timent, in propria viscera attrahere bellum, & sibi culpam imputandam iri, quod contra leges imperiales extero transitum viamque aperuerint, non audent concedere adpulsum nec transitum; minùs stationem & portum, præsidiis custodiendum, pro receptu assignare. Articulis confederationis huic rei prospici posset, & caveri, ut quilibet Confederatorum teneatur sociis fœderatis, & eorum militibus transitum per sua territoria permittere, & receptum refugiumque concedere: sed an isti Principes ingressuri sint in fœdus statim, aut quando, incertum est. at si quid fieri debet, oportet ut fiat celeriter tempore jam opportuno, aliàs tardum erit & post festum. Igitur alia via ineunda; fortassis hæc, quam deliberandam proponimus. Suecus ad eum Principem, in cuius territoriis exscendere commodum judicat, confidentem ministrum, sub prætextu aliarum rerum mittat, & requirat de portu & receptu tali & tali: & quoniam sciat respectu Imperatoris illum Principem vix assentiri audere, tamen de eius optima intentione & publicum bonum promovendi Zelo, haud dubitet, rogare connivere saltem velit, ut simulata vi in hunc vel illum portum exscendat, & naves reliquaque necessaria asservet. Sic Principem apud Imperatorem excusatum fore, quòd non consensu eius, sed vi, in- *sit procuranda.*

gressus sit exercitus. Ad hæc: Anglus, Batavi & alii per confidentem item ministrum (literis tàm benè res agi vix poterit) idem petant cum assecuratione addita, hoc absque præjudicio futurum, nihilque aliud intendi, quàm ad tempus transitum & stationem: finita hac expeditione, cum magna gratiarum actione omnia restituenda iri. Ipso momento quo fit hæc requisitio, exercitus adpellat consultum est: hoc enim faciet Principem tantò faciliorem ad consensum, & colorem dabit ad prætextum palliandum.

Quatuor itinera, quibus Suecus potest progredi.

Serenissimus Rex Sueciæ ipse iam pro sua prudentia & magnanimitate ponderavit & examinavit omnia *itinera*, (a) quibus posset cum exercitu progredi, & invenit *quatuor*, quæ in deliberationem cadere queunt. *Vnum* ad Visurgim, per Westphaliam in Hassiam & Palatinatum. *Alterum* ad Albim per Saxoniam in Bohemiam. *Tertium* ad Oderam per Pomeraniam & Marchiam: *Quartum* per Cassubiam & Poloniam, utrumque in Silesiam. Pro primo, Bremam pro portu esse eligendam & tradendam. Pro secundo Wismariam aut alium portum in maris Balthici litore; & à Principibus, per quorum territoria exercitus transire necesse habet, impetrandum liberum transitum, & commeatus prospectionem. At duo illa itinera Daniæ Regi commodiora esse, & quia in illis locis jam cum exercitu hic degat, haud videri è re & usu esse, ut duo magni exercitus tàm propinquo itinere, tàm propter annonæ defectum, quàm propter regionum consumtionem devitandam, progrediantur. Pro tertio itinere eligendum & tradendum pro portu Stetinium; sed, quoniam iter longo terrarum spatio per Marchiam

(a) *Vide Resolutiones datas Legatis Danito & Brandenburgico 10 Mai. 1625. Stokholmii.*

chiam instituendum sit, fore, ut ditiones illæ atterantur, & sedes belli iis attrahatur. Vltimum, non tàm magnis difficultatibus obnoxium esse, ut sint illa priora. per illud etiam Marchiam Pomeraniam, totamque illam Germaniæ partem viciniam metu & periculo incursionis liberari, converso Polono ad sui tuitionem. Illam quoque expeditionem posse suscipi sub prætextu belli Sueco-Polonici, ut nihil inde periculi in cæteros Principes, ac ne fama emanet, priusquam actu ipso in Silesiam perventum fuerit. Portum autem in Cassubia tùm obtinendum esse; progressum deinde haud difficilem futurum, nec Polonum nimis impedire posse, maximè Gabore & aliis circum annitentibus.

Restat adhuc alia *diversio* non minùs necessaria, quàm illæ priores; nempe in *Belgio*. Batavorum exercitus in promtu & parato sit, ante omnia requiritur, qui intra cancellos contineat exercitum hispanicum sub ductu Spinolæ militantem, ne is in Germaniam progredi possit; sed, vel occupetur & detineatur per Batavorum exercitum in campos eductum, & in procinctu constitutum; vel si ille egreditur limites, hic statim sequatur & premat continuis itineribus. Sed de hoc solliciti esse haud debemus, cùm Batavi semper paratum instructumque habeant exercitum, & ex lege necessitatis habere cogantur, lubentissimè omnes vires & opes huc contributuri & accommodaturi, modò reliqua, ita instruantur, & exsecutioni mandentur, ut suprà dictum.

Diversio ex bello in Belgio.

Alia quoque *Diversio in Insubria* ex bello Sabaudico speranda est, magnum rei gerendæ momentum allatura, si continuatur. At procul dubio si Sabaudus & Gallus viderint apparatus & fundamenta belli ex nostrâ parte, in spem felicis suc-

Diversio ex bello Sabaudico.

cessus erecti & nostris precibus, utque aliquid etiam pro caussa communi in hac generali conjunctione fecisse videantur, moti, procul dubio continuabunt.

Diversionem ex irruptione in Alsatiam per Gallum optandam esse.

Si à *Gallo* posset impetrari, ut sicuti spem fecerat, *in Alsatiam* cum exercitu, quem in finibus regni sui sub ductu Ducis Angulemi sustentare cogitur ad tuendos limites propter metum irruptionis à militibus per Alsatiam in Vallem Telinam continuò euntibus timendæ, irumperet, magnum sanè momentum rei accederet. Helvetii enim in vicinia vires conjungerent, Badensis Marchio, & Wirtenbergicus, & alii Amici Principes haud possent, quin occasionem arriperent, ille patrem restituendi, hi caussam publicam adjuvandi. Sed ex multis caussis hoc à Gallo rebus præsentibus haud obtinetur: tandem tamen necessitate, *crinibus*, ut proverbio dicitur, *attractus*, compelletur, ut iis in partibus bellum moveat, serò nimis præteritam occasionem lamentaturus.

Quomodo res sint hodie inter Hispanum & Gallum.

Nam *res inter Gallum & Hispanum* eò extremitatis iam pervenerunt, ut suspecta amicitia, & magis ac magis gliscens per continuationem belli in Italia, odium, mox in apertum bellum sit eruptura. Hispanus nunquam condonabit Gallo, quidquid iam simulet, quam fomitem & sustentaculum novit bellorum in Insubria & Valle Telina. Odii in Hispanum, vel etiam timoris odio permixti signa & declarationes Gallus quotidiè ostendit: inter quæ illud haud minimum, quod denuò magnas auxiliares copias Sabaudo mittat, & Genuensium bona per totam Galliam annotare curet. Ex parte Hispani multa iam facta sunt, fiuntque, quæ Gallos incendunt ad odia, & bella; aliquoties cæsis horum in Valle Telina & Insubria copiis auxiliaribus & indignissimè captivis tractatis.

Ca-

Cæsar etiam se aperte Protectorem feudorum in Italia Mediolani & Genuæ profitetur, eum in finem exercitum in imperio pro Hispano, cum expressa declaratione contra invasores & oppugnatores istorum feudorum esse, conscribi permisit; ne dicam jam exigere, ut reliqui Principes in Germania ad conservationem & tuitionem istorum feudorum contribuant. Annon Gallus per hoc latus petitur? annon hi gradus sunt ad rupturam & bellum? At si Gallus cum Hispano armis rem gerere, & aperto bello petere necesse habet, Imperator & Hispanus per Alsatiam, in agrum Metensem olim ab imperio avulsum, & in Campaniam, opportunam ad irruptionem, & per quam aditus liber & planus ad ipsa regni penetralia patet irrumpent, nullibi felicius sedem belli contra Gallum fixuri, quàm in dictis locis. tùm Gallus, si in suo regno nolit oppugnari, cogetur bellum in Alsatiam transferre, pœnitentia nimis sera præclaras occasiones præveniendi, & cum effectu suoque emolumento rem agendi neglectas deflebit. Nùnc Principes in vicinia amicos & clàm faventes habet: at si expectat, usque dum conventu imperiali per majora obligentur ad contributionem tuendorum in Italia feudorum, quod nunc Imperator prætendit: habebit contrarios & hostes.

Cur necesse sit, omnia bella simul eodem tempore geri.

Coronidis loco hoc notandum, *hæc bella* & expeditiones, de quibus hactenus disseruimus, omnes *simul eodem tempore*, *gerendas* esse, & nullatenus differendas, nec una post aliam aggrediunda. Si enim hosti tempus conceditur vires suas adunare & copias exercitusque suos in unum colligere; quamlibet ex istis expeditionibus subitò conterere & debellare valebit, & deinde victor obviam ire alii, & sic unam post alteram delere, & plenis velis ad portum dominationis universæ con-

contendere. Annon hactenus cum exitio nostro, experti sumus, quod nostras expeditiones vel ante, vel post festum susceperimus? Cum Batavi inducias haberent,& bellum cum Venetis in Istria finitum esset, cæpimus in Bohemia bellum: cum Batavi arma resumerent, Principes uniti ab Vnione discedentes pacem exitiosis conditionibus pacti sunt. Deinde cum Gabor quiesceret, nos iterum arma cepimus: sed totis coniunctis hostium viribus momento temporis victi fuimus, Palatinatu & aliis ditionibus in prædam cessis. Cum Gabor arma iterum sumeret, nos vel destituti mediis, vel induciis per octodecim menses ab Anglo pactis quievimus. Sabaudus & Gallus, postquam nos victi fueramus, & hostis res in Germania florentes erant, arma in Italia moverunt; sapientius & rebus suis melius consuluissent, si occasiones præteritas arripuissent in tempore, hoste viribus distracto & nondum tam potente. Si magnum flumen, aut torrentem, quibus vel aliunde vel à pluvia continua jugiter incrementum accedit, diverticulis exhaurire, & exsiccare velis, oportet ut simul & eodem tempore diverticula fodiantur & adhibeantur: unum tardè exhaurit, vel nunquam.

CAPVT TERTIVM.

De finiendo bello. Atque hæc hactenus de bello gerendo: restat *Vltimum Caput* de finiendo, quod paucis absolvetur. Vt in prioribus duobus capitibus in suscipiendo & gerendo bello ante omnia consilia requiruntur, & prudens rerum consideratio & administratio; sic maximè in finiendo bello consiliis opus est. *Post bellum* vel *Victoria est*, *vel Clades*. *Victoria duplex.* *Victoria duplex*, vel talis, quæ leges præscribere & imperare potest devictis: vel talis, qua res in eum sta-

statum collocantur, ut extorquere possimus aequas ab hoste conditiones. Illa optanda est; vix speranda: hanc, propitii Numinis favore, solida inter nos animorum & virium conjunctione, & prudenti belli administratione, speramus & praesumimus. Hoc facto occurrunt tractatus, quibus omnia bella finiuntur, & pax constituitur.

Tractatus in omni bello *duplices sunt*, *vel suspensionis armorum*, seu induciarum sive ad longum, sive ad breve tempus: *vel Pacis*, conditionibus utrinque pactis. In utrisque cautè agamus oportet. *Tractatus duplices.* In primo hanc cautelam observemus, ut perrarò, imò nunquam, praesertim si confederatio solida conclusa est, & diversis in locis bellum per socios fit, consentiamus in inducias. Res nostrae ita comparatae sunt, ut mora dilabatur miles, & omnia deteriora tempus faciat. Confederati etiam languescendi occasionem accipiunt, & securiores fiunt: hostis verò ex mora infinita commoda percipit, ut saepius dictum: ne dicam de aliis ex induciis imprudenter pactis orientibus, & bellum quod à pluribus geritur dissolventibus malis. *Quae observandum in tractatibus induciarum.* *In* altero, nempe *pacis tractatu*, *duo observanda* sunt. *Primum*, ut fiat sub clypeo, (*sub hac enim melius fuci cedere pacis negotium*, (a) proverbio dicimus) & nunquam armis depositis, licet fortunae simus inferiores & res nostrae inclinent. Secundò, ut fiat citò, quamvis *fortuna arrideat*, quae *vitrea est*, *cum maximè splendet, frangitur*; (b) ne hosti tempus demus, aut nos, vani tractatus mora, & dolo inventis Comperendinationis nassa irretire & ludificari patiamur. *Quid in tractatibus Pacis agendum & observandum.* Tempus enim, ut diximus, hosti mille commoda affert; illo mutato, mutatur statim, & *quacunque ventus in alto est, exin velum vertit*; non ad prio- *Plaut.*

(a) *Publ. mimus.* (b) *Publ. Syrus.*

priora mentem, sed ad ultima deflectit, nec quid obtulerit, aut petierit, sed quid sibi utile sit, meminit. Sicut Sibylla apud Poëtas, Cerberum projecta *medicatis frugibus offa* assopivit, ut Aeneas poterat penetrare ad campos Elysios sedesque beatas: sic Hispani, nobis sopiendis & excaecandis projiciunt tractatus, ut ad nostras terras possint progredi, & occulto tramite nostri eversionem procurare: *vim differunt*, ubi vi conficere nequeunt: *dolum* & tractatus *potiores judicant*. (a) Si victores existimus, utile est statim componere conditionibus aequis, ne hostem iis negatis ad desperationem accendamus, aut dilatis tempus concedamus reparandi vires: ne etiam, ut fieri solet, *res secundae nos negligentiores reddant*, (b) & *per fiduciam damnum accipiamus*. (c) Itaque ut geramus nos modestè, urgeamus ac instemus, si offeruntur, aut impetrari possunt conditiones, quibus tutò acquiescere possimus, consultum est. Facilè dissensio oritur inter plures, si conditionibus aequis pax fieri potest, & fieri negligitur: nam minorum gentium Federati citò ad poenitentiam provocantur, & suspicantur potentiores, non publica sed sua emolumenta spectare, & in aqua turbida piscari, & sua commoda amplificare studere. Minores enim, maximè Respae. in Germania, si *securi* sunt, *de salute, de gloria decertare* nolent, si sua obtinuerunt, dulcedine quietis, & ut contributionibus bellique sumtibus exonerentur, proni propendent ad quamvis commodam pacem acceptandam: si non fit, irritantur, & in varias suspiciones coniiciuntur. Exemplum Mauritii Electoris imitandum est, qui, statim ac Carolum V. Imperatorem ex imperio profligarat, & conditioni-

Virgil. libr. 6.

Cur in Victoria consultum cito componere.

Vide Sleidan.

(a) *Tacit. 12. Annal.* (b) *Liv. lib. 21.* (c) *Tacitus in Agric.*

nibus tutis pacem imperio restituere, Principes captivos in libertatem reponere, religionis exercitium liberum stabilire, & Ordinibus de securitate cavere, poterat, ilicò cum summa celeritate res composuit, & pacem pepigit. Intereà tamen, quamvis in tractatu simus, nihilominus tamen progrediamur armis, quantum possumus, donec conclusa perfectaque pax sit; & felices successus felicibus successibus augeamus, quibus reddemus pacis conditiones non modo non pejores, sed meliores, faciliusque hostem ad promtam conclusionem perpellemus.

Iam *in Clade*: illa vel est *prævisa vel accepta*: Si prævidemus, videndum sit, vel conditionibus, licet duriusculis in tempus pactis, vel alio quovis modo, eam præveniamus & impediamus. Si accepimus Cladem, non desperandum, quia media prævisa, nec *unius prælii eventu aut lapsu summæ rei diffidamus*: novi statim dilectus institui, nova quæri auxilia; ex clade superstites recolligi, præsidia evocari, castella adversus moras obsidionis copiis firmari, munitis locis, usque dum collectis viribus, & justo exercitu instructi in hostis conspectum iterum progredi audeamus; & quæ restant conservari, & defendi debent; *erectos & fidentes animi nos ostendamus*, *vires acres esse, si desperemus*. Cum in tot diversis partibus exercitus sociorum bella gerunt, vix fieri potest, ut una clades affligat totam caussam: tempus ad minimum restat reparandi vires nostras, dum socii occupant hostium alibi. Quod si recollectis viribus, & resumtis animis in campum iterum procedimus, & hosti nos conspiciendos reddimus; terribiliores erimus, quam antea. Nihil est quod magis exsternat hostem, quàm constantia & annisus, & cum *fortes & strenuos insistere spei* videt *contra Fortunam*: nec

Quid in Clade faciendum.

Egesipp. IV. cap. 2.

Tacit. 3. hist. & 4. Annal.

Tacit. 2 histor.

nec frangi adversis, sed instar palmæ obniti, & accendi in audaciam.

Silicus Italic. libr. 1. *Est fractis rebus violentior ultima virtus.* Hoc hostem invitat ad conditiones pacis citius dandas: qui victoriam & gloriam partam exponere fortunæ, & res suas prosperas sæpius in discrimen mittere, haud tutum esse judicare potest, cum sciat *Egesip. cap. 2. lib. 4.* *exiguis momentis subito inclinari omnia quæ in bello geruntur*, & neminem se *tute diu periculis temerè libris offerre posse.* (a) Observemus verò hoc cautelæ loco, ut numquam de pace tractemus, aut conditiones paciscamur, nisi recollectis viribus, & armis iterum accincti, alias conditiones, conditiones non erunt, sed leges insolentes & duræ à Victore scriptæ.

FINIS.

SYNOPSIS.

Materiem & scopum esse; quæ consideranda, observanda & exsequenda sint, ut bellum contra oppressores libertatis Europæ, pro restitutione collapsarum rerum, felicem certumque habeat successum. Tribus capitibus generalibus omnia comprehendi, primò quæ in Suscipiendo, secundo quæ in Gerendo, Tertiò, quæ in Finiendo bello requirantur, agenda.

PRIMVM CAPVT.

In suscipiendo; primum esse requisitum, Causæ justitiam eius vis & efficacia ostensa: in quibus consistat, in thesi primo, deinde in hypothesi dicitur; justum non solum sed & necessarium hoc bellum esse: scopum vero, ad quem collimet, honestum, utilem, gloriosum, nempe Pacem & Quietem Europæ, unoquoque ad sua restituto.

Se-

(a) *Senec. Hercul. Furent.*

Secundum requisitum esse, examinare & nôscere hostis tum Ingenium, & mores: tum potentiam & vires: tum consilia & intentionem. Hostem verò duplicem; vel qui regatur, vel qui regat; illum; omnes Principes in Germania, Italia & alibi, exceptis Gallo, Venetis, Sabaudo: hunc, Hispanos esse, de his potius, quam de illis, quibus nihil nisi obsequii gloria relicta sit, dicendum. Ingenium, mores & natura Hispanorum describitur vivis coloribus: tum qualis & quanta sit domus Austriacæ potentia; tam in se, possessione tot regnorum, imperiali dignitate in sua domo, tot felicibus progressibus & victoriis, in primis æterno consilio & fixo, stabilitam, &, quod maximum, ab uno solo capite dependentem; quam accessione & coniunctione, omnium Principum & Regum pontificiorum, exceptis tribus illis supra nominatis; imò ipsius Papæ & collegii Cardinalis obsequio. Duo autem notanda, primò potentiam dispersam; deinde vires marinas haud conformes esse terrestribus. Denique qualis sit hostis intentio, consilia & scopus, nempe universalis dominationis & Monarchiæ prætensio, demonstratur; simul etiam, non nisi domita Germania ad Monarchiam ascendere posse, propterea tantis animis ibi continuare bellum, finiendum cum Galliæ & Angliæ regibus. Ostenditur quoque quantum periculi immineat reliquis Europeis Principibus, eversa Germaniæ libertate, communi omnium libertatum propugnaculo, & quantum inde hosti accedat potentiæ & commodi.

Tertium requisitum esse, expendere vires proprias, procul & iuxta sitas circumspicere, & fundamentum ponere rei gerendæ in societate virium. Nullum enim Principem in se solum, tanti belli onus contra tantum hostem tuto sucipere, nec sustinere posse. Britanni & Galli vires examinantur, hunc terrestri robore potentem, sed non æquare hostis robur: nec mari quicquam posse: illum mari valere, & hosti æquiparandum marina;

po-

potentia, ut hodie res sint; sed terrestri parum posse. Vtroque autem opus esse bello, mari, & inprimis terra, gerendo: quoniam unius vires haud sufficiant, coadunandos esse, & Confederationem offensivam & defensivam percutiendam: Discordiam Principum in imperio, & cæcam quietem cæterorum Regum res hactenus afflixisse; non nisi concordia & Vnione restabilire posse: quæ quanti momenti sit, paucis dicitur.

Duum generum esse socios, qui ad Confederationem possint invitari: alios, qui non nisi clam aliquid acturi, & vix palam nomen in fœdus daturi sint; alii, qui paris religionis, animi & voluntatis sint. è priorum numero Gallum esse; rationes afferuntur, quare in hoc fœdus aperte non possit nec velit intrare. Quid tamen à Gallo commodi & utilitatis habere possimus, & quomodo nos erga eum gerere debeamus, monstratur. Sine eo fœdus fieri posse; ideo non omittendam coniunctionem, nec desperandam, licet ille ingredi nolit, cum secundi generis Vnionem icendam, in illis fundamentum solidum & verum esse.

De Confederatione, tanquam fundamento, differitur: primò quid agendum & quæ via tenenda, ut ad illius conclusionem certò & citò perveniatur: secundo qualis esse debeat, & quibus articulis formanda. Ad primum, ut certo duplicis esse considerationis socios, alios qui nullo metu retineantur, ut Anglum, Suecum, Danum, Batavos, Gaborem: alios, qui non audeant, ut Principes Germaniæ bonarum partium: illos convenire posse, hos ne quidem hiscere audere. Hactenus per Anglum & Gallum tentatum, quomodo hi possent conjungi; sed frustra; tam quod singulares expeditiones in paucos menses pactæ erant; tum quod nullus se Caput & auctorem constituere, nec aperte nomen accommodare voluerit. In Germania res ita comparatas, ut Catholici Ordines omnes, in quovis motu, Cæsaris & Hispani, partes sequantur, & hi se Caput illorum declarent: Protestan-

stantes vero Caput non habere, & in se eorum potentiam non multum posse contra Ligistas & domum Austriacam: accessione & conjunctione Galli, Angli, Batavorum aliquid posse. Vltimam Vnionem Principum nonnisi horum fulcro substitisse; per se parum potuisse. In eo maximè peccatum, quod nullus se apertè Caput vel autorem profiteri voluerit: sub manu acta omnia esse: hoc quam noxium fuerit Reipæ. deducitur. Hispanos & domum Austriacam prudentioribus uti consiliis; res suorum maiori cura defendere, quam proprias, statimque & ab initio palam se profiteri defensores quasique directe petantur, interpretari: nuper ita hispanum fecisse pro Genuensibus, & Imperatorem pro Principibus Germaniæ. Cur bellum in Insubria primum felicem, post haud ita lætum successum habuerit, ostenditur: simul etiam quid Principes in imperio deterruerit, & adhuc deterreat, cur se non possint hostes aperte declarare & arma capessere. Si debeant hoc facere, necesse esse, ut Reges, qui caussam communem restitutam velint, se manifestè declarent pro illis, & autores belli, apertosque hostes hosti, se profiteantur: sed requirit tamen, ut ipsi prius se coniungant invicem; unius enim viribus, uno anno, uno exercitu rem hanc haud confici posse. Deinde ut conveniatur expresse, pro libertate Germaniæ & restituendis læsis inter eos fœdus ictum. Denique ut potentissimus exercitus sub ductu Imperatoris regia dignitate conspicui nomine confederatorum recta in Germaniam contendat in terras hostis; tum declaratione publica intentionem explicandam, & Principes hortandos esse.

Vt vero cito & absque cunctatione confederatio fiat, requiri, ut Britannus, ad quem cæteri omnes respiciant, cum Batavis fœdus concludat certis legibus & articulis, quibus reliqui possint subscribere: tabulas fœderis mittat ad socios & eos invitet ad intrandum. Articulos vero ita concipiendos esse, ut sub publico, etiam in specie, con-

consulatur singulorum saluti. Primò declarandum esse Confederationem defensivam & offensivam conclusam, esse in aliquot annos, & finem esse, ut unicuique suum reddatur. Secundo, non esse initam ad innocentis & sincere quiescentis læsionem. Tertio declarandum, quid Angli ex sua parte, & Batavi ex alia sint facturi tam mari, quam terra; & ita cæteros stipulari debere, quemlibet pro modulo suarum virium. Interea Anglos & Batavos debere progredi: si reliqui accesserint, tum majoribus viribus rem agendam esse. Vltimo declarandum, quis aut quomodo sit belli Director eligendus. Quoniam vero accidat, ut in Vnione plurium rebus male cedentibus, singuli saluti suæ consulant & ab Vnione discedant; socio & Republica in discrimine relicto, ut post cladem Pragensem factum: necesse esse ut juramento se obligent Confederati nullo pacto recessuros à societatè.

Vltimum requisitum, Consiliorum constitutionem: hac occasione de forma & facie consiliorum apud hispanos disseritur; tum qualis apud nos sit describitur; simul etiam quæ mala, præsagia ruinæ, oriantur à nulla vel mala consiliorum administratione. Consilia autem requiri tam in suscipiendo quam in gerendo & finiendo bello: duobus capitibus ea includi, primo deliberandum esse tam de domestica sui defensione, quam de necessitate & mediis continuandi belli, seu de apparatibus: Secundo, sine ulteriori dilatione bellum suscipiendum.

Ad defensionem sui requiri, Milites, & Munimenta: quod ad illos; paucos mercenarios quemlibet sociorum habere debere, ad invasiones sustinendas & fines tutandos: subditos etiam armandos & parandos esse eum in finem. quod ad hæc; munitiora & opportuniora loca providenda esse; non autem omnia; sed pauca, quæ præsidium & tutela ditionis sint. Media autem duratura ad bellum continuandum in parato habenda esse, ut possint vires recolligi, si semel atque iterum succum-

bi-

bitur: illa consistere in supplementis seu militibus: in armis, in annona; in Pecunia. Milites: quemlibet sociorum suum numerum, vel tantum pecuniæ debere in parato habere & ad bellum mittere, & subinde pro supplementis dilectus novos instituere in decedentium locum: hæc tamen de militibus conscribendis rectius permitti Directoris belli arbitrio. Arma: armamentaria sua recensere socios debere, vetera reformare, nova arma comparare non modo ad sui usum solum, sed etiam in auxilium aliorum: equos quoque ad devehendum exercitus fœderati tormenta habere in parato. Annona: provisionem quemlibet in suo territorio, & commeatum facere necesse habere. Pecuniæ: eius vis primo ostensa, & quantum mali afferat defectus; deinde, quemlibet sociorum supputato suorum proventuum calculo, ad suam portionem singulis mensibus solvendam certa fundamenta ponere debere; & quidem statim, ut etiam anticipare possit: nummos in nobiliora versuræ loca deponendos esse: spe spoliorum & contributionum bellum non sustineri.

Secundo, quare celeriter bellum suscipiendum sit, dicitur; moram multum damni nobis, hosti verò emolumentum attulisse; momenta rerum non esse negligenda: hostem opportunum esse, potentiam ipsius nondum in imperio stabilitam; imperium invisum, fortunam ad summum rotæ perductam & ægre consistentem.

SECVNDVM CAPVT.

Quæ in gerendo bello consideranda sint: iterum remonstratur quantum damnum nobis, quantum vero emolumentum Hispanis contatio hactenus attulerit & afferat quotidie. Ad evitanda cuncta incommoda ex moris, & alias in bello orientia, eligendum esse Directorem belli cum absoluto imperio: consilium tamen formatum ei adiungendum. Vnum ex difficillimis es-

se

se electionem Imperatoris propter æmulationem inter pares. Considerandum:

Primo, bellum duplex esse, unum mari, alterum & præcipuum terra gerendum: quod ad illud; rem carere difficultate, cum Anglus possit Thalassiarcham præficere, quem voluerit, nemine non contento: in occasione dicitur; quantum hoc bellum conducat ad rei summam, & quam necessarium sit: quod ad hoc, iterum duplex esse, vel Directum seu principale; vel Diversivum & secundarium, De Directo: illud in ipsis Germaniæ visceribus gerendum, quia hostes potiora sua robora ibi habeant; & Imperator, Hispanus & Ligæ Principes exercitum continuum alant conjunctis viribus: illum formidabilem esse, & continere junctam hostium potentiam; illo deleto ad cætera etiam Victoriam extendi. huic exercitui opponendum esse alium, paris autoritatis & potentiæ, imo majoris; (quia amissa recuperanda sint) & Ductorem esse præficiendum.

Secundo, duos dignos inprimis occurrere Ductores huius belli, Danum & Suecum. Non opus esse comparationem instituere, quis præferri debeat: Danum iam ultro suscepisse hanc curam, & exercitum jam habere, Anglo consensum & pecunias stipulato. Nihil aliud requiri quam ut Dani exercitus sustentetur, & in eam potentiam excrescat, ut alterum istum devincere queat; & illa prior sit in procinctu verno tempore. Dano tamen: Capitulationem, ad cuius normam bellum administret, præscribendam, & observandam; consilium quoque formatum ex confidentibus sociorum ministris adjungendum esse.

Tertio: monita quædam generalia observanda esse: Primum monitum: prorumpendum in hosticum, & ibi sedem belli figendam, & utile esse & necessarium, ob caussas, ibi allegatas. Videri Danum tuto posse hoc tentare. Secundum monitum: nos non debere pati, ut circumventione tractatuum suffaminetur, aut eludatur

tur

tur propositum, & divertatur cursus. Audiri interdum posse eiusmodi tractatus, ob duas rationes; tamen caute & caussam latere debere. Tertium monitum: ab initio aliquid egregii patrandum esse: prout prima cesserint, sic fore universa & primis eventibus felicibus fiduciam apud Amicos, metum apud hostes parari: non facile tamen rem in discrimen mittendam, nisi victoriæ spe certa. Quartum monitum: dandam operam esse, ut etiam hieme expeditiones fieri possint, militibus contra aëris asperitatem provisis. Quintum monitum: pecuniæ & annonæ dispensationem providam institui: lustrationem sæpe repeti, eius rei caussa Commissarios ordinari; militem continuo exerceri, strictam disciplinam custodiri debere. Sextum monitum: exactiones à devictis in belli sumptus conferendos esse. Vltimum monitum: præveniendum esse consiliis, apparatibus, facto & opere: huic subnectitur aliud monitum; fundamentum propositi nunquam mutandum esse, licet multo aliter accidant, quam prævisa fuerint.

De bello Diversivo: quam necessarium illud sit ad rem bene gerendam: Vbi diversio fieri debeat: unam in Silesia per Suecum, alteram per Gaborem in Austria, Vngaria, Moravia debere tentari. Quantum utilitatis ex hac diversione nobis; hosti vero damnum accedat; recensetur: quomodo etiam Suecus & Gabor moveri possint, attingitur. Vnum movere tantum considerationem, quomodo Sueco portus & tuta statio procurari queat: primo monstratur ubi habere debeat; & via proponitur, qua obtineri possit. Deinde ipsum Regem Sueciæ iam examinasse omnia itinera; quæ in deliberationem cadant: & de omnibus paucis: ultimum minoribus difficultatibus obnoxium esse dicitur.

Restare etiam Diversionem fiendam per Batavorum exercitum continendo Spinola intra cancellos: de illa certos nos esse posse. Diversionem etiam ex bello Sabaudico sperandam, continuante illud Sabaudo & Gal-

lo. Si à Gallo impetrari posset, ut in Alsatia aliam diversionem aggrederetur, hoc multum ad rei summam collaturum esse: simul ea occasione disseritur, quomodo res inter Gallum & Hispanum hodie comparatæ sint. Has diversiones omnes uno simul tempore suscipiendos esse; non unam post aliam: quantum & quomodo hactenus ea in re fuerit peccatum, disseritur.

CAPUT TERTIUM.

De bello finiendo: post bellum vel Victoriam esse, vel Cladem. Victoriam duplicem, vel quæ leges det, illam vix sperandam: vel, talem quæ res in eum statim collocet, ut conditiones æquæ possint extorqueri; ad hoc requiri tractatus, qui duplices sint, vel suppressionis armorum vel ad breve, vel ad longum tempus: vel Pacis: in utroque caute agendum. In primo: perraro, imo nunquam, si confederatio solida sit, in inducias consentiendum esse, quia mora nobis exitiosa, hosti vero utilis sit. In secundo: duo observanda esse; primo, ut tractatus fiant sub clypeo, numquam armis depositis, etiamsi res inclinent. Secundo, ut fiat cito, quamvis fortuna arrideat, cui non fidendum. Si victores simus, statim componere æquis conditionibus utile esse ob caussas ibi allegatas, exemplo Electoris Mauritii. interea tamen progrediendum, donec pax integre conclusa sit.

De Clade: illam esse vel prævisam, quæ tum præveniendа sit quovis modo: vel acceptam: tum non desperandum esse, sed vires reparandas; & se erectum confidentemque animi ostendere debere. Nunquam vero conditiones paciscendas esse, nisi recollectis viribus.

Tabularum Fœderis percutiendi forma & specimen.

I.

Quod felix ac faustum sit, ad honorem Nominis divini, & ad sacrosancti Evangelii incrementum, inter in-

infra subscriptos Reges, Principes & Resp. firma & solida Unio seu Confœderatio defensiva & offensiva esto; cum inprimis in finem, ut Germaniæ pristina libertas & securitas recuperetur uno quoque ad sua restituto. Experientia enim hactenus docuit, precibus, tractatibus & eiusmodi generis remediis nihil effici, nec pacem procurari posse; sed aliis fortioribus mediis rem aggrediundam esse.

II. Confœderatio hæc durato sex annos: à prima mensis Martii hoc anno 1626. incipitor, & usque ad ultimam Martii anni 1632. continuator. Dimidio anno ante tempus expiratum confœderati congregantor deliberaturi num necesse sit necne hanc Confœderationem producere & prolongare. Hæc deliberatio, sicut omnis alia, per majora deciditor. Confœderatorum vero aliquo intra hoc tempus è vivis excedente, successor & hæres in continuationem & acceptationem fœderis eodem, quo defunctus, pacto obligator & adstringitor.

III. Confœderatio hæc percussa intelligitor contra injustos & violentos libertatum oppressores, & alienorum ad se non pertinentium bonorum & ditionum usurpatores & detentores, *& uno verbo; contra eos, qui se justis & legitimis Confœderatorum conatibus malitiose, dolo & vi opponent.*

IV. Hæc Confœderatio non intenditor ad Religionis Romano-Catholicæ oppressionem & eversionem, aut sacrorum & jurium Pontificiorum abolitionem, nec ad alicuius *innocentis & sincere quiescentis neutrarumque partium sine fraude & dolo existentis lesionem aut invasionem.*

V. Non item intenditor contra Imperatorem, nec eius personam, regna & ditiones hæreditarias; nec in imminutionem eius autoritatis imperialis legitimæ, Capitulatione & sanctionibus imperii fundatæ & circumscriptæ.

VI. Non intenditor item contra aliquem Electorum vel Ecclesiasticum, vel Sæcularem, nec contra Unionem

Electoralem, nec contra alium aliquem Regem, Principem, & Ordinem Catholico-Romanum, *modo non se justis Confœderatorum conatibus violenter & illicite opponat.*

VII. Hac Confœderatione non derogator ullis conventionibus aut fœderibus inter unum aut alterum Confœderatorum antehac initis vel in posterum ineundis, modo ne fundamenta huius Vnionis labefactent & convellant.

VIII. Scopus unicus ad quem Confœderatio collimet, esto: Primo Electorem Palatinum, eius Matrem, *Fratremque* ad pristina patrimonia, *ditiones* & dignitates *hereditarias* omnimode & plene nihil excepto restituere. Secundo reponere Electorem Brandeburgicum in possessionem ditionum Iuliacensis, Clevensis & Bergensis ducatuum, Comitatus Marchiæ & aliorum inde dependentium dominiorum omnia secundum tenorem tractatus Dormundiensis & Xantoniensis. Tertio Landgravium Hassiæ Mauritium, Marchionem Badensem, Viduam & liberos Marchionis Jägerndorfii, & alios omnes injuste spoliatos & dejectos, in pristinos status & bona redintegrare. Denique uno verbo, Vnumquemque Confœderatorum eius regna, ditiones & jura defendere, peregrinis & oppressoribus libertatum è Germania pulsis, & intra cancellos veteris & modestæ potentiæ coactis, ab armis quietem, & pacem ex æquo utilem & justam procurare, amicabili compositione cunctis differentiis, caussis malorum & motuum præsentium, inter Catholico-Romanorum & Protestantium partes enatis, componendis & tollendis.

IX. Ad scopum hunc consequendum confestim & sine mora, quia dilatio noxia confœderatis, & hosti utilis est, exercitus conscribitor & alitor, viginti quatuor aut sex ad minimum millium peditum, & sex septemve equitum millium, cum tormentis æneis, munitionibus, reliquisque ad bellum necessariis apparatibus.

X.

X. In sumptus tam ordinarios, quam extraordinarios huic exercitui alendo, unusquisque Confœderatorum contribuito per mensem suam symbolam seu portionem pro ratione proventuum & ditionum ac potentiæ. In eum finem designatio specialis, qua appareat ad quantam quisque obligatus sit, conficitor, & à die conclusionis fœderis obligatio & annumeratio pecuniæ incipitor.

XI. Exercitus centuriatus & instructus statim ac fieri potest in Germaniæ meditullium, & ubi momenta rerum maxime urgent, deducitor, & in adversæ partis territoria absque alia consideratione introducitor, quam minime læsis bonarum Partium Principibus.

XII. Fundamenta continuandi belli, & symbolæ præcise solvendæ Confœderati jaciunto: pecunias statim omni cura & industria conquirunto & accumulanto, sic ratione inita, ut tum continuare, tum etiam, si opus fuerit, unum aut alterum mensem ante diem soluere & repræsentare possint. Vnusquisque vero calculo, cum suis reditibus & opibus posito, certos proventus destinato & appropriato & sic fundamentum solutionis de mense in mensem præcise faciendæ ponito: aut cum subditis agito, ut in se portionis istius solutionem suscipiant. Licitum autem esto, imponere indictiones populo, si volens & ultro nolit, vel alio quovis modo cogere nummos.

XIII. Vnusquisque Confœderatorum symbolam suam, vel Hamburgi, vel Amstelrodami, vbi æraria publica eriguntor & habentor, persolvito & deponito, vel collybo, si placuerit, eò curato, suo tamen sumtu & periculo. Solutio non nisi in auro vel in argento puro, hoc est proba moneta, quæ sine intetrimento & impendio exponi potest, sito. Valor monetæ secundum Ordinum Batavorum æstimationem regulator.

XIV. Quod si Confœderatorum aliquis tale damnum passus sit, aut patiatur, ut ex suis ditionibus nihil am-

plius cogere possit, reliqui Confœderati pro rata repræsentando illius symbolam. Ille vero obligator ad refusionem quinque post pacem initam annis faciendam: hoc est sortem cum legitima quincunci usura statis temporibus solvito.

XV. Quinque receptores & quæstores jurati & perspecta fide constituuntor, qui pecunias recipiant, & expendant, annumerentque eo modo, quo per Directorem belli & Consilium Confœderatorum apud Directorem commorans jussi fuerint. Hoc vero jussum à Directore & Consilio simul subscribitor & signator: alias invalidum esto, nec quæstores a fraude excusantor. Duo autem quæstorum Hamburgi, & alii duo Amstelrodami degunto; quintus ultro citroque commeando, prout rerum occasiones ferent, occupator. Mandata & Instructiones his Quæstoribus Confœderati præscribunto.

XVI. Hi quæstores singulis quaternis mensibus, hoc est, ter in anno, rationes redduntovel tabulas accepti & expensi transmittunto, Directori & Consilio dicto. Si Confœderatorum aliquis reliquatur, & ad tempus non solvit symbolam, nec satisfacit, quæstores eum urgento, & simul etiam ad Directorem & Consilium relationem faciunto. Hi deinde reliquatorem convenienti modo ad solutionem compellunto.

XVII. Cum de nullo magis hic agatur, quam de Protestantium in Germania salute & libertate, iccircò Director belli eos omnes & singulos requirito, ut in hanc Confœderationem nomina dent & symbolam suam contribuant eo pacto, quo alios facere viderint, computato secundum Indictionem, vulgo Expeditionem Romanam vocatam, calculo. Qui injuste & sine caussa denegarit, convenienti modo compellitor. Catholico-Romanis neutrarum partium esse conceditor, si sine fraude, si sine collusione cum hostibus fiat: Protestantibus vero minime, nisi ex sonticis caussis.

XVIII. Quilibet Confœderatorum ante omnia tutelæ pro-

propriarum ditionum consulito & prospicito, & præsidium munimentumque ad se suumque statum defendendum domi parato. Eum in finem paucas quasdam turmas & cohortes conscriptas sub signis mercede conductas alito pro viribus & modo provinciarum, quas ad subitas invasiones & excursiones sustinendas & impediendas, in opida, in castella, maxime in fines, disponito. Suos subditos item armis assuefacito & ad jussa militaria paratos armatosque habeto, ut necessitate ingruente possint edicto evocari & coniungi cum mercenariis ad defendendam patriam, & ad hostis subitaneos impetus sistendos.

XIX. Confœderati porro meliora & munitiora suarum ditionum opida & castella, maxime quæ in finibus & ad flumina, & ad transitus opportunos sita sunt, (in quibus totius provinciæ tuitio consistit, per quæ recuperari, si quæ amittuntur, & hosti transitus, pabulatio, frumentatio & excursio impediri possunt,) communiunto, armis, machinis bellicis, pulvere tormentario, inprimis annona, & aliis rebus necessariis ita providento, ut non solum ad subitum motum aut assultum, sed etiam ad communem & diuturnum durent. Non omnibus autem nidulis prospicitor, ne dum cuncta muniuntur, nihil vere munitum sit.

XX. Armamentaria item sua Confœderati recensento; tormentis, machinis, pulvere pyrio, telis, armis & quæ alia sunt juvandis viribus & bello gerendo necessaria ita instruunto, ut non modo ad proprias terras defendendas sufficientia habeant, sed possint etiam Directore belli & necessitate exigente, in auxilium quædam commodare.

XXI. Confœderati locis, per quæ exercitus Confœderatus progreditur, aut ubi tendit, confines & accolæ, commeatum & annonam militarem, pabulum, frumentum & similia, si ex hostico haberi non possunt, moderato pretio subministranto. In genere unusquisque obli-

gator juvare & permittere annonæ ſtructoribus & carnariis, quo poſſint parabili nummo coemere, & exportare omne genus commeatus & ſtellaturæ ſine portorii & vectigalis exactione. Vnusquisque autem, præſertim qui in Germania ſunt, & quarum in confiniis exercitus confœderatus militaturus eſt, diligentem in ſuis provinciis annonæ proviſionem facito, frumentum & neceſſarium commeatum pro hominibus & beſtiis in tuta loca recondito, promenda & æquo nummo venundanda, cum uſus fert & Director imperat.

XXII. Vnusquisque confœderatorum Germanorum certum bonumque numerum equorum apud Paganos in vicis & opidis, in parato & præſto habeto, exercitus confœderati tormentis, machinis, impedimentis & annonæ devehendis & transportandis, prout uſus poſtulabit. Nullus verò Confœderatorum hoc officium devehendi tormenta denegato; imò ad id compellitor.

XXIII. Nullus Confœderatorum hoſti tranſitum per ſua territoria concedito; nullus præſidia oblata ſuſcipito, aut loca petita tradito: ſed ſe, quantum poterit, opponito. Commeatum clam vel palam nullus ſufficito nec vendito; ſubditos ſuos hoc facientes ſevere caſtigato. Milites denique conſcribere apud ſe, hoſtem non patitor: vaſallos & ſubditos ſuos, qui ſtipendia in hoſtilibus caſtris merent, per edicta revocato ſub comminatione & pœna perduellionis.

XXIV. Confœderati arma non pon̄unto, nec ab Vnione diſcedunto, priusquam libertas Germaniæ recuperata, læſi & ſpoliati in priſtinum ſtatum recollocati, æquilibrium reductum, pax denique & ſecuritas imperio, & per illud Europæ reddita ſit. Clade etiam accepta, & exercitu confœderato fuſo, vel rebus ab initio haud bene ſuccedentibus, non ſtatim pœnitento, nec cauſſam deſerunto, aut ſeparatim pactis vel acceptis conditionibus, ſibi ſolis proſpiciunto, relicta in diſcrimi-

mine Rep. Hoc qui fecerit, perfidus desertor & hostis habetor, & igne ac ferro castigator.

XXV. Nulli Confœderatorum quoquo modo concessum esto in aliquam tractationem seorsum consentire, nec conditiones qualescunque accipere sine consensu & voluntate cunctorum, nec ante quam Elector Palatinus, & reliqui supra nominati, modo quo dictum est, fuerint restituti. Quod si conditiones proponuntur, si unum aut alterum in specie solum spectant, non auscultantor: si totam caussam & omnes confœderatos simul tangunt, audiuntor, sed nonnisi scripto comprehensæ cum reliquis sociis communicandæ.

XXVI. Qui ex Confœderatis nunc aperto bello implicati sunt, ut Britannus & Batavi, illud eo modo & viribus continuanto, pacem & inducias haud stipulantor, nec cum hostibus paciscuntor, nisi cum emolumento & securitate omnium Confœderatorum assentientium, alias si illi privato commodo prælato, suis oneribus ante hoc fœdus latis & sine hoc fœdere ferendis se exonerarint, onera confœderatis aggravant, & omnia reddunt difficiliora & incerta.

XXVII. Quod si Confœderatorum Germanorum aliquis propter hanc societatem fæderis Imperatoris indignationem incurrens, proscriptionis fulmine percutiatur, ditionibus expellatur, dignitatibus & successionibus privetur & infamis intestatibilisque declaretur: reliqui Confœderati tam extra quam intra imperium Germanicum, non solum hanc illegitimam proscriptionem, nullius æstimanto, nec proscriptum innocentem deserunto, aut aliquam vim vel directe vel indirecte inferunto aut inferri patiuntor; sed etiam arma nulla ratione ponunto, priusquam socius innocens fuerit absolutus & integre ad dignitates & ditiones suas restitutus, & per omnia in eum statum, in quo ante huius fœderis conclusionem fuerat; recollocatus, Et quoniam experientia testata est in restitutione Palatini Ele-

ctoris preces, intercessiones, tractatus, legationes, promissa, submissiones & oblationes nullius valoris & ponderis fuisse, itaque Confœderati his & similibus imbellibus remediis haud utuntor, nec tempus consumunto cum irreparabili damno; sed legitimis & justis armorum conatibus, vindicias paranto & eum in finem bellum, eo, quo dictum est, modo continuanto.

XXVIII. Confœderati publica declaratione in vulgus emissa intentionem & propositum, cur arma sumserint, fœdus hoc pepigerint, & quid intendant, explicanto, omnesque ubique gentium severe exhortentur, ad sociandos animos & vires pro communi salute, minas etiam & bellum denuncianto, qui se opponere præsumserint. Simul declaranto & protestantor, hoc fœdus non religionis caussa percussum, minimeque ad oppressionem aut sublationem pontificiorum sacrorum & jurium tendere.

XXIX. Directio belli & exercitus Confœderati conductus & cura committitor Regi Daniæ, vigore certæ Capitulationis, cum eo de ea caussa initæ; ad cuius normam præscriptam bellum dirigitor & geritor. Consilium formatum ex confidentioribus ministris compositum, ei adiungitor, & ubique præsto esto, secundum horum suasus & consilia cuncta in rebus maximi momenti expediuntor.

XXX. Hoc consilium componitor & constato sex Prudentibus, indefluxa annorum maturitate, & rerum experientia conspicuis viris. Director belli septimus & præses esto.

XXXI. Consilium hoc autoritatem & potestatem omnimodam habeto pro rei & temporis occasione definiendi, decernendi & statuendi absolute, sine necessitate referendi ad Confœderatos, & eorum assensus præstolandi; ne opus sit conventus instituere, & per moram occasiones rerum perdere. Quod ita conclusum, decretum & statutum fuerit, omnes & singulos Confœde-

de-

deratos obstringito & ligato, ratumque & approbatum, tamque communi Vnitorum consensu decretum, habetor. Eum in finem instructiones & mandata generalia in amplissima forma præscribuntor. Nam fieri non potest, ut specialia dentur; quia non possunt omnia prævideri; nec animus instrui ad ea, quæ à tempore & occasione, magno in bellis & rebus arduis nomine dependent.

XXXII. Consiliarii in hoc consilio sedentes, ex publico Confœderatorum ærario aluntur: modico & necessario, non superfluo sumtu. Hoc Directoris belli arbitrio & constitutioni relinquitor. Si unus ex illis durante hoc bello fato defungitur, alium eligere & sibi assumere reliquis jus & fas esto.

XXXIII. Consiliarii hi Directori belli ubique & semper, in castris, in expeditionibus vel in loco non procul inde remoto præsto sunto, statis diebus conveniunto, & de communi salute consilia habento. At Director horum sententias & vota, in omnibus rebus gravioribus, maxime res status & commune universorum Confœderatorum emolumentum & damnum concernentibus, auscultare, rogare, & conclusione per majora facta sequi tenetur.

XXXIV. Denique consiliarii isti sacrosancto juramento conceptis verbis obstringuntor, omnia ea suasuros & decreturos, quæ in communem cunctorum Confœderatorum salutem, & pro consequendo huius fœderis scopo in consciencia noverint & censeant proficua. Si qui domestico juramenti vel alio obligationis vinculo alicui Confœderatorum obligati sunt, ab isto relaxantor, quo expeditius & integrius publico Confœderatorum bono vacare & consulere queant. Fieri enim haud potest, quin is, qui ad unius aut alterius privatum emolumentum cuncta dirigit, incuriosus sit publici, negligatve aliquid, quod in commune conducit.

XXXV. Directori liberum esto imperare Confœde-

ra-

ratis vel nummos, vel milites: Conſcriptio & tranſitus, diribitorium item ſeu locus luſtrationis à nullo Confœderatorum denegator. Diſciplinam tamen adſtrictam & exactam Director obſervare tenetor, & eius etiam ditiones æque bene ac aliorum Confœderatorum, oneribus, dilectûs, luſtrationis & tranſitus, ſimiliumque ſubiiciuntor.

XXXVI. Dilectores & conquiſitores, quos Commiſſarios vocant, tres deleguntor, & iuramenti nodo obſtringuntor. Hi pecunias & ſtipendia exercitui ſingulis menſibus denumeranto. Quoties menſtruum ſolvitur, dilectus & recenſitio militum inſtituitor; & quantum militum in legione, turma & cohorti inventum fuerit, tantum & pro tali portione, & non aliter, penditor & diribitor. Si Commiſſarii legiones & turmas imperfectas, ſi confuſionem, disordinem, aut tale quid, contra militiæ leges & uſum, in officialibus & militibus obſervant. Conſilio & Directori ſignificanto. Rationes vero iisdem redduntо ſingulis ternis menſibus, aut quando juſſi fuerint.

XXXVII. Confœderati operam danto, ut Galliarum & Britanniarum Reges Comitis Mansfeldii exercitum & copias ſuſtentare pergant: Ac dicto Comiti iniungant, non modo exercitum ſuum completum habeat, & ſub diſciplina militari contineat, ſed etiam ex arbitrio Confœderatorum & Directoris belli, cuius per omnia nutus ſequi, eaque, quæ fuerit juſſus, exequi teneatur, expeditionem ſuam inſtituat & conformet.

XXXVIII. Sereniſſimus Rex Sueciæ Polono ad pacem compulſo, aut alio modo in ordinem redacto, cum exercitu in aliquam partem Germaniæ, prout viſum fuerit, deſcendito, & utili diverſione belli hoſtium vires exerceto & occupato. Vel, ſi bellum cum Polono continuandum ſit, ita illud, & in tali parte gerito & inſtituito, ut ſimul ſuas & Confœderatorum res eodem tempore agat, & tam Polonum in uno, quam hoſtes in alio laceſſat

&

& fatiget. De hoc cum ipſo in ſpecie convenitor & compromittitor.

XXXIX. Confœderati Ser. Tranſilvaniæ Principem requirunto, ut conditionibus convenientibus & ſcopo huius fœderis conſentaneis vires & animos conſociet, arma aſſumat, & copiis ſuis hoſtem divertere & occupare coannitatur. Si fœderi accedit, ſicut haud dubitandum, tunc ſymbolam ſuam, in eam diverſionem belli impendat, & collocet, & adhuc aliquid ſubſidii à Confœderatis, vel è pecuniis, quas Gallus condixit, annumerator, ut alacriori marte rem agat. De hoc cum ipſo peculiaris ſtipulatio & pactio ſito. Inprimis arctam cum dicto Principe amicitiam ſocii fœderis colunto, & eum in finem virum probum & prudentem, qui fideliter omnia perſcribat, bona pro rei occaſione officia interponat, & mandata recipienda exequatur, in eius aula ex publico ærario alunto.

XL. Rex Poloniæ requiritor, ne permittat, minus ipſe mittat, Caſacos & ſubditos in Germaniam & terras imperii irruere, & ibi ſtipendia mereri. Apud Ordines Polonicos idem urgetor. Vno verbo, Rex & ordines iſtius Regni rogantor, ut ſincere quieſcant, nec adverſæ parti in præiudicium & exitium Confœderatorum ſuppetias ullovis modo ferant.

XLI. Veneti & Sabaudus rogantor, ut huius confœderationis conatibus faveant, & aliquid ſub manu, ſicut Gallus, contribuant, vel ad minimum adverſæ parti ſive in imperio, ſive extra non faveant, aut clam adminiculentur. Cum enim Gallus in hoc fœdus aperte nomen dare per cognitas rationes nolit, à Venetis & Sabaudo, qui Gallum ex ratione ſtatus ſequi neceſſe habent, hoc non eſt petendum, minus expectandum.

XLII. Cum Rege Galliæ, quamvis nomen in hoc fœdus aperte nolit dare; quia tamen ſe favere profeſſus eſt, & aliquam ſummam pecuniæ ſub manu ſolvere condixit, Confœderati ſummam neceſſitudinem colun-

to, & omnia necessaria communicanto consilia, & in omnibus respectum debitum exhibento: inprimis eum requirunto, ut non solum condictam summam præcise solvere, sed etiam augmentare, & de anno in annum denumerare velit.

XLIII. Dux Sabaudiæ requiritor, ne arma ponat, aut pacem accipiat, nisi prius certioribus factis confœderatis: idem reciproce Confœderati stipulantor.

XLIV. Confœderati serio cogitando, quomodo diversio in Alsatia per seniorem Marchionem Badensem, qui pronus est eam suscipere, si de mediis, quæ proponit & petit valde parabilia & bene secura, prospectum fuerit, fieri possit. Gallo aliquid subsidii pecuniarii & Helvetiis vicinis aliquid auxilii conferentibus.

XLV. Confœderati maritimi, & qui potentia per mare pollent, ut Anglus & Batavi, classem instruunto & alunto non nimis ingentem; sed proposito exequendo necessariam, hoc est, qua hosti negotium facessere possint in impedienda mercimonii securitate, & præscindendis, quæ maris beneficio accipit, & quibus fruitur commoditatibus & divitiis, potentiæ suæ maximis instrumentis & columnis. Quod Confœderati isti in hoc impenderint plus, quam pro defensione ditionum suarum & pro maris libero asserendo commeatu, obligat ratio, in solutionem symbolæ computator & deducitor.

XLVI. Si Reges Galliarum & Britanniarum coniunctim possunt durante hoc bello & fœdere procurare & obtinere, sine armorum tamen suspensione, aliquam bonam compositionem, accipitor eo quidem pacto, ut communis Confœderatorum consensus, vel maioris illorum partis interveniat.

XLVII. Si omnes differentiæ non possunt una vice simul componi; Electoribus Palatino & Brandeburgico, Marchione Badensi & Landgravio Mauritio reapse restitutis, cæteræ relinquantor arbitrio & interpositioni Regum Galliæ & Britanniæ: qui tamen nonnisi prævia

caus-

caussæ cognitione & positis utrinque sine fraude armis, & sociis fœderis maiorum gentium consultis proceduntο. Hoc arbitrio durante examinatio & decisio differentiarum ad imperii comitia & conventus, ubi pars adversa & pars & judex simul est, neutiquam trahitor.

XLVIII. Cæsar de hoc arbitrio tum informator & persuadetor, ut ratum habeat, ne dici possit, aliquid fieri aut factum esse contra eius legitimam autoritatem & jura, Capitulatione & sanctionibus imperii præscripta & definita.

XLIX. Licet Consilium apud Directorem, sicut supra dictum, constitutum sit; tamen cum innumera sint & suboriantur, quæ apud ipsos confœderatos peragi & tractari necesse, & quam promtissime expedire Reipublicæ & salutis communis intersit; quilibet Confœderatorum domi quoque certum consilium ex tribus ad minimum consiliariis, in quo nulla alia negotia, quam ad hanc Confœderationem spectantia, tractentur, constituito & habeto. Experientia enim hactenus testata est in aulis & curiis Principum solens esse, ut maxime necessaria sæpissime negligantur & omittantur per incuriam minime urgentibus præpostere prælatis; quia non erant, qui mandata habebant & adstricti erant, ista expedire.

L. Quocirca hi Consiliarii domestici omnium rerum, quæ Confœderato circa hanc Confœderationem ordinare & constituere incumbunt, & expedit; symbolæ item & nummorum cogendorum, solvendorum, & transmittendorum curam habento unicam. Si quæ à Directore, & quod apud eum est, Consilio proponuntur & petuntur, confestim expediunto.

LI. Confœderati Imperatorem enixe precantur & intercedunto, ut Bohemos, Moravos, Austriacos, Silesios & alios exules & proscriptos in gratiam recipiat, & facta per illos debita submissione & deprecatione, ad pristina bona restituat, & iis pacifice & quiete frui sinat, religionisque exercitium, quod ante habuerunt, concedat, nemine in conscientia aut corporis bonis molestando.

LII. Et quoniam hoc fœdere de nulla re magis agatur, quam de conservatione Confœderatorum, eorum ditionum & dignitatum: Confœderati non solum efficiunto, ut ordines in eorum regnis & provinciis ad hanc confœderationem se alligent, ratamque habeant, & sic ad sumtus & subsidia reddantur volentes & adstricti: sed etiam ipsi sacro sancto jurejurando DEO in testem solemniter vocato obstringuntor, secundum formam & normam conceptam & scripto comprehensam.

LIII. Confœderati cuncta, quæ communicari & ab hoste sciri periculosum est & noxium, secreta habento, &, ut per suos nihil, quod notum executionem rerum difficilem reddere, vel impediri facere queat, in vulgus, minus in hostes emanet, sedulo curanto.

LIV. Si quæ alia sunt, aut emergunt, ad hoc fœdus & confœderatorum salutem bonumque publicum, utilia & necessaria, illa Directori & Consilio definienda, statuenda, ordinanda relinquuntor, & quod ita ab *illis* præscriptum, definitum & statutum fuerit, habetor ac si tabulis communi Confœderatorum suffragio sancitum & consignatum esset.

LV. Huius Fœderis tabularum pluria exempla lingua Germanica, Latina, & Gallica conficiuntor & describuntor, & unicuique Confœderatorum unum obsignatum & subscriptum traditor.

LVI. Omnibus Regibus, Principibus, Ordinibus, & Rebuspublicis intra & extra imperium, in hanc Confœderationem nomina dare integrum & fas esto, atque quovis tempore, modo in pacta consentiant, recipiuntor, &c.

Consultatio Directori belli præscribenda.

I.

Director belli sacrosanctè promittito, & subscriptione ac sigillo stipulator, se omnia & singula, quæ in hac Capitulatione communi Confœderatorum consilio & assensu pacta & descripta sunt, fideliter observaturum & executurum.

II.

II. Ante omnia, ea quæ in tabulis foederum conventa sunt, tam confoederatorum corpus in genere, quam se ipsum & propriam suam personam ac munus concernentia, ex amussim observato & perficito, observari & exsequi, operam sedulam navato.

III. Consilium, quod nomine omnium Confoederatorum ipsi adesse debet, omni tempore admittito, in castris, in expeditionibus, aut non procul inde remoto loco secum præsto habeto, ei omnem autoritatem & liberum cursum absque impedimento permittito: Statas horas, quibus singulis septimanis ad deliberationes conveniatur, præfigito: consultationibus, quantum fieri potest, ipsus interesto, & tanquam Praeses dirigito; Quando interesse non potest; quod actum & conclusum, sibi statim referri sinito.

IV. Contra majora vota non se opponito nec agito; sed quod per illa conclusum, fideliter & sine mora exequitor, & exequi curato; libera suffragia admittito, nullum consiliariorum propter liberam sententiam odio aut affectu premito. Si durante hac Confoederatione aliquis assessorum in hoc consilio decedit, alium in defuncti locum deligendi potestatem habeto, intervenientibus tamen reliquorum superstitum collegarum suffragiis.

V. In omnibus rebus majoris momenti, maxime quæ res status, ut vocant, bonum item universorum Confoederatorum, pacem, pacisque conditiones, inducias, suspensionem armorum, susceptionem alicujus in fidem, neutralitatis permissionem, hostilitatis & belli denunciationem, tractationum vel simulationem vel necessitatem & similia talia, concernunt, hujus consilii conclusa & decreta sequitor & adhibeto.

VI. Omnia vero, quæ ad belli gerendi executionem, & ipsam expeditionem, sive ad conflictum, sive ad progressum, & ad similia spectant, uno verbo,

quæ ipſius Imperatoris munia propria ſunt, in adminiſtrando bello, & hoc vel illud imperando; in Directoris ſolius arbitrio & voluntate abſolute poſita ſunto; ſic tamen, ut prudentiorum & meliorum adminiſtrorum & Ducum conſilia & ſententias exquirat & advocet.

VII. De ſumma autem rerum prælio decertare, & extremam belli aleam experiri, miſſa in periculum totius Reipublicæ ſalute, nunquam præſumito, niſi certiſſimus ſit de victoria, & hoſtis ſe præbeat opportuniſſimum vinci.

VIII. Munia & officia militaria, prout judicaverit optimum, conſtituito & diſtribuito. Duces, tribunos, centuriones, & quantum eſt aliorum belli officialium, eligendi & deponendi; legiones item & ordines formandi & ordinandi, & ſi quæ talia, liberam poteſtatem habeto, ſic tamen, ne favor, & indulgentia, vel corruptus affectus locum habeant, ſed merita & virtutes ſpectentur.

IX. Diſciplinam adſtrictam obſervato in caſtris, in expeditionibus, in tribernis & ubique locorum, ac talem a reliquis Ducibus & adminiſtris belli obſervari enititor. Delicta militum ſeveris poenis coërcito & caſtigato: raro, niſi ex ſonticis cauſſis, veniam concedito, oppreſſiones & extorſiones ſubditorum ni permittito; ſed tam in milite, quam officiali ſevere vindicato.

X. Luſtrationes, recenſitiones, & dilectus militum ſingulis ad minimum menſibus inſtituito, & per Dilectores ſeu Commiſſarios haberi ſinito. Vt legiones, turmæ & cohortes completa ſint, omni cura incumbito: novos dilectus ſupplendis militibus, & in locum decedentium ſubſtituendis in tempore, ut exercitus ſemper & ad omnem occaſionem integer & paratus ſit, per gnaros fieri curato. Annonæ & pabu-

pabulationis sollicitudinem & providam dispensationem haberi, omni studio desudato.

XI. Devictis terris & urbibus tributa & censum cum moderatione imperato & imponito: ea non sibi, nec militum prædæ aut luxui applicato, sed in ærarium pro communi Confoederatorum bono inferto & congerito. Quos vincit, & qui se dedunt, nomine Confoederatorum in fidem recipiat, & ad sacramentum obedientiæ adigat; sed ad tempus duntaxat, nempe usque dum res ex utraque parte compositæ fuerint. Metata, annonam, pabula, & signa alia, in hostico, quantum fieri potest, quærito & sumito: confoederatorum & amicorum terris & subditis, omni studio & labore parcito: agros & sata a milite insolenti proteri & conculcari; domos & templa expoliari & deuri, similemque effrenem libidinem exerceri, ne permittito.

XII. Director cum omnibus confoederatis & amicis sinceram amicitiam colito, neminem offendito, nec vindictam privatam, litem aut controversiam, si quæ ei intercedit cum aliquo, occasione hujus auctoritatis & potentiæ, vindicato aut prosequitor cum præjudicio publici boni: nullum prætextu metatorum, transitus, aut similium calliditate, data & collata opera, ultra quam fas est, & belli necessitas exigit, divinato.

XIII. Symbolam suam præcise solvito, & alii solvant, allaborato. Si aliquid supra suam portionem ex necessitate occasionis contulerit & impenderit, supputatis rationibus a Confoederatis, vel ex ærario, redditor.

XIV. Stipendiorum solutionem per Commissarios fieri in capita secundum nuntium militum, non in corpus & pro cohorti aut turma jubeto. Arma militibus data, usitato hodie more, in stipendiorum solutionem connumerantor & defalcantor. Conqui-

sitores seu Commissarios, sua munia sine obstaculo obire & exsequi patitor, & ut tanto integrius, promtius & expeditius obire possint, manum tradito.

XV. Pacem, conditiones, inducias, tractatus, cujuscunque generis sint, nec offerto, nec accipito; nisi eo modo, quo in foederis tabulis cautum est; & consilio interveniente & approbante. Ipsus maxime nullis oblationibus, aut persuasionibus se a proposito suo & suscepto Directoris officio abduci sinito, nec poenitentia motus, seorsum ulla ratione & necessitate, cum hoste paciscitor. Si in procinctu est, & certus de successu, nunquam auscultato quales quales propositiones; ad Consilium tamen si remittere velit, liberum esto.

XVI. Ipsus semper exercitui adesto, in castris, in expeditionibus, in progressu, in pugna, in omnibus denique occasionibus: nulli vero alii directionis curam & munus, sibi soli concreditum, committito: nec illo se abdicato aut resignato, nisi omnium Confoederatorum scitu & rogatu.

XVII. Quotidie primores ducum, & experientia praeeminentes, apud se convenire, de genere belli, de hoc vel illo conatu suscipiendo, quomodo, ubi, & quibus mediis hostis possit defatigari & frangi, & de similibus, consero & sententias promere facito.

XVIII. Vt cuncta in pauca contrahantur, Director omnia ea agito & perficito, quae bonum, vigilantem & circumspectum Imperatorem decent, sicut Confoederatorum in ejus prudentiam, magnanimitatem, egregium in Rempublicam animum & merita, collocata spes & expectatio est, &c.

CON-

CONIECTURÆ,

per quas

Colligi potest, primo, magnam & universalem mutationem imperiis Europæ imminere, ac præ foribus esse: Secundo, mutationem illam pro meliori caussa, & religione tandem casuram.

De Primo.

QVod primum attinet, mutationem nempe magnam imminere Europæ, vix opus esse arbitramur multorum argumentorum probatione & conquisitione; videmus enim hanc opinionem omnibus ferme mentibus, quibus ratio constat & judicium, jam dudum infixam esse; & a multis annis creditam ac doctam.

Theologi omnium Religionum, ex sacri codicis,(*) & apostolorum, ipsiusque nostri Servatoris sacrosanctis oraculis hanc ubique inculcant, omniaque illa signa, quæ antecedere & præcurrere debere illam mutationem & adventum Filii Dei sacræ paginæ prædicant; jam hac nostra ætate maxime in vigore & flore esse, & quasi cuncta accompleta apparere, docent. *Astrologorum* etiam prognosticationes plenis buccis hanc mutationem decantant. Fatidicus non solum in fanaticos & adultos; sed etiam in sedatos & adolescentes diffusus spiritus, per omnia compita, & trivia, tanquam oestro percitus, hariolatur: signa coelestia, stellarum novæ apparitiones, Cometarum dira fulgura, maxime planetarum superiorum conjunctiones, temporum miræ & insolitæ vicissitudines, portentorum & prodigiorum apparitiones, crebri monstruosi partus, animorum & adfectuum alteratio-

 nes,

(*) Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21.

nes, & sexcenta talia, quasi digito demonstrant jam jam adfuturam Mutationem.

At omnium ætatum & historiarum traditione, atque ipsa experientia didicimus, *prodigia & signa numquam impune spectari*, (*) inprimis crinem, ut cum Lucano (**) dicamus,

- - - tremendi
Sideris & terris mutantem regna cometam.
- - belli motus feraque arma minari (***)
Magnorum & clades populorum & funera Regum:

quod, prô dolor! nimis verum esse, hoc præsenti rerum per Europam tumultu nostris oculis contemplamur, & ipsi experimur. Apparuerunt autem cometæ, unus an. 1607. & alius an. 1618. *diri, immanes, & facie haud sæpe visitata.* Novæ potissimum stellæ, quarum nostra ætate plurimas vidimus, e quibus (*) illa anno 1604. conspecta, maxime suspicienda est, ut infra dicetur, magnam semper rerum conversionem prænuntiare solent. Inprimis indubium est, & vulgo notum, nullam maximam superiorum Planetarum conjunctionem, qualem superioribus annis habuimus, coiisse, quin attulerit universalem, tam in Politico regimine, quam in religionis, & sacrorum cultu mutationem. Ejusmodi *conjunctiones Saturnini & Jovis, maximas seu totales, & climactericas*, ut vocant, quæ non nisi *intra annum octingentesimum* contingere solent, ab Orbe condito (**) *septem* numerari possunt, quæ semper præcesserunt & denotarunt, ut diximus, universalem aliquam in Imperiis & monarchiis, (***) & in sacrorum ac religionis constitutione rerum revolutionem.

Nam

(*) Claudian. Et nunquam cœlo spectatum impune Cometam.
(**) Lucan. lib. I. (***) Manil.
(*) Carionis Chronici supplem.
(**) Vide apud Keplerum tabulam periodorum conjunctionum.
(***) Apud Alsted. in Vranoscop. lib. II. c. 9. parte 2. & 3. cap. 14.

Nam *prima conjunctio* infra & supra annum octingentesimum mundi contigit: & artium inventiones, urbium exstructiones, Tyrannidem, latrocinia, Gigantum procreationem, nominis Dei profanationes, & morum corruptionem, & quæ leguntur alia in Genesi Mosis præcessit. *Secunda* in annum circiter millesimum sexcentesimum mundi incidit: secutum est diluvium, dispersio populi, & linguarum diversitas; primæ Monarchiæ per Belum constitutio. *Tertia* in annum bis millesimum quadringentesimum præter propter numeranda, Mosis legem & sacra, exitum populi ex Aegypto, bellum Thebanum & Trojanum; primæ monarchiæ decrementum & secundæ primordia significavit. *Quartam* conjunctionem annus ter millesimus ducentesimus numero rotundato excepit, quæ denotavit Persarum & Medorum imperiorum maturitatem, Romanæ urbis originem: Macedonum Monarchiæ subita initia & finem: regum in Asia & Affrica per Romanos excidium. *Quinta*, Saturni & Jovis maxima conjunctio, incidit ὁλοσχερῶς in annum mundi quatermillesimum; & annunciavit Christum & religionem Christianam; Paganismi eversionem, Imperium & Monarchiam Romanorum Cæsarum; literarum & scientiarum florentem messem. *Sexta*, anno mundi, quatermillesimo & octingentesimo, & post Christum, octingentesimum in circa, contigit & secuta sunt, Caroli Magni & Germanorum Gallorumque in occidente Imperium, Electorum Institutio, Paparum & Cleri dominatus in animas & corpora: scientiarum & sacrarum literarum caligo & ignorantia, Mahumeti in Oriente Imperium & secta. *Septima* revolutio Planetarum climaterica in annum mundi quinquemillesimum sexcentesimum locanda est, & præcise incidit in hæc nostra tempora, anno post Christum millesimo sexcentesimo tertio XIV. Decembr. visa, & procul dubio

portendit magnam & universalem mutationem. Siquidem *Planetas hac vice perfecte cursum suum absolvisse, & ad sua initia redire Astrologi* (*) *docent.* Tumultuum & motuum satis jam nunc videmus per Asiam & Europam, qualem vero finem Deus sit daturus, & quæ regna ex ruinis jam cadentium & casurorum excitaturus, occultum est, & non nisi parvis conjecturis divinandum. Interea possumus dicere in hanc conjunctionem eo incidere Austriaco-Hispanorum Monarchiam & dominatum, & ad summum perductam fortunam.

Quod si omnium historiarum monumenta evolvimus & scrutamur: inveniemus nullum imperium, nullam Rempublicam, nullum statum eversum & mutatum; nec novum constitutum aut erectum fuisse, quin signa aliqua præcurrerint, vel eversionem & mutationem; vel erectionem & constitutionem. Legantur apud historicos & poetas Romanos, (**) quanta prodigia & signa præcesserint conversionem Reipublicæ Romanæ in Monarchiam: apud alios etiam, quæ destructionem & excidium Judaici populi & religionis antegressa fuerint. Cum *ramus ficus tener est*, & *folia germinant*, *noscimus æstatem prope esse*: ita cum videmus illa signa præcursoria, sciamus mutationem prope esse & ad fores; ut utamur argumento & verbis nostri Servatoris Matth. 24. v. 32.

Secundo: *Omnium rerum certam periodum naturæ esse* (***) novimus omnium regnorum, omnium rerumpublicarum, omnium civitatum; imo omnium sacro-

(*) Alstedius in Vranoscopia.

(**) Appian. l. 2. de civili bello. Lucan. Lib. 1. Petron. Arbit.

(***) De regnorum periodis & metis vide doctissime differentem Casparum Peucerum in præfatione Chronici Carrionis. Vide Alsted. Encyclopædia lib. 18. cap. 12. Sect. 2. Peucerum de divinatione. Reusnerum in hortulo historico politico. Alstedius dicta Encyclop. & lib. cap. 4. Sect. 7.

ſacrorum, religionum, ſectarum, artium & actionum certum veluti orbem, nunquam uno gradu & loco fixum nec conſiſtentem. Certos limites & ætates Deus cunctis, ſicut hominum & beſtiarum, corporibus, præfixit & conſtituit: naſci, infantem eſſe, adoleſcere, virum fieri, ſeneſcere & extingui. Seneca, (*) *certis*, inquit, *eunt cuncta temporibus: naſci debent, creſcere, extingui.* Hi gradus ſunt omnium ætatum, omnium ſub ſole viventium corporum, omnium etiam actionum & artium humanarum. *Πάντα τὰ ὄντα ἀτεχνῶς, ὥσπερ ἐν εὐρίπῳ, ἄνω καὶ κάτω στρέφεται*, ait Plato. Omnia quæ ſunt, velut in Euripo ſurſum ac deorſum vertuntur.

Lipſius centuria ad Belg. 3. Epiſt. 31. magna imperia limites ſuos habent, quo cum venerunt, ſiſtunt, retroeunt, ruunt. Tacitus (**) *Rebus cunctis*, inquit, *ineſt, velut orbis; ut quemadmodum temporum vices; ita & morum & Imperiorum*, ſcientiarum, (***) virium, opum, & uno verbo, omnium rerum *vertantur*. Si præſentem formam intuemur; cognoſcimus cuncta jam dudum ad maturitatem perveniſſe; non amplius creſcere & amplificari, ſed exoleſcere & conſumi. Hæc autem eſt *conditio humanarum rerum &* perpetua *fati Lex* (*) *ut ad ſummum perducta, non conſiſtant, ſed rurſus ad infimum, velocius quidem, quam adſcenderunt, relabantur. Ex ſummo retrovolvi fortuna conſuevit*, inquit Aemylius Paulus apud Livium lib. 45. cap. 41. & Licinii Gallieni dictum, *prope ad ſummum, prope ad exitum.* & poeta ait: (**)

Momento permagna ruunt ſummisque negatum
Stare diu, nimioque gravis ſub pondere lapſus.

Iii 5 Sicut

(*) Ep. 71. (**) Lib. 3. ann. c. 55.
(***) De ſcientiis & ingeniis decreſcentibus Seneca in præfatione ad Controv. lib. 1.
(*) Seneca Rhetor in præfatione ad Controv. lib. 1.
(**) Lucanus.

Sicut sol nunquam subsistit, sed cum ad infimum gradum venit, iterum eodem momento progreditur ad ascensum; & rursus, si ad supremum pervenit, eodem tenore properat ad descensum: sic omnia Imperia & familiæ continuo cursu festinant a principio ad ascensum, & ab ascensu ad descensum: a flore ad maturitatem, a maturitate ad casum. In Europa nullam Rempubl. veterem, nullam Regum & Principum potentium familiam, nullum statum nullius vires (nisi fortasse Hispanorum, qui eversionem omnibus moliuntur:) incrementum sumere videmus; omnes descendunt. Sic Gallia, Anglia, Dania, Belgium, Veneti, Itali, Principes Germaniæ, & Respublicæ; nulla crescit aut ascendit; sed vel in se, vel in amicis & sociis decrescit. Si nunc in specie consideramus in Europa, vel Imperium Romano-Germanicum, vel regna & Respublicas alibi, inveniemus omnia ad fatalem illam periodum, quam ex experientia constituerunt sapientes, nempe vel *ad quingentesimum, vel ad septingentesimum annum, ascendisse & superasse. Pleraque enim*, inquit Peucerus in præfatione Chronici Carrionis, *Orbis Christiani regna propemodum ad periodorum suarum decurrerunt metas, Germanicum, Francicum, Pannonicum, Polonicum. Idcirco & nutant omnia, & minitantur ruinam.* (*) Ab instituto per Carolum Magnum Imperio occidentis, exactus est annus septingentesimus, & a Collegio Electorum per Ottonem III. erecto, sexcentesimus; *ob quem geminarum periodorum concursum, haud est obscurum, maximam rerum conversionem imminere.* Et hoc ex eo tanto luculentius apparet, quod videamus motus inceptos esse, & quotidie ingravescere in Germania, meditullio Europæ, tractura secum reliquorum regnorum ruinam. Nam prout motus ibi desinent; & quæ mutatio succedet; eandem reliqui Euro-

(*) Alsted. in Cyclopæd. l. 18.

Europæi ſtatus experientur, & expectare debent. A corde, quod eſt in medio corporis humani, calor in reliqua diſſipatur membra, & qualis eſt in illo, talis eſt in his. Germania cor eſt in Europæ corpore, prout ibi res ſuccedunt & geruntur; ita membra Europæ participant. Annon hoc ab omni ævo vidimus; prout religio in Germania incunabula, accrementa & mutationem ſumpſit & habuit: ſic reliqua Europæ regna paſſa ſunt. Annon Principibus Imperii, a Carolo V. devictis, & Germania languente, periculum & bellum in Italiam & Galliam dimanavit? Annon hodie omnes in Europa Principes & Reges in motu & bello ſunt propter Germaniæ incendium, quo magis ac magis prorumpente, eó magis & vicinior imminuit reliquis flamma.

Porro ſcientiæ & conſilia ubi florent; ibi floret quoque Imperium; & ut illa ſurgunt & adoleſcunt; ſic hoc. Scientiis vero & conſiliis decreſcentibus, decreſcit ſimul Imperii vis, forma, felicitas. Hoc videmus in omnibus ſupra nominatis, & reliquis etiam Europæ regnis & provinciis; ibi ſcientiæ & conſilia non amplius aſſurgunt, vel quia ſpernuntur, vel incurioſius habentur; ſed paulatim, ut palpari poſſit, deficiunt, & ad ruinam properant mutationi ſucceſſuræ locum datura. *Eſt autem fere initium*, ut hæc Peuceri (*) verbis dicamus, *mutationum & ruina ab imprudentia Principum, aut eorum, qui præſunt, cum ſcilicet aut per ſe ſtolidi & amentes non intelligunt gubernationem; aut recta & ſalutaria monentibus non obtemperant, ſed mordicus conceptas ſententias retinent & exſequuntur; aut pluris faciunt inſana & exitioſa furioſorum hominum, quam prudentium recta & moderata conſilia.* De his Pſalmus inquit: *Facit eos errare in invio & non in via.* Et Eſaias propheta ait: (**) *Dabo*

(*) Peucerus dicta præfat.
(**) Eſa. 3. 4.

Dabo pueros Principes eorum, & infantini ipsis imperabunt. Semel turbatis consiliis multi principes sequuntur errores, sicut dicitur, Aeger animus semper errat, Paulatim & virtus ipsa languescit & accedunt infelices impetus animorum & actiones infelices, ut moveantur res non necessariæ, & attrahantur certamina majora viribus, quibus authores succumbunt. Hæc ille. Salluſtius ſcribit *omnia regna, civitates, nationes, eousque prosperum Imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerint: ubi illa corrupta & mutata, mutatam simul Imperii formam fuisse, & denique servitutem impositam.* Quod columnæ ſunt in ædificio, hoc ſunt conſilia in ſtatu; illis ſummotis & everſis, reliqua corruit moles; his neglectis & rejectis, ſtatus concidit prono lapſu. Conſideretur nunc omnium Principum & Rerumpublicarum præſens conditio: (Hiſpanos, ni fallor, excipere poſſumus, apud quos ſolos fortaſſe hodie videntur in pretio eſſe & æſtimari ac valere vera conſilia) apud quem reperire eſt incorruptum & recto tramite euntem, ſuadendique ſinceritate & dexteritate præditum ſenatum? Non modo conſilia nulla vigere ſpecitamus; ſed etiam reſpui & faſtidiri quæ dantur, & ſunt ſalutaria, vileſque haberi & nauſeæ, qui ſuggerunt ſana. Cum ſtomachus nihil amplius retinere poteſt, nec recipere vult; corporis vires & vita dilabuntur & concidunt momento: ſic regnum & Respublicæ, quæ non admittunt nec auſcultant bona conſilia. *Cuius fortunam Deus* (*) *mutare constituit, consilia corrumpit,* (**) *& hebetat obtunditque sensus* (***) *hominum, ut non videant nec videre velint,* quæ

(*) Quand Dieu vout empeſcher l' homme de pourvoir à une neceſſité, il luy oſte toute prudence: tellement qu'un tel oublie ſoymeſme & les autres. Amyot. in Plutarch. in vita Pompeii, qui ejus rei memorabile exemplum præbuit in bello Pharſalico. c. 20.

(**) Velleius Paterc. Lib. 2.

(***) Manum injicientibus fatis, hebetari ſenſus hominum & obtundi. Ammian. l. 14.

quæ præservant ab exitio & ruina. Agathias, (*) *cum Deus*, inquit, *male quid evenire homini statuit, consilium & mentem inprimis aufert. Occacat animos fortuna, ubi vim suam ingruentem refringi non vult.* (Liv. lib. 5. c. 37.) Sic ipse Deus apud Mosen Deuteron. 27. se *immissurum minatur*, *populo*, *quem statuerit evertere*, *infelices successus*, ἀβυλίαν ᾗ δυσβυλίαν *in omnibus*, *qua susceperit*, *ut evertatur & pereat cito*. Vulgari verbo etiam dicimus, *Jovem*, *quos perdere velit*, *prius dementare*. Eum in finem versus oppido quam notabiles leguntur apud Lycurgum in oratione contra Laocratem:

Iratus ad poenam Deus si quos vocat,
Auferre mentem talibus primum solet,
Caliginemque offundit, ut ruant suas
Furentes in clades, sibi quas noxiis
Accersiverunt ultro consiliis malis.

Exempla ubivis in rerum monumentis obvia, & omnia plena sunt. Illustre habemus in Pharaone Rege Aegyptiaco, (**) sic excoecato & infatuato, ut omni impetu in sui ruinam rueret, cunctis remonstrationibus, miraculis & prodigiis a Deo præmonitore editis, fascinata mente elusis. Aliud notabile in Absolomo, quem cum Deus pervertere, & ab usurpato Regno dejicere decreverat, ejus menti talem offudit caliginem, ut, spreto salutari Ahitophelis consilio, quod tamen ita æstimabatur ac si quis divinum consuluisset oraculum, ac prælata perniciosa & in speciem grata Husai sententia, exitium sibi deproperavit. *Nam Deus*, ut inquit Samuel, (***) *effecit*, *ut bonum consilium Ahitophelis impediretur*, *ut Dominus perderet Absolomum.* Non minus observatu dignum

(*) Gli huomini, inquit Guicciard lib. hist. 1. quando s'approssimano à loro infortunii perdono principalmente la prudenza, collaquele haverebbero potuto impedire le cose destinate.

(**) Vide in Exod. diversis in locis. (***) 2. Sam. 17. v. 14.

dignum est illud de Rehabeamo filio & successore Salomonis: Deus regnum Palæstinum propter peccata, a posteritate Salomonis auferre, & dilacerare, atque in duo partiri, (*) Judaicum nempe & Israeliticum seu Samaritanum, statuit: quid fit? Rehabeam primo Seniorum patris sui consiliariorum suffragia exquirit, hi suadent, ut auscultatis populi desideriis ante omnia, initio regni subditorum benevolentiam demereretur: sic futurum, ut regnum paternum quiete retenturus sit, omni populo ad obedientiam promto & volenti. Sed, quia hæc ingrata videbantur; *juvenes, cum quibus educatus erat, & qui ante eum stabant*, sicut inquit sacra scriptura dicto loco, (**) *in consilium vocat*: hi adstrictiore imperio populum regere, ac proinde haud permittere debere statuunt, authoritatem regiam ita vilipendi, ut rex ex arbitrio & beneplacito plebis ea dependeat. Rehabeam igitur spreto seniorum & juniorum consilium secutus, (***) Israelitico regno in perpetuum decidit, ac frustra illud postea viribus recuperare annixus fuit. Sic Rex Antiochus fatali in bellum prurritu, immissis animo confusionis tenebris dementatus fuit, ne *consilium* Annibalis, *optimum & utilissimum*, sicut inquit Appianus, (*) de sede belli in Italiam transferenda, & de hoste non temere nisi bene præparatis omnibus provocando; sequeretur, sed sperneret, consiliariis reliquis invidia & æmulatione in Annibalem aliud assuggerentibus, ideo sibi interitum regnique excidium festinavit. Cum fata res Carthaginensium affligere, & Romanos a ruina vindicare ac attollere decrevissent, (**) Hannibalem induta menti fatali væcordiæ nube retinent, ne Romam, ubi omnia confusa & in summa trepidatione erant,

(*) 1. Reg. 12. (**) versu 8. (***) vers. 13. 14.

(*) App. de bello Syriaco c. 2. Livius lib. 34. cap. 59. & libr. 36. cap. 7. (**) Liv. lib. 22. c. 51.

erant, cum victorioso exercitu tenderet, *licet omnibus modis Maharbal assuaderet*: sed Romanis tempus relinqueret se virtute Scipionis recolligendi, ut mox postea prælio victus Italia pelleretur, & sic ad Carthaginis imperiique Libyci deletionem gradus strueretur. Deus imperium Antonio triumviro erepturus, & in unum Augustum omnem potestatem, atque ita quartam Monarchiam translaturus, Antonii, olim viri fortis & prudentis, mentem obtenebrat, ut *muliebribus*, & *ideo pejoribus consiliis* (*) Cleopatræ amasiæ auscultatis, & sanæ mentis fruge oblitus, supervacua moveret, & in luxum, ex luxu in bellum, ex bello in exitium caderet, atque amplo imperio amisso triste Orbi spectaculum præberet, res *humanas, quamvis florentes everti confestim, ubi virtute profligata, vitia invalescunt*. Hæc pauca ex tam ubere penu depromta sufficiant.

Adhæc; Præsagia omnia, quæ mutationem & rerum conversionem prænunciare solent, contemplamur etiam in animis hominum, in affectibus, in actionibus, in motibus, in inquietudine, in novarum rerum desiderio, nemine præsentibus contento, sed tædio suorum & solitorum nova appetente & affectante. Qui felices etiam sunt & frui possunt stabili prosperitate, illa haud contenti, altiora & intuta malunt & adspirant: qui victoriis partis uti cum immortali laude possent; omnia sursum deorsum vertunt, & non satiati hostium suorum casu, illorum omnimodam deletionem attentant: qui partium uni studiosi & dediti, omnes alteri addictos e medio funditus tollere satagunt. Nemo ad Rempublicam eam, quam debet, curam affert; nemo eo, quem superiori seculo vidimus, Zelo, bonarum artium studia & ingenia excitat, æstimat, fovet; nemo veræ gloriæ, & amoris patriæ ac virtutis appetens est: omnes in

(*) Consilium muliebre ac deterius Tacit, Ann. 15. cap. 54.

in transversum rapti, *movent composita*, [illegible]
decus honori & Reipublicæ præferunt, [illegible]ſtiæ
brevis ævi & nullius animi, terræ & c[illegible]olli-
culo ſtudent. Pars incuria & ſocordia R[illegible]cam
tractant, tanquam *alienam rem agerent* [illegible]mio
calore & vehementia, alii ex *conſuetudin*[illegible]
go emineant: (**) alii *levi auditu, quamvis* [illegible]
mittunt, abunde rati, ſi præſentibus frua[illegible]c in
longius conſultant: alii *ſub prætextu publ*[illegible]
emolumentum protollunt: in his i[illegible]cum
πολυπραγμοσύνη & libidine præemine[illegible]ina-
tur: in iſtis vindictæ, & aliorum affectu[illegible]um;
in aliis ſuperbia & malitia; in aliis alia [illegible]quæ
omnia talia ſunt, ut in illis veſtigia depre[illegible] &
ſigna ſupra impendentis mutationis. Eo[illegible]ica
contrahamus cuncta; nullus angulus, nu[illegible]ul-
la ſocietas in tota Europa nunc eſt, quæ [illegible]mo-
tu aliquo vel belli, vel turbarum, vel n[illegible]re-
rum, vel diſſidiorum domeſticorum con[illegible]l in
ſe, vel agitante alio. Omnium tempo[illegible]mo-
rias evolvamus, omnium rerum ſeriem p[illegible]ur,
nunquam in Europa, minus in orbe Ch[illegible] ta-
lem commotionem, (***) & tam unive[illegible]iſſe
reperiemus, omnibus ab infimo usque ad [illegible]um
emotis, & vel in has vel illas partes ſciſſ[illegible] ſi-
cut commotio humorum ſignum eſt mu[illegible]s in
corpore: ſic commotio animorum & conf[illegible]o-
num ſignum mutationis in Imperio. *Quod* [illegible]
tam *internas* communes & *proprias*, quam [illegible]*as*,
ut Politices Præceptores tradunt, diſpicimus[illegible]per-
luſtramus; omnes in hodierno Europæ ſta[illegible]ceu
lucido in ſpeculo, contuemur, & nulla dab[illegible] vel
omnium optime conſtituta ſocietas & ordo, [illegible]quo
[illegible]non

(*) Anxium habebat, ne compoſita turbarentur. Tacit. Ann. [illegible]
cap. 65. (**) Tacit. Hiſt. II. ibid.
(***) Rerum ſurſum ac deorſum verſationem.

non concurrat & luxuriet major illorum pars. Quod enim Imperium, quod Regnum, quænam Respublica est, apud quam non cernas aliqua multa ex his sequentibus lascivire & dominari? (*) quæ caussæ sunt & indicia certa conversionis & eversionis? Nimirum scelerum (**) magnitudinem, & delinquendi velut consuetudinem, religionis neglectum & incuriam, multitudinem sectarum per impudentem conniventiam permissam, superstitionem, persecutionem, injustitiam, (***) in tuendis legibus oscitantiam; oppressionem & expilationem subditorum, crebras contributiones, immensa vectigalia, novas impositiones, *auctoritatis* (*) *& benevolentiæ* (quæ *anima & sanguis sunt regni*.(**) *amissionem*, vilémque populi de suis rectoribus opinionem, solutam imperii formam, legum sacrorumque veterum mutationem, (***) delictorum pronam gratiam, discordiam civilem, odia intestina, suspiciones, seditiones, conju-

(*) Aristot. in politicis.

(**) Vide Peucerum dicto loco, ubi docet tria maxime insignia peccata esse, propter quæ mutentur imperia poenis & cladibus, nimirum, ἀσέβειαν, ἀδικίαν, ἀσέλγειαν. Sub his omnia quæ hic recensentur, comprehenduntur. Vide item Aristot. in Politicis.

(***) Propter injustitiam transferuntur regna de genti in gentem.

(*) *Autoritas, patrimonium Principis*: Boterus. *Animorum inclinationem sequitur inclinatio & ruina Imperiorum.* Typotius de Fama a soluto seu leni, a levi imperio oritur contemtus, contemtus mors est & interitus regnorum, docet Lips. polit. l. 4. c. 12.

(**) *Regum atque gubernatorum*, inquit Peucerus, *quando tendunt ad ruinam, prima poena est, autoritatis amissio*, de qua dicitur in Psalmo: *Effusus est contemtus super Principes. Ingravescentibus his, ruina propinqua est.*

(***) Job. c. 12. 21. *Dominus*, ait, *effundit contemtum super* Principes, *& solvit potentium foedera.*

rationes, luxum & profusionem in conviv
is, hortis, equis, ædificiis, lectis, & sim

- - *tot nova nomina vestis* (*

Quaque virum quærant,

securitatem nimiam, hostilium virium ig
& contemtum, nullum vel præceps consili
titudinem in deliberando & concludendo
tionem in exsequendo, consiliariorum ins
experientia carentem suadam, rectorum
cerebrinum, judicum & magistratuum s
& affectus, honorum & dignitatum nundi
præmiorum & poenarum abusum, Legule
miam copiam, & effrenem caninæ facund
am, legum detorsiones, obscuritatem, co
& multitudinem. Superbiam, æs alienum
ris illuviem, pravos mores, rei familiaris
um imminutionem, Natalium splendoris n
ram, nullum æstimium; nobilitatis & p
mixtionem, utrisque promiscua eademque
divitiæ non genus, pecunia non familia
non gradus spectatur: crebram pronamq
rum & dignitatum illustrium ac hæreditari
lationem; matrimonia non virtutis, non
non sanguinis; sed dotis, sed ambitionis,
electione sociantur: conjugiorum & lecti m
vilem respectum, adulteriorum conniventia
punitatem: juventutis & pueritiæ incuriosam
tionem, censuram & disciplinam neglectam;
publice & privatim perditam: mendicantium
serabilium personarum multitudinem, artium
diorum defectum, & despectum, ἀςοργί
glectum agriculturæ, & mechanicorum opifici
commerciorum devergia, & mercium corrup
nummorum deficientiam, ærarii inopiam,

(*) Petron. Arbiter.

collegia, & privata monopolia, pruritum belligerandi, nullius rei bellicæ veram curam, (*) & apparatum provisionemque, irruptionem & metum ab hoste, sociorum defectionem aut fidem nutantem, bellorum & motuum continuitatem, luem, sterilitatem, naufragia, & quæ sunt sexcenta alia.

Hanc mersam coeno Europam somnoque jacentem, (**)
Quæ poterant artes sana ratione movere,
Ni furor & bellum, ferroque excita libido?

Vbi vero hæc vigescunt & regnant, inde mutatio haud procul abest; & quo sunt in majore vigore & concursu, eo propior est imperiorum & statuum periodus. *Quemadmodum in corporibus futuri languoris signa præcurrunt; quædam enim segnitia nervis inest, & sine labore ullo lassitudo, & oscitatio, & horror membra percurrens: sic Respublica multo antequam evertantur, mali quatiuntur.* (***) Hæc mala quia non ita in cujusvis oculos primo intuitu incurrunt, nulla putantur, nec tam crebra & conjuncta: nihilominus tamen

- - - veluti tabes tacitis concepta medullis (*)
Intra membra furens curis latrantibus errat,

& instar gnomonis in horologio operantur, cuius motum quidem serpere non cernimus, ictum vero & sonitum audimus. Exhalationes terræ, quia nimium subtiles sunt, oculis metiri non possumus, in superiore tamen cœli regione condensantur, & tandem tempestates & imbres producunt: teredo & cossus tacite exedunt & rodunt arbores; at non nisi patrato damno arboreque cadente, se videndos præbent; idem de his malis, tanquam causis propinquis & remotis imminentis ruinæ, judicium esse debet. Hæc vitia tam enormia sunt & immensa, ac

 eousque

(*) Cladibus irruimus, nocituraque poscimus arma. Lucanus.
(**) Petron. (***) Seneca Ep. 74.
(*) Petron. Arb.

eousque creverunt, ut in *nervum erumpant*, & proinde necessariam emendationem desiderent, quæ sane sine magna rerum conversione fieri nequit. Vt corpora ad summum malis humoribus repleta, in morbum incidunt, per quem hi repurgantur & egeruntur, vel illa concidunt & commoriuntur: sic imperia & respublicæ per vitia & malam fortunam in confusionem & motus prolapsæ, per hos vel reformantur, vel mutantur, vel pereunt. Plutarchus in vita Pompeji scribit, *Cratippum, si interrogatus fuisset, cur fata Cæsari victoriam in pejori caussa largiri*, & libertatem Reipublicæ pervertere voluissent, responsurum fuisse, *propter Reipublicæ statum vitiosum, & malam rerum Romæ administrationem, necesse fuisse, ut Respublica in manus unius Principis absoluti caderet, atque ita in monarchiam converteretur.*

DE SECUNDO.

SEd de primo nostri sermonis capite satis dictum sit. Jam ad secundum progredimur, nempe pro qua parte mutationem istam, de qua hactenus verba fecimus, casuram esse; & quibus argumentis probari posse existimemus. Mutationes & eversiones Imperiorum prævideri quidem posse; sed perdifficile & vix homini datum esse novimus præspeculari, quale novum imperium, & quo temporis articulo Deus sit excitaturus, quam formam regimenque vel civile, vel ecclesiasticum daturus, tempestates, tonitrua & fulmina prævidere facile est; sed in quem agrum, arborem, hominem sint casura, & quo momento tactura; hoc opus, hic labor est. Quocirca non ignoramus, quam arduum sit hanc opinionem argumentis adstruere & firmare, gratam quidem & exoptatam, sed æstimatam fidem & captum excedere, & vix vero similem; ideo neminem non curiosum futurum intelligere, quomodo probari & persuaderi

ſuaderi poſſit; præſertim cum evidenter ex hodierna in Europa rerum conſtitutione appareat, rationibusque obviis citius probabiliusque aſſeri queat, illam converſionem pro Hiſpanis, & libertatum ac religionis oppreſſoribus caſuram, & proinde Europæ dominatum Auſtriaco-Hiſpanicæ domui portendi: tamen profundius examinando cuncta, & penitiora abſtruſioraque, quantum ingenii obtuſa acies poteſt, ſcrutando probare cum aliquo fundamento conabimur, mutationem iſtam pro meliori cauſſa & religione futuram, quamvis nihilominus interea timendum ſit, Hiſpanos adhuc multum progreſſuros, & horrendas per Europam ſtrages & victorias edituros, potentiam & fortunam jam ad maturitatem evectam, mordicus defenſuros & extenſuros eſſe; antequam cauſſæ & religionis melioris potentia aſſurgat, ſequatur & ſtabiliatur. Hic vero duo præfamur: Primo, quæ de Religione dicimus & ejus mutatione, non eſſe intelligenda, quaſi veram Religionem & doctrinam in ſe mutationi & corruptioni eſſe ſubjectam ſtatuamus; ſed ſicut ſolem lumen in ſe perfectum eſſe: Sicut autem hic oritur, progreditur, occidit, aſcendit & deſcendit, ut inducat diei & anni viciſſitudines & partes, meridie plenum diem, æſtate ſummum calorem: ſic religio in ſe perfecta, Dei voluntate nunc tenero, nunc adulto & pleno, nunc ſub obſcuriori lumine ſe mortalibus offundit & diffundit. Deinde, nos haud præſumere, in inſcrutabilia illa Numinis decreta, de tempore & hora conſtituta, temerario pervicacis judicii volatu penetrare; nec hæc proponere & ſtatuere, tanquam quæ correctionem & redictionem non admitterent.

Prudens futuri temporis exitum (*)
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetque ſi mortalis ultra
Fas trepidat, &

(*) Horat. lib. 3, carm. od 29.

& nimis argute & sollicite inquirit, in horas & momenta mutationum & conversionum. Sufficerit nosse & probare in genere, conversionem rerum in nostri solatium & pro voto casuram; temporis vero punctum, & qualis interea commixtio futura sit, & qui cursus observabitur, relinquimus scientiæ humana majori. Similes iis simus, qui cum parva cymba littoris vadosa loca, quæ contis & perticis explorare possunt, legere solent, altum vero & verticosi maris abyssus non ingredi; sic pia quadam curiositate, mortali prudentiæ concessa in futura modeste inquirimus; sed ad rem.

Motus qui hodie Europam omnem conquassant & vexant, rerumque universalem conversionem prænunciant, coeperunt in Germania, hoc est in corde Europæ, ut supra diximus: omnis ibi inferior sors populi statim ab initio, & voce & voto, clam & palam erat pro meliori causa & religione: Hispano-austricam potentiam & Romanam superstitionem depressam & eversam optabat. Loquimur de illis locis, ubi primi motus extiterunt, nempe in Bohemia, in Vngaria, in Moravia, Palatinatu & vicinis locis. Annon omnem multitudinem, proceribus dumtaxat quibusdam exceptis, Austriacos fasces, & Papi doctrinam, vocibus & votis damnasse & improbasse vidimus? Nunc quoque, licet tot victoriis meliorem caussam deteriorum partium complices attriverint, tamen adhuc in illis, & plerisque aliis Germaniæ & alibi locis, plebis occulta studia (palam præ timore non audent) sunt pro parte Hispano-austriacæ contraria. verba & voces quidem sunt pro Ferdinando, & domo Austriaca, sic metus cogit; vota & desideria pro Friderico & libertate, sic affectus suadet. Proceres & magnates, major quidem pars, ut pro Ferdinando & domo Austriaca fuerunt; ita nunc quoque sunt; pro sorte in humanis solente, ut, quo plebs

plebs inclinet, ab eo abhorreat nobilitas, quæ plerumque ſequitur abſoluti & licentioſi in inferiores dominatus fortunam & purpuram. At omnium ætatum, temporum & hiſtoriarum experientia teſtatur, mutationem in regimine & religione ut plurimum eccleſiæ pro ea parte & forma, ad quam vulgus & plebis animi inclinabant & propendebant ab initio, ita ut nihil verius ſit illo proverbio: Vox populi, vox Dei. Solet enim Numen, quandocunque motus exoriri debent, præparare mentes & affectus multitudinis, & impetum infundere, ut in hanc vel illam partem, quam ſecreta fati via conſtituit, vel producere & attollere, vel deprimere & delere, propendeat, & eo vota voluntatis, deſideria & ſtudia dirigat; denique quo direxerit, eo quoque mutationem, ad quam per hunc modum aliquem velut gradum divina ſapientia ſtruere vult, convertere. *Inclinationem animorum divinitus factam in populo tanquam ſingulare Dei munus accedere debere, ad novam mutationem ſtabiliendam*, ſcribit Peucerus. De hac inclinatione dicitur lib. Regum: *Et abiit cum eo exercitus pars, quorum Deus tetigerat corda.* Item, *Vt oculus videat, & auris audiat; Deus facit utrumque.* Hæc de populi commoti, & in illis oris, ubi motus increbreſcunt, degentis adfectu accipienda ſunt: non de quieſcentis & in veteri permanentis ſenſu. Licet vero non ſtatim innovatio ſic fiat, & populi affectus tanquam *igniculi cinere obducti* ſæpe diu ſupprimantur & exerceantur, variisque fortunæ caſibus rapiantur in transverſum: tamen tandem poſt multos circuitus, converſio cadit, prout erat prima diſpoſitio & impetus, & appellit

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum (*)

ad portum ſpes ante in animos illapſa. Primi motus ſunt

(*) Virg. l. 1. Aen.

sunt ex instinctu & impulsu naturæ præsensque quasi semper tacito aliquo admonitu, &, ut ita dicam, quasi lusu, aurem homini vellicat, & præsagit præter propter quæ vel bona vel mala contingere debeant. Populus est instar fomitis; vis secreta & latens, silex & chalybs, unde scintillæ & igniculi per attritum saliunt, motus & res novæ, manus sunt, quæ excutiunt; Principes & qui destinati sunt regendæ & conducendæ ad formam rerum conversioni, sunt sulphur & ligna. Hoc totum ex exemplis clarius manifestiusque erit.

Annon omnia Imperia, religiones & sectæ ab initio per populi, vel faventis vel permittentis studia & inclinatas voluntates introducta sunt, ortus, impetus & progressus, finemque habuerunt? Tempore Samuelis (*) cum Deus Rempublicam Israeliticam in regnum convertere decrevisset, primo disposuit animos populi, veteris regiminis & libertatis impatientes, ad petendum Regem & se ei subjiciendum. Proceres, qui in libertate luxuriabant, vel ipsa natura dictante, & propter emolumentum proprium, maluissent potius sine Rege esse, qui ipsi instar regum erant. Et licet Samuel prædiceret, (**) & pluribus remonstraret, quale jugum populus essent passuri, & quomodo a Regibus opprimendi & coercendi: tamen in primo illo impetu, in animos secreta quadam vi illapso, persistunt, & sic mutatio status & Regiminis Israelitici pro plebis inclinatione & affectu accidit. Sic cum Deus a Saulio (***) & ejus posteritate regnum auferre, & Davidi posterisque ejus concedere statuerat, ante omnia populum movit & disposuit, ut Saulium (*) odio & contemptu prosequerentur

(*) Lib. 1. Samuel. cap. 8. vers. 4. sq. (**) Sam. lib. I. c. 8. v. 11. sq. (***) 1. Samuel. cap. 18. sq. (*) 1. Sam. 18. v. 16. omnis populus in Juda & Israel amabat Davidem.

rentur, Davidem vero honore & amore: hinc pro illo omnium secreta odia, pro hoc vota erant & inclinationes. Ideo Peucerus (*) scribit *hac eadem illustriora & conspectiora fuisse in Davide, qui cum esset humili & obscuro loco natus, & pusilli corporis specie contemtus, atque inter greges ovium educatus, neque a se quicquam afferret tanto fastigio dignum, regno tamen magno populi studio potitus est.* Diu quidem Saulius, qui potentissimam familiam habuit, & multi Proceres reluctati sunt, sed tamen paulo post desideria & studia populi successu rata & adprobata fuerunt. Deus a posteritate Salomonis, (**) facta Regni Palæstini in duo scissura, Israeliticum sceptrum auferre ac Jeroboamo tradere constituerat: sicut supra dictum est: Itaque populi animis primum cœlitus infusum fuit, ut a Rehabeamo filio Salomonis deficerent, eoque rejecto Jeroboamum in Regem eligerent. Rehabeamo omnibus modis regnum paternum recuperare conante, Deus ipsi & omni populo in Juda edicit, ut quiescerent & domum redirent: (***) a *se factam illam regni scissionem & translationem. Cum* Deus filium suum in has terras demitteret, & novum doctrinæ religionisque lumen per eum in mentes hominum accendere, & paganas superstitiones subvertere vellet; populum ab initio statim adhæsisse & secutum fuisse Christum; Pharisæos & Proceres se opposuisse ultro citroque in novo Testamento legimus. Et licet omnibus modis istis initiis novæ doctrinæ & religionis obviam ibatur, & progressus impediri tentabantur; &, Christo etiam extincto vix aliqua spes propagationis relicta esset; tamen tandem post multas afflictiones & calamitates suc-

 cessus

(*) In præfatione Chronici Carionis.
(**) 1. Regum cap. 12.
(***) dict. cap. 12. 24.

cessus respondit primæ in animos populi infusæ spei & inclinationi: illud certe in Servatorem nostrum populi studium, & prona voluntas audiendi & sequendi luculentum prognosticon erat & præsagium incrementi & stabilimenti religionis Christianæ per Orbem terrarum brevi disseminandæ. *Cum æterna sapientia* Rempublicam Romanam in Monarchiam reformare, & regimen vetus per Julium Cæsarem, sicut per Christum & religione veterem superstitionem, ut diximus, immutare decrevisset: omnis plebs voto & inclinatione pro Cæsare erat; Proceres vero, & viribus & animis pro Pompejo, cujus potentia etiam major erat. Populus autem fato fuit ita dispositus, ut faveret studiis & ambitioni Cæsaris, eumque cum applausu agnoscere desideraret perpetuum Directorem, hoc est, Imperatorem, licet in propriam ruinam & libertatis priscæ exterminium. Fortuna Cæsaris sicut populus optabat, vicit; & Respublica in Principatum commutata fuit. Addam adhuc duo licet inter se disparia exempla nostri seculi. *Cum Oatarenorum* (*) Benimorinensium, in Affrica & Mauritania imperium everti & novum Marochi & Fessæ fundari fata vellent; Scrifii gens ex infima plebe oriunda, auspicio favoris populi, quem prætextu religionis Mahumeticæ contra Christianos stabiliendæ sibi conciliaverat, res novat: Oatareni cum proceribus resistunt, & dubio Marte sæpe pugnant; fortuna tamen favet Mahumeti Scrifio, & Imperium, quod plebis inclinatio & votum spondebat, condit, Oatarenis extinctis, & depulsis. *Gallia* regnum a Valesiorum familia in Borbonicam fata transferre volebant: quid fit? Proceres & majorum gentium nomina se opponunt Henrico Borbonio, & diu crudeli

(*) Thuanus.

deli bello a regno excludere laborant, accedunt Papa & Hispanus. Vt vero populi communis inclinatio & votum erat pro Henrico, sic accidit, & Deus rata habuit, quæ plebs Gallica voverat, licet post longos & difficiles motus, qui transversum agebant populum, & poterant eos affectus diuturnitate mali pervertere.

Mutationes rerum fiunt sensim & per gradus: non uno impetu & in punctistitio: præparationes etiam antecedunt, antequam conversio fiat aut perfecta sit. Superioribus annis purioris Evangelii doctrina cœpit increscere, Papæ vero veteres superstitiones ad summum perventæ, distabescere: illa nondum ad suam perfectionem & ἀκμὴν excrevit; nec hæc ad casum & imum descendit. At hæ sunt rerum vices & orbes, ut quod ortum & incrementum habet, habeat etiam maturitatem, ad quam ascendere debet; & sic vice versa. Omnia enim regimina, religiones, sectæ, familiæ, & quicquid sub sole est, instar rotæ perpetuo vertentis, sunt, sicut habent summum, sic imum gradum: quidquid est in actu crescendi & surgendi, crescit & ascendit ad summum; & quod ad summum gradum pervenit, & in actu decrescendi est, oportet ut descendat ad infimum. Pontificia religio in summo gradu ante sæculum stetit, & tum cœpit diminui & sublabi; at quia nondum ad infimum gradum, nec imum rotæ decidit; oportet, ut successu temporis, secundum naturæ leges, in sua Principia redeat, hoc est, ad infimum gradum. Protestantium vero religio cœpit quidem adolescere tum, cum Pontificia exolescebat; sed nondum pervenit ad perfectionem & maturitatem. Itaque non dubitamus, quin nunc brevi sit augmentum sumtura, & in locum pejoris successura. Sic enim rerum vicissitudines sunt, ut

discessio

discessio unius sit successio alterius; (*) & Natura parens necessitatem imposuerit his oriendi & succedendi, illis moriendi & discedendi. Sic Deus huic regimini & religioni dicit, occide & da locum: statim eodem momento alteri dicit: assurge & succede. (**) Bonum succedit malo, & malum bono; sicut frigus calori, & calor frigori: & habet has *vices* conditio mortalium, ut *adversa ex secundis, secunda ex adversis nascantur*. (***) Post profanationem nominis divini Judaica religio & Dei cognitio per Mosen introducta fuit; Judaica in Palæstina sublata, successit Christiana, & per Orientem invaluit. Christiana in Oriente consenescente, Mahumeti superstitio prorupit. Quid nunc aliud in Occidente restat, quam ut Papatui & missæ succedat reformata Ecclesia?

Quamvis vero fortuna videatur nunc omnibus modis favere pontificiæ religioni, & domui Austriacæ illius protectrici; meliori autem caussæ adversa esse, & suppressum ire velle; quod tot victoriæ per Hispanos partæ, & tot vulnera inflicta, manifeste arguant; cogitemus primum, deteriorem causam & religionem jam omnes vires intendere, & sicut in sacris scribitur literis, *Diabolum tum maxime collectis omnibus iris sæviturum, cum non multum temporis sibi relictum noverit*. (*) Sic hanc nunc extrema conari: hoc ipso testata interitui & casui propinquam esse. Lumen destertens & proximum exstingui, lucidiorem

(*) Arist. ἡ τῦδε φθορὰ, ἄλλυ γένεσις, καὶ ἡ τῦδε γένεσις, ἄλλυ φθορά. ortus unius alterius est interitus]; & unius interitus, alterius ortus est.

(**) Nulla sors longa est: dolor ac voluptas. Invicem cedunt. Tragicus in Thycol. vers. 595.

(***) Modo secundæ res affluunt, modo rursus refluunt malis reciprocantibus prospera. Arnob.

(*) Apocalyps. cap. 13. vers. 12.

rem flammam edere: & *animalium morientium* (*) nisus acriores, & *morsus maxime lethiferos esse* novimus: sunt enim hi naturæ ultimi conatus, qui obluctari solent fato, & quo hi collectiores sunt & intensiores, eo propius est exitium. Rota rerum non retro volvitur; nec a descensu datur ascensus per gradus retrogrados. Nullum imperium, nulla religio, nulla res & actiones humanæ bis, uno in loco, ad gradum perfectionis perveniunt, nec cum semel a gradu supremo delabi ceperunt, ad eundem sublimantur, via contraria.

Stare quidem interdum res humanæ possunt, in gradu aliquo, & in ipso decursu eniti ad suprema resilire, ita ut appareant iterum ascendere; sed lex fati conatus eludit, & vi sua frangit, incognito mortalibus obnisu; & quod cepit semel *deorsum trudere; illud urget*, nec quiescit dum ad infimum deduxerit. Denique deterior causa, quam crescere & amplificari putamus, eo ipso, quo crescit, attenuatur, & ad exitium currit. Vt corpora quædam, quæ dum ex macilentis in pinguedinem adolescunt, & abdomen conflant, eo ipso, quo ita pinguescunt ad oculum, viribus & sanitate tacite decrescunt; & e contra quæ in prima infantia succi plena & pinguia, ad macritudinem decoram in adolescentia deflectunt, eo ipso quo aliis distabescere videntur, in altitudinem subolescunt & robur. Sic deterior religio & caussa, dum videtur nunc iterum increscere attollique, & tabe, qua infecta consumitur, depulsa luxuriare; in se dissolvitur, & ad casum properat; melior vero, eo ipso, quo in calyculo & nondum diducto flore videtur opprimi & inflavescere, vires sumit, &

Crescit occulto velut arbor ævo. (**)

Vt

(*) Florus.
(**) Horat.

Vt naves, quæ in alto ſinus obliquant, e longinquo ſpectanti ſæpe videntur redire velle in portum, unde ſunt egreſſæ, cum tamen progrediantur in altum; aliæ vicinæ portui ita fluctus ſecant, ut videantur retrocedere, cum tamen in portum contendant: ſic fit, ut religiones & imperia, quæ Deus excitare & protendere conſtituit, in progreſſu ſæpe appareant nobis deficere; aliæ vero in decidio reſurgere & vires reſumere: cum tamen reapſe hæc aſſurgant, illæ concidant. Romana Reſpublica & Imperium, antequam perfectitudinem attingeret, quoties viſum fuit languere & ſublabi? cum tamen aſſurgeret & virileſceret; quoties iterum cum rebus inclinatis, ad occaſum rueret, viſum fuit priſtinum decus recuperare, & a ruina ſe vindicare. Chriſtianorum imperium & religio in Oriente, tum maxime, cum omnium in Europa Imperatorum & Regum auxiliis ſuffulta, ad priorem felicitatem, Saracenorum potentia & ſuperſtitione acciſa, videbatur renaſci & reſtabiliri, exolevit & collapſa eſt: Mahumeti vero imperium & factio invaluit & emerſit, eo ipſo, quo videbatur ruinæ & diſcrimini propinquior. Sic tempore Caroli V. (*) cum quaſi conclamatum eſſet de religione & libertate Germanica, eo ipſo, quo victa fuit, hoc accrementum ſumſit & vires. Alia exempla innumera adduci poſſent: ſed ne nimium tædioſi ſimus in re tralatitia, ad alia properemus.

Hiſpani & deterioris cauſſæ imperium diuturnum eſſe non poteſt: ſed brevi vel in *ſe ruet, ſicut magna ſolent*, vel ab alio evertetur: & ſic dabit locum meliori cauſſæ & religioni. Primo imperium illud inviſum eſt omnibus, etiam iis ipſis, qui illius magnitudinem

(*) Sleidanus.

tudinem promovere ſtuduerant. *Metu* ac *terrore*,(*) *infirmis vinculis potentia & fortuna* conſervandæ aut ſtabiliendæ, continetur:

Invisa autem Imperia nemo retinuit diu; (**)

quia *terror malus eſt diuturnitatis cuſtos*, & *veneratio*, (***) carens fundamento benevolentiæ, *haud diu ſubſiſtit*. Salluſtius (*) cuncta *Imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna eſſe* ſcribit. Poma & fructus acerbi ac crudi cito deputreſcunt; maturi & ſuaves ferunt ætatem. In tempore peſtilentiæ cum maculæ & vari purpurei, nigri & lividi, quos vulgus *Dei ſigna* vocitat, corpus ſpargunt & erumpunt, certa ſunt indicia infecti & mox morituri hominis, nec ulla ſpes evitandi mortem ſupereſt: ſic ſignum *mortale eſt*, ut inquit Perezius (**) hiſpanus, *principatus & imperii, ſi Principes ſuis ſubditis diffidere coguntur*, (***) & puſtulas ex odii & timoris inflammatione protuberantes & inſurgentes habent. Deterioris cauſſæ imperium omnium, meliorum vota, omnium oppreſſorum ſuſpiria; omnium meliorum Principum arma contra ſe concitata nunc habet; quaſi totius mundi calculo diris devovetur, & Deus ubique oratur, ut peſſundet aut coerceat. Hæ diræ

(*) Metus & terror infirma vincula caritatis. Tacitus Agricol, cap. 32.

(**) Tragicus, Seneca in Furent, verſ. 340.

- rapta ſed trepida manu
Sceptra obtinentur: omnis in ferro eſt ſalus.
Quid civibus tenere te invitis ſcias
Strictus tuetur caſis alieno in loco
Haud ſtabile regnum eſt.

(***) Cicer. Male terrore veneratio acquiritur. Plin. lib. 8. epl.

(*) Sall. ad Cæſarem.

(**) In Aphoriſmis.

(***) *Regna male-contentis plena inſtar turris ſunt, argento vivo inædificata.* Anton, Perez. in Aphoriſ.

ræ, hæc vota, hæ preces, hæc arma quin effectum habitura sint, suo tempore, & depressura deterioris caussæ imperium, non est ambigendum. (*) *Preces justorum magnum pondus* apud Deum *habere*, & *oppressorum suspiria cœlum penetrare* novimus. Suspiria & querimoniæ oppressi populi Israelitici e cœlo Deum deduxerunt, & Pharaoni excidium procurarunt. *Questus* enim & *gemitus attritorum maledictiones omnium efficacissimas esse*, ait Perezius, (**) *quia Deum ad vindictam concitant*, & *in hoc maxime locum habere tritum illud adagium*, *Vocem populi, vocem Dei esse. Vbi enim populus desinit cum vocibus, lamentis & suspiriis, ultima, quod habet remedium; ibi potentia Dei miraculosa incipit*, & *tanquam ex machina affulget cælitus præter* spem & opinionem mortalium. At vero

Cœlestis ira, quos premit, miseros facit. (***)

Deinde deterioris caussæ defensores, non nisi bellis & armis imperium extendunt, acquirunt & conservant, quam autem lubrica sint hæc fundamenta, nemo nescit. Vna sæpe vox, integra prælia perdidit, & *arma mille casibus* (*) *subjecta sunt.* (**) Deus non vult

(*) Philippi Macedoniæ Regis crudelitas tanta fuit, *ut vulgo ipsum liberosque ejus execrarentur, quæ dira brevi ab omnibus Diis exaudita, ut sæviret ipse in suum sanguinem, effecerunt*, sicut scribit Livius lib. 40. cap. 5. Hoc oraculum sit nostris in Hispania Philippis.

(**) In suis relationibus. (***) Tragic.

(*) *Omnia quæ agimus subjecta esse mille casibus.* Liv. lib. 30.

(**) Apud Livium Annibal, *simul parta ac decora unius horæ fortunam evertere posse*, inquit Liv. lib. 30. cap. 30. Guicciard. lib. 2. histor. In *bello sæpe una vox vana, vel alicujus minimi militis, victoriam illis, qui jam victi parebant, contulit.* exempl. apud Liv. lib. 41. cap. 2. apud Guicciard. lib. 3. foli. 73. aliud lib. 5. folio. 156.

vult diuturnum hoc imperium nec ſtabile; quia non permittit, ut fundamentis veris, *benignitati & clementia*, (*) innitatur & acquiratur. Ne dicam Hiſpanorum & domus Auſtriacæ res ita hodie per Europam comparatas, ut una aliqua magna clades, rebellio domi, tumultuatio militum, complicum amicitia mutata, fides ſociorum & ſubditorum fluxa, diſſenſio inter proceres & Duces belli, Ferdinandi Cæſaris, vel ducis Bavariæ mors, & ſimilia talia, posſint uno momento affligere & proſternere. (**)

Si modo contingat, ut dignitate imperiali Auſtriacis ablata, ex alia familia Cæſar eligatur, ſubito concidit (***) Auſtriaco Hiſpanæ Monarchiæ ſpes & fomes. Nam in imperatoria purpura, qua omnes Europæ Principes ſesſionis prærogativa antecedit, omnesque ideo Reges ei loco cedere, & Majeſtatis titulum tribuere, nec vero recipere ſolent, (quod tamen inter ſe haud facere, aut ulli, excepto Romano Cæſare, præſtare conſueverunt) *fundamentum* ſeu *Magnitudinis Domus* Auſtriaca poſitum habet, ſicut Imperator (*) modernus majores ſuos ſemper ita judicaſſe ſcribit. Et ſane hoc inprimis ad potentiæ Au-

(*) Vide in Polit. Lipſ. lib. 2. cap. 12. qui clementiam tutelam & in regno firmitatem parere, docet. Seneca de clement. cap. 19.

(**) *Brevibus momentis ſumma verti poſſe*, inquit Tacitus & Tragicus: *Ima permutat brevis hora ſummis. Quod regnum eſt, cui non parata ſit ruina, & proculcatio, & dominus & carnifex? Nec magnis iſta intervallis diviſa, ſed hora momentum intereſt inter ſolium & aliena genua.* Seneca de Tranq. cap. 12. Puncto ſæpe temporis maximarum rerum momenta verti; inquit Cincinnat. apud Livium Lib. III.

(***) Scito omnem conditionem verſabilem eſſe; & quicquid in ullum incurrit, poſſe in te quoque incurrere. Seneca de Tranq. cap. 12.

(*) In epiſtola ad Balthaſar. Runigam.

ſtriaco-hiſpanæ incrementum progreſſumque plurimum contulit & confert, quod in ſua domo ducentis ferme annis continuis ſine interruptione ſemper floruerit & adhuc floreat, qui dignitate & honore primus ſit Chriſtianorum Principum, & præeminentiæ privilegio ſine controverſia unumquemque antecedat. Quocirca Cæſareo diademate in aliam proſapiam illato, quod facile fieri poteſt Electorum ſuffragiis concurrentibus, non amplius ſupremum in orbe Chriſtiano claritatis gradum occupabit, nec præ alio regum aliquid plus dignitatis & præcedentiæ habebit, liceat habeat plus potentiæ. (*) Primus gradus ad ruinam eſt, prioris venerationis & reverentiæ diminutio, & cenſeri inter æquales,cum antea fueris primus. Tunc Reges & Principes, quibus intercedit cum Imperio neceſſitudo & vinculum, quorum per Europam maxima pars eſt, qui hodie omnes propter iſtam contemplationem Auſtriacam domum ſuſpiciunt & colunt, adfectu mutato,ad novi ex alia familia creati Imperatoris partes accedere cogentur, non amplius tanto ſtudio Auſtriacam fortunam adoraturi. Ditiones Burgundicæ,Archiducatus Auſtriæ, regnum Bohemiæ, Ducatus Milani, & multa alia, quæ domus Auſtriaca poſſidet, imperii majeſtatem & faſces agnoſcunt; ſi alius, quam Aſtriacus, imperii faſtigium teneret, annon poſſet reſpectu auctoritatis & juris Imperatorii, quod ipſi in illas provincias competit, magnitudinem inſoleſcentem & effrenem dominandi libidinem multis modis compeſcere, exempla ipſorummet Auſtriacorum ſecutus, (**) qui prætextu auctoritatis & majeſtatis Cæſareæ quamplurimos

(*) Vide Politicos de autoritate & Reputatione.

(**) Johannes Fridericus Saxo. Fridericus Palatinus: proſcripti, exempla præbent cum Duce Juliacenſi, Duce Milani, & innumeris aliis.

plurimos, quos sibi obstare & impedimento fuisse sciebant, afflixerunt & coarguerunt?

Quoniam cito potest Deus meliora & saniora consilia uni aut alteri e potentioribus Europæ Regibus infundere, ut rem agant conjunctis viribus, & tale una fundamentum ponant, quo deterioris caussæ non solum progressus impediantur, sed etiam armis ejus potentia evertatur. In his periculis, in hac formidine versantur res deterioris caussæ, huic discrimini obnoxiæ sunt & expositæ: At *nulli fortuna tam dedita est, ut multa tentanti ubique respondeat:* (*) &

nemo si tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem sæpe transit casus, aliquando invenit (**)

Porro cum fortuna hactenus tam diu deteriori caussæ & religioni faverit, & blando felicitatis quasi nunquam interruptæ favonio per aliquot annos adspirarit; quid aliud expectare nunc debet, quam vultuum serenorum in tetricos mutationem. *Neminem eo fortuna provexit,* (***) *ut non tantum illi minaretur, quantum permiserat. Noli huic tranquillitati confidere. momento mare vertitur, eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur.* (*) Venti cum maxime flant, & toto impetu furiunt, flabra ponunt: sic fortuna, cum maxime videtur favere, *tergum* inopina indignatione *obvertit,* & *quos diu prosecuta est favore,* (**) *repente*

(*) Seneca de ira lib. 3. cap. 6.
(**) Tragicus in Furente versu 325.
(***) Sen. ep. 4.
(*) *Quem dies vidit veniens superbum,*
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Seneca Thyest. actu 3. in choro.
Quivis beatus versa rota fortunæ
ante vesperam potest esse miserrimus,
Ammian. lib. 26.
(**) Vellejus II.

velut defatigata destituit. Maxima cuique fortunæ minime credendum esse, Hannibal apud Livium (*) ait. *Irreverenter* enim *habita* & superbia, (**) fastu, insolentia, certis ruinæ adventantis præsagiis, irritata, pœnas petit, & quo *altius extulit, hoc foedius præcipitat*. (***) Nam

Semel profecto premere felices Deus (*)
Cum cœpit, urget; hos habent magna exitus.

Quoties potuissent pacem reducere, victoria & tropæis partis sapienter & utiliter frui, imperium & fortunam in tuto collocare, victos victorumque socios in fidem & obsequium devincire, *gloriam cum modo, prædam cum cura habere*: (**) sed anceps & æternum bellum maluerunt, & omnia potius *aliena & intuta*, quam *moderata & composita*. At plerumque accidit, ut qui victoria (***) bene uti potuit; sed ea abusus est; & qui res suas componere noluit, cum occasio & rerum momenta suadebant, male paulo post mulctatus fuerit, & pœnas dederit proterviæ & insolentiæ. *Si prætermittis*, inquit Livius, *tempus, quo dare magis, quam accipere potes pacem, vereor, ne hæc lætitia luxuriet tibi, & vana evadat.*

Denique

(*) Liv. cap. 30. lib. 30.
(**) Proverb. superbia præcedit lapsum.
Sequitur superbos ultor a tergo Deus.
Seneca. Hercu. Furent. versu 384. Superbiæ assidua comes dejectio. Lipsius in notis Polit. ad cap. 15.
(***) *Non statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius datus erat, eo foedius corruit.* De Alilio Hannibal apud Liv. lib. 30. cap. 30.
(*) Trag. Fureste.
(**) Tacitus Annal. 15. cap. 8.
(***) Guicciard. lib. 16. hist. è de temere piu da chi ha havuto si lunga felicità, la mutatione della fortuna, & da dispiare più, quando le cose succedevano malo, achi ha havuto potestà di stabilire tutte bene.

Denique ex multis conjecturis & circumstantiis, quas longum esset recensere, colligimus, domum Austriacam non procul abesse a fatali suo termino & periodo, quam non dabitur ullo modo transcendere. *Familia* (*) enim, sicut ætates hominum, regna & imperia aliaque sub sole, certas a *fato constitutas metas & limites* (**) *habent*, quo cum *venerunt*, *sistunt*, *retroeunt*, *ruunt*. Domus Austriacæ fortuna ad ἀκμὴν seu fastigium tempore Caroli V. pervenit, qui imperium Germanicum, cum Hispaniæ monarchia & tot regnis, solus in sua gente rexit; ab illo tempore superiorem, vel fortuna, vel potentia, non habuit. In hoc cacumine huc usque stetit, sed ægre, varia quidem tempestate sæpius concussa, ut plurimum tamen, his inprimis nostris annis, feliciter progressa. A Rudolpho Habspurgio Imperatore, primo magnitudinis Austriacæ fundatore, jam anni plus minus trecenti & quinquaginta effluxerunt: eodem seculo, paucis annis post, nempe millesimo trecentesimo, Ottomannica Turcarum Prosapia, cui Austriacam fata opponebant, cœpit efflorere, & utraque pari passu in æmulationem quasi & invidiam alterius subolescere. Ottomannica quinquaginta abhinc annis nullos progressus fecit, præsertim versus illas oras, ubi incunabula habuit, & unde originem traxit. Ita ut Lipsius (***) merito bene observarit, *eam spectare casum*, quod oculis nostris nunc manifeste cernimus, imperio illo suis propriis viribus & intestinis bellis concidente. Similiter domus Austriaca post mortem Caroli V. in Oriente, & in oris, origi-

(*) Alsted. in Encycl. l. 17. c. 12. Reg. 1. quæ est, *omnes familia habent fatales suos terminos & periodos.*

(**) Lips. cent. 3. ad Belg, ep. 31.

(***) In Centuria III. ad Belgas ep. 31. in Notis Politicis ad cap. 4.

